CARMINA
ILLUSTRIUM
POETARUM
ITALORUM.

CARMINA
ILLUSTRIUM
POETARUM
ITALORUM.

TOMUS QUARTUS.


Bottari G.G. ed.



FLORENTIÆ. M DCC. XIX.
Typis Regiæ Celsitudinis, apud Joannem Cajetanum
Tartinium, & Sanctem Franchium.

Superiorum permissu.

CATALOGUS
ITALORUM POETARUM
Tomi Quarti.



D

E

F

Favo-



CAR-



CARMINA ILLUSTRIUM POETARUM ITALORUM.



ANDREÆ DACTII FLORENTINI.

Ex Græco.


NActus Apes furax populat dum mella Cupido
Prædantis digitos aspera punxit apis.
Indoluit, persflansque manum, tellure repulsa
Matris Acidaliæ constitit ante pedes.
Quantula mater, ait lacrimis gemebundus abortis,
Est fera, quanta mihi vulnera fecit apis!
Cui Venus arridens, apibusne simillimus ipsis
Detrahis? en quantus, vulnera quanta facis.

De Victoria.

Quæ te victorem dixit male sedula mater,
Possit judiciis illa perire suis.

Ut quæ coctilibus Babylonida mœnibus urbem
Construxit, nati deperitura manu.
Si modo vincendi fato data nulla potestas,
Victorem vel vi, vel prece, vel precio.

Ad Cosmum Medicem Princip.

Maternis passim numeris, quæ personet aures
Excubat ad postes plurima turba tuos.
Et quæ te Latio celebret facundia versu
Rara sed Aoniæ non minor arte lyræ.
Rarior Argolici vernat tibi carminis auctor,
Et culto titulos elevat ore tuos
At tua qui triplici recinat præconia lingua,
Ut mihi cum paucis blandiar, unus ero.
Quod si tranquillo dabitur considere portu
Musa brevis referet munera longa moræ.

Ad Amicum.

Quamvis officio non perfungaris amici,
Nil mihi rescribens, vacuum quod sponte decebat
Munus obire prius, ne dum sermone soluto
Ante lacessitum diverso tempore sæpe
Quod tamen ardenti, sævoque Cupidinis arcu
Læsus amas, ardentque tepentibus ossa medullis
Flector, & ex aliqua fieri tibi parte benignus
Impellor magis ac deceat, me scilicet olim
Haud secus ardentem memini, primaque juventa
Quid sit amor memori deprehensum pectore servo.
Quatenus ergo alias gravior de pectore curas
Cura fugat, facile ignosco culpamque remitto.
At quia securis puppis navalibus hæret
Jam tua, nec fluctus pavet exarmata marinos,
Non aliqua sons esse nequis, culpaque vacare.
Utque vaces aliis admissis omnibus, unum
Non leve commissum est sanctæ temerare silendo
Fœdus amicitiæ, sed ne prolixior æquo

Am-

Ambitiosa suas transmittat epistola metas
Huc venias: servesque fidem promissaque solvas
Ocyus, ut victu pariter lætemur agresti.
Hoc satis est dixisse. Vale nostrique memento.

Ad amicam.

Ut revocat pulsam nutricem fletibus infans:
Sic ego, quam fugi, quæro tuam faciem.
Nutricem te fecit amor, me fecit alumnum:
Quæ potes ô miserum sola beare bea.

De Amore glacie torpente.

Junxerat adducto restantia cornua nervo,
Vulnera jam misero, jamque daturus Amor.
Dumque locum jaculo semiulco signat ocello,
Torpuit, & casso vulnere dextra riget.
Extinctæ cecidere faces, & chorda reductis
Cornibus ingenti fracta jacet strepitu.
At tibi, frigida hiems, inopinæ caussa salutis,
Addant perpetuas Numina magna nives.

Ad Fulviam.

Conantem me sæpe loqui pudor ipse repressit,
Nec tibi, quod volui, dicere adhuc potui.
Me facies, moresque tui cepere, tenentque,
Sit meus o facias iste perennis amor.
Malueram coram tibi dicere, sed pudor obstat,
Hæc tibi quam mitto charta pudore caret.

Ad eandem.

Tentavi coram tibi Fulvia dicere sæpe,
Quàm mea sævus amor ignibus ossa cremat.
Hæserunt imo verba intercepta palato,
Et vetuit, qui nunc scribere cogit, amor.
Ergo amo te quantum non est comprehendere cuiquam,
Qui quantum scit amat, non bene prorsus amat.

De Amicæ vultu, & moribus.

Odi, & amo: & nequeo non illud amare, quod odi,
Rursus habere odio, non nequeo quod amo,
Sic odio miscetur amor, mulcetur amore
Sic odium, atque odio sic maculatur amor.
Te fateor, moresque tuos mutabilis odi;
Depereo rursus te faciemque tuam.
Magna tibi, toties ne me contraria lædant,
Immutent mores numina, vel faciem.

Ad Gallam.

Ne mihi præterito suevit quod flore juventus,
Debueras, dicas Galla, rogare, rogo.

Ad Alexium Lapacinum.

Ardes, væ misero, impiis, Alexi,
Nec quenquam superum pudet Deorum,
Ardes prò facibus (nephas) amoris.
Quem speres hominum, inferumve divûm
Laturum rapidis opem sagittis
Infenso Jove, cœlitumque turba?
Me? quem perpetuis Venus catenis
Vinctum carceribus domat tremendis,
Ærumnæ, gemitus, mali, dolores,
Æterni hospitium perenne planctus.
Idem vel pelago minaci habenas,
Vel cœlo iniciam manus profundo
Invitis superis, Deûmque rege.
Ah quæras alias opem per oras,
Cui plus quam mihi sit spei, petendus.

Laus.

Quisquis agit formæ tantum de laudibus in te,
Ignorat veræ nomina laudis adhuc,
Non secus ac Venerem si laudaturus Apelles,
Ad conchæ laudes rettulerit speciem.

Di-

Dicturusve Jovem, majestatemque supremam,
  In forma Laudis triverit omne decus.
Quæ quamvis est justa, tua est quota portio laudis,
  Nec secus illa tibi convenit, atque Jovi.

In Amorem.

Ausa cupidineis ignarum exurere flammis
  Fama, prius nostris res nova temporibus,
Quam dedit, & nostram cuperem peccasse puellam,
  Rursus ait spretis me, pietate, fide.
Isque adeo incertus cura graviore popellus
  Pervacat, ut vanis hæreat usque jocis?
Quæ me scire negem, cupiam si vera fateri,
  Qui de me gratis afferat, ista mihi est.
An quenquam sua cura latet, refugitque quod intus
  Perpetuo clausum nocte dieque gerit?
Et videt alterius latitantes pectore sensus,
  Ut sua qui nescit vota aliena tenet.
Ut qui clam summo positum fert vertice fœnum,
  Pendula vel cujus chartula terga notat:
Prorsus ita est, nescit dominus, vicinia furem
  Novit, & arcanum si quid in æde malum,
Fur amor est, furti latebras, arcanaque cordis
  Ingreditur, furtim mentem, animamque rapit.
An cantata rapi se me non sentit; & alto
  Capta velut sensu, mersa sopore jacet?
Ut quos saxificæ mutarunt ora Medusæ,
  Aut Cylleneæ virga superba manus.
Perlege quot superant veterum monimenta virorum,
  Pagina cœlicolum crimine rara vacat.
Arsit amore Deûm toties pater, arsit, & ardens
  Defluit in Danaes aurea gutta sinus.
Candidus Europen taurus per cærula vexit,
  Candidus in Ledæ Cignus erat gremio.
Ales & Asterie cum te decepit & ales
  Idem cum puerum traxit ad astra Phrygem.
Quid referam Inachiæ toties mutata Juvencæ,
  Ora vel Arctoi sidera fixa poli?

Cur doleat Juno, tellus, mare, ſidera præbent
  Ni contenta ſui parte ſit illa Jovis?
Quid, Neptune, tuos dicam, quid fratris amores?
  Signata eſt flammis Siculis ora tuis.
Haud immunis abis, Mavors, nec prœlia tantum,
  Fama canit, notus quam tuus extat amor.
Qúid Phœbus? Maiaque ſatus? reliquique Deórum?
  Aut amat, aut nihil eſt quiſquis in orbe Deus.
Si pater omnipotens, hominumque, deumque creator,
  Cujus ad imperium quidquid ubique tremit.
Si numeroſa Deum toties ignara propago
  Exarſit flammis uſta cupidineis,
Tale pati jam turpe nihil mortalibus ægris,
  Me vincat, dum ſic vicerit ante Deos.

In amicam fugientem.

Fugiſti ſatis, o ſatis ſuperque.
Sum longe ſatis, ac ſatis ſecutus.
Jam jam deſine, non ſequar volentem,
Nolentem modo jugiter ſecutus.
Expectas, cremer & ſequar perenne,
Quod paſſim cupidi ſolent amantes,
Cœlo cum Jove teſte polliceri
Dura ut pectora molliant amantis.
Non ſum qui fueram, color nec idem,
Nec vultus tibi, nec vigor, nec ætas.
At tu ſollicitam ſecutionem
In ſola poſitam fuga putabas.
Sic olim leporeſque, capreæque,
Sic cervus mihi longius placeret.

In Amicam ingratam.

Tempore, amore, fide, precibus, lacrimiſque, perenni
  Servitio numquam flectere te potui.
Quid non perfeci? quid non te propter omiſi?
  Redditur officiis hæccine palma meis?
Quæ pietas? hominis quid in iſto corpore regnat?
  Thrax flexit Stygios mole minore Deos.

Et

Et dubitabit adhuc quis contingentia rerum
  Nomina, naturâ, nec ratione dari?

De ſeipſo.

Diffitear ſi forte mea me laude moveri,
  Mentiar, humano ſum quoniam ego ingenio:
Præcipue laudante viro, qui jure meretur
  Laudari: qualem te mihi fama dedit.
Quem Muſæ, quem Phœbus amat, cui fonte relicto
  Idalio, comes it & Venus, & Charites.
At mihi cum Muſis nihil eſt, natura negavit
  Carmen Apollinei munera ſacra chori.
Uberibus tibi vernat humus, Parnaſſia glebis
  Provenit, & nullo multa labore ſeges.
Nos ſterilem colimus obtuſo vomere terram,
  Raraque defeſſas ludit ariſta manus.
Hæc animo ductante ſibi mens conſcia ſentit,
  Et damnat vires debilis inde ſuas.
Inde tuos animos, afflataque pectora cernens,
  Neſcit judicio non dare cuncta tuo:
Perque vices animi varias huc fertur, & illuc,
  Ut levis adverſis fluctibus acta ratis.
Parce ferire novis trepidantia pectora telis,
  Sit tibi cedentis terga videre ſatis.
Obvia forte meo dum ſit Venus aurea Floro:
  Nate, refert, molli quo pede tendis iter?
Arcuſque, pharetræque, faceſque, leveſque ſagittæ?
  Quæque tuos oculos vitta tegebat, ubi eſt?
Verſicolor quo penna abiit? quid veſtibus artus
  Contegis? hac hominem, vel petis arte Deum?
Ille ſub hæc, aliena refers, nec tela, nec arcus
  Novimus, aut ullas tendimus inſidias,
Tunc Venus: haud homini cedet qui nomina fallit,
  Non alius cœlo regnat inermis amor.

Ad Amicum.

Unde tibi tantos veniam novus inter amantes,
  Si vacat haud dubiis accipe vita notis.

Fortunis confixa ſuis ruit irrita amantum
Turba: ego perpetui fretus amoris ope.
Hos facies peritura movet: me forma ſuperſtes.
His modo pulchra, mihi pulchra pudica places.
Quod nihil eſt illis, ſatis eſt mihi; non licet una
Eſſe, loqui, miſtis ſeria ferre jocis?
Voti hæc ſumma mei tamen, huic uti ſerviat omnis
Quantulacumque mea eſt ſors, manus, ingenium.

Ad Theleſinam.

Si te habeo, Theleſina, habeo omnia, ſi omnia præter
Te Theleſina habeo, nil Theleſina habeo.

Ad amicam.

Promittis, promiſſa negas, offerſque negata:
Qui ſequitur refugis, quique fugit, ſequeris.
Spreta ardes gratis, ſpernentem ſpernis amatum.
Dilexi, ſperno, diſperеam niſi amas.

In Luicum.

Grandia terrificis minitaris, & aſpera dictis.
Et verbum pluſquam ſeſquipedale tonas.
Pulveris in faciem redigis: teris, obruis uris,
Dilaceras, torques, ignibus, enſe, fame.
Hinc metui te forte putas hinc ſperneris, ex quo
Latranti prædam non capit ore canis.

Nemeſis.

Qui mare, qui terram, quique aëra miſcuit igni,
Terrificans animos peſte, cruore, fame:
Pendulus, exuſtus, vento jactatus, & undis;
Præda jacet terræ, & aëri, & igni, & aquæ.

Sepultura.

Des licet & cineres ventis, & des licet undis:
Jactatis tumulum ventus, & unda dabit.

De eodem.

Quid laqueum, crudelis, adhuc, tumulumque negatum
Obiicis, & multo membra perusta rogo?
Omne genus lethi puncto concluditur uno,
Victaque supremo vita dolore fugit,
Absumpsit gelidos ignis generosior artus,
Sordida ne obscenis vermibus esca forent.
Excipiunt cineres venti, fluviusque tepentes.
Quid facis? est aliquis & mihi in orbe locus.
Sed quoque tu moriere: ego te pereunte superstes,
Ingenii vivam nobilitate mei.

Ad Febrim torquentem Amatam.

Quid tibi cum teneris, Febris audacissima, membris?
Jam potes æternos vel violare Deos.
Heu quænam miseris mortalibus invida tantum
Sanxerunt nocuæ fata licere tibi.
Non te purpurei tangunt, mea numina, vultus?
Non ætas Stygios apta movere Deos?
Hoc poteris macie corpus tenuare nefandâ?
Has pallore genas tingere purpureas?
Dii precor, ô, si quæ cœlo mortalia curant,
Si qua usquam pietas, hoc prohibete nefas.
Vertite nunc, si quas admisso crimine pœnas
Poscitis, in meme vertite tela precor.
Aut si forte mori fixum juvenilibus annis,
Hora precor miseros auferat una duos.
Vel potius, quod magna decet dare Numina munus,
Omnis ab innocuo corpore languor eat.

De seipso.

Cerva ursum fugit, agna lupum, lupus ipse leonem,
Accipitrem volucris, quo sibi tuta fuga est:
Hostes quisque suos, ego solus prosequor hostem:
Hæc mihi confugii sola relicta domus.

In laudatorem Marulli.

Quod mihi verſiculos laudas, & ſcripta Marulli,
Laudo ego, ſi laudis terminus ullus erit.
Sed mihi quod toties laudes, totieſque Marulli
Carmina; confiteor non tolerare queo.
Deſine; laudaſti, ſatis eſt: ne forte Marulli
Credantur verſus laudis egere tuæ.

De Rancido.

Oderunt omnes, dixi, te Rancide, at ille:
Si potes, invenias quos ego, dixit, amem.

Ad formoſum.

Naturæ ſpecimen quo ſe ſe contulit omnis,
Gratia, Mens, Animus, Forma, Pudicitia.

De Morte Fratris.

Quod moreris Frater. nihil Mors attulit exlex;
Quod dives, Crœſus ditior, & Darius
Quod juvenis, prima multi periere juventa,
Quod pulcher, forma neſcia parca capi.
Quod ſapiens, veterum præceſſit turba virorum,
Quod felix, paucis contigit ante tamen.
Quod cives, juvenis, ſapiens, quod pulcher, honeſtus
Et felix, uni fata dedere tibi.

Ad Paulum.

Unum ut convenias tres, Paule, relinquis amicos.
Officium ſi hoc eſt, officioſus homo es.

Lectori Liber.

Sim licet exiguus, Lector, ne ſperne libellum:
Perlege: mox dices, grandis ut iſte liber;
Ima probat moles, formæ vis maxima ſummis
Sic vincit Parias, Indica gemma, molas.

De Laurent. Medice.

O quis Cœlicolum numine dextimo
Nascenti tribuit se tibi præsidem,
Vitæ præsidium, & dimidium meæ?
An qui terrificâ fulmina Juppiter
Dextrâ coniicit è sidereis polis?
Aut de Pierio vertice Delius,
Prospexit, rediens omine prospero?
An sacro implicitus tempora pampino
Indorum domitor, tygribus asperis
Evectus geminos arduus ad polos?
Armentive dolo raptor Apollinis,
Cui serpentigeno dextera lucido
Ornatur baculo, lævaque tibia?
Aut quæ de patrio vertice protinus
Sublimi exiliit casside fulgida,
Sacratis clypeum cincta draconibus,
Pallas Gorgoneo lumine? seu Jovis
Conjux, atque soror? sive superbiens
Per silvas variis Cinthia, belluis
Prostratis, numero mixtaque virginum
Ingens progreditur cernua per nemus?
Aut cui Diva Paphos sub ditionibus
Mitis cæruleis edita fluctibus
Paret, flammifera cui face filius
Ignes, heu, miseris implicat ossibus?
Non uno satis ad nobile corporis
Existente Deo sufficiens decus:
Incertum generat bella negotium.
Convenere simul Juppiter, & Dei,
Concordique animo, præside nasceris
Divûm concilio, munereque omnium.

Ad Naldum Naldinum.

Nalde decus nostri, venerandaque gloria sæcli
Ingenium siquid, doctaque corda valent;

Acci-

Accipe prima meæ cupido libamina mentis
  Scandentis Cyrrhæ culmina ad alta gradu
Quæ rudis ignota primævo flore juventæ
  Lima Castalius trivit ab arte calor
Quis ego sollicita, & multa vigilata lucerna
  Ingenii stimulum carmina sacra peto
Carmina Gorgonei pleno quæ fluminis haustu
  Dant tibi Thespiades, Thespiadumque parens
Ut duce te Aonii summa ad fastigia montis
  Tollar, & è gemina laude superbus eas.

Ad Angelum Politianum.

Angele, Pierios inter grave nomen alumnos,
  Præcipuum nostri temporis ingenium;
Quem bene consultum fato servante, negabit
  Jure soror numquam Thespias esse sibi.
Erue congestos exculta mente labores
  Neu tuus incassum sudor, & algor eat.
Consule venturo scriptis gravioribus ævo,
  Vincat & hærentem posteritatis amor.
Natus homo est homini, male grati pectoris ille est
  Ingenii quisquis condit avarus opes.
Gloria spernentem sequitur laus; utile, honorque
  Vel fugiat, virtus sufficit una sibi.
Gratius hirsutos inter rosa candida vepres
  Ridet: & arenti pulchrior unda loco
Exilit impatiens angusta sede teneri
  Ocyus, & fertur lata per arva bonum.
Hoccine avaritiæ poterit cohibere potestas?
  Victurusque brevi tempore livor edax?
Turpiter argenti cælat si pondera, & auri,
  Turpius ingenii condit avarus opes.
Quid nondum nati, quid nam meruere nepotes.
  Ipsa luet patrum crimina posteritas?
Futile nomen honos, laudes, & gloria utrisque
  Communis, virtus possidet una bonos.
Consuluisse suis æterna nepotibus illa est
  Gloria, fama, decus, utilitas, & honor.

Epi-

Epitaphium Marsilii Ficini.

Hic situs est magni sacrum qui dogma Platonis
  Marsilius patriæ tradidit, & Latio.
Exuvias tellus, cœlestes spiritus oras,
  Diva sed & terram fama, polumque tenet.

Ad Jacobum Nardum.

Horres dulciculos meos Jambos
Qui nomen nisi nil habent Jambi.
Pulchella facie, venustulaque,
Qui sint melliculo vel Atticillo
Vel longe Siculis favis sapori.
Horres immerito meos Jambos,
Sed nomen satis est habere Jambi,
Quod durum cruor efficit Lycambæ,
Esto, si placet horreas Jambos,
Dum non Hendecasyllabos tremiscas,
Et lasciviolos meos trochillos
Et nervum rigidi, & pharetram amoris,
Qui nec Cœlicolum timore regi,
Nec matri pietate, nec sibi ipsi,
Nedum Nardiolo meo pepercit,
Jam tu, si bene te, Jacobe, novi
Mavis Hendecasyllabis Jambos.

De obitu Marulli.

Ingenio Phœbo, belli par munere Marti,
  Graja domus, Cecina busta Marullus habet.

De eodem.

Evasit toties hostilia tela Marullus
  Ut Cecinæ tumidis obrueretur aquis.

Ad Joannem Oricellarium.

Sic tibi ſiderei faveat Regnator olympi
Et tua felici cepta ſecundet ave.
Sic lætos ſine labe dies ſic tempora præſtet
Candida, nonnullis intemerata malis;
Quis Deus auſpiciis cohibet tua vela ſiniſtris,
Incurſu ceptum quæ mora tardat iter?
Heu ſortem, & noſtris toties contraria votis
Nunquam fata meis exſaturata malis
Forte Deam nullo contectam vidit amictu
Actæon, pœnas non minus ille dedit
Impia, Tantalidæ Niobes convitia matris
Inſcia bis ſeptem corpora morte luunt.
Cadmeiden oculi Juvenem fecere nocentem
Inſcius, at nudam viderat ille Deam.
Tantalidæ nullo meruerunt crimine mortem
Quidni, ſacrilegæ viſcera matris erant.
Ille ſuo, matris periere hi crimine, nullus
Quo peream matris non meus error erit.
Diſtulit in longum tempus ſperata Joannes,
Num precor exemplo diſtulit illa meo?
Quid mihi quid faciant alii dirumve, piumve
Proficit aut ipſo jure nocere poteſt.
Therſitæ ne moram celeri qui ſcribat Achilli
Aut pius aut ſanè mentis habendus erit.
Confundi ſi cuncta placet, ſi ſcindier æquum,
Et certam nullis rebus adeſſe Fidem
Jam pius Æneas nihil a Buſiride differt,
Anchiſen humeris vexerit iſte licet;
Ille, nephas, ſacris violatis hoſpitis aris
Paverit humano ſanguine dirus equos.
Tu quando da veniam, dum ſic poſcente coacti
Materia, rebus nomina vera damus
Tu quoque quem nulli fas eſt dixiſſe nocentem
Impius ad ſcelerum maxima quæque venis
Dii melius, quam corrupti miſerabilis orbis
Impietas mores fregerit ipſa tuos

Ma-

Magnanimis certare animo, pietate, fideque
  Natus es, & ſumma vincere laude pios.
Res diis judicibus, & ſpectatoribus iisdem
  Digna eſt, laudatos vincere laude viros.
Non ego, non mecum tu collaudaveris illum
  Flagitiis alios vincere quiſquis avet.
Vera, gravi gravitate, probo probitate, fideque,
  Gloria, certare eſt, & ſuperare pares.
Ergo agedum laudis veros imitatus honores
  Rumpe moram, & grato pectore redde vices.

P. Criniti Epitaphium.

Heus audi, properes licet viator;
Criniti tumulo teguntur iſto
Dilecti cineres ſacris Camœnis.
Hoc ſcires volui, recede felix.

Epitaphium Guidantonii Veſpucii.

Interpres gravis utriuſque juris,
Qui ſe mellifluæ fluore linguæ
Non Veſpæ, aſt apium genus probavit
Guido Antonius hoc jacet ſepulchro
Is quem vivere oportuit perenne
Vel numquam Superum videre lumen.

Laus Lucæ de Albizis.

Senſerat Albitius ſua Lucas ſtamina rumpi
  Cum vires laxo deficerent utero;
Uxorem, & charos ut circumſpexit amicos
  Ad flentes ſiccis retulit hæc oculis:
Dives, honoratus, populi ſublimis alumnus,
  Dilectus vixi civibus, & patriæ
Debita perſolvi Patriæ quod denique reſtat,
  Jam ſua naturæ reddere jura paro,
Eſte procul curæ tenues mortalia cuncta,
  Jam meus ætherias ſpiritus haurit opes
Dixit, & ardenti defixus in æthera vultu
  Deſtituit gelido frigida membra thoro.

I de-

I decus egregium Patriæ languentis, honosque,
O veniant gestis æmula sæcla tuis.

Epitaphium Francisci Valorii.

Franciscus hic sepultus est Valorius.
Diebus unum quem suis Florentia
Civem manu, ore vidit integerrimum.
Paterno amore consulentem Patriæ,
Qui Patriæ nequid suæ non traderet,
Vitam furori civium hostiam dedit.

Epitaphium Thomæ Soterini.

Soterina domus Thomas eques hic jacet, hospes,
Virtuti, & Patriæ vixi, obiique Deo.
Hic nati posuere. Sacri dux alter honoris,
Frena Petrus Patriæ temperat alta suæ.

Satyra, quæ & Verna Profectio.

Ardua Fesuleæ menso fastigia molis.
Ad Boream modico se vertice Regius offert
Mons scatebris prædives aquæ, venaque perenni,
Tergemino quæ fonte cadit, strepituque canoro
Grata viatorem liquidas invitat ad undas.
Huc ego quindeni tandem sub sidere Veris
Pertesus, curasque graves, urbemque, domumque,
Meque ipsum dum forte vehor comitante ministro
A pedibus vix prima domus vestigia portis
Extuleram, fremitus, & vox ferit eminus aures,
Quo properas? heus Aule mane, subsistimus, ecce
Improvisus adest, quo non mihi junctior alter
Fulvius Hesperiis nuper regressus ab oris.
Quod te consilium, quis te Deus huc agit, inquam?
Fors, ait, & dubiæ gravis inconstantia mentis
Ire licet quocumque trahit Fortuna parato.
Quam bene quam pulchre nos inter convenit, ergo
Pergimus, & vario rerum sermone vicissim

Nunc ludicra vagi ſerimus: nunc ſeria ſenſim
Noſtra peregrinis antiqua recentibus orſi
Conferre, & multa multorum laude merenti
Jus dare cuique ſuum, juſtaque expendere lance
Martis, & indomitæ ſtudia ingeminata Minervæ,
Tam magno, pulchrique alto certaminis æſtu,
Ut prope ſopitis nimia dulcedine palmæ,
Senſibus una ſibi totum dum vendicat auris,
Jus animæ arbitrio temere veheremur equorum.
Trans mihi principio conceptæ prædia Villæ
Cum famulo ſimul immemores noſtrique, viæque
Ad paſſus propè mille, levis ſpaciantibus error,
Parvaque nec multo jactura abolenda labore.
Obverſis igitur proris, ventiſque vocatis
Vela damus Trifidæ repetentes murmura limphæ,
Illa equidem ſitiente meo, ſociique caballo,
Et famulo poſcente libens, aviduſque reviſo;
Nam liquido currentis aquæ, ſtrepituque cadentis
Egregiæ ante alios oculos oblector, & aures.
Præcipue cum Vere novo jam gramina ſurgunt,
Candidus & Tyrii Sol appetit aſtra juvenci.
Tunc anni quod tempus erat, jamque hora premebat
Nona diem, ventoque carens, & nubibus Æthon
Arida clivoſi ſiccabat prædia ruris,
Cum bene curatis vectoribus altera mentem
Cura ſubit, qua parte cibum, qua ſede petamus.
Nullus erat mihi notus ibi, & ſi forte fuiſſet
Clauſa repellebant adeuntes hoſtia ventres.
Poſcere ruricolas aliquid nece durius omni
Eſſe videbatur famulo, qui noverat horum
Perfidiam, menteſque truces, odiique venenum.
In cunctos noſtro præſertim tempore cives.
Conſulitur, quæ ſtet ſententia; caſtra movere
Cuncta jubent; propere tolli vexilla jubentur,
Fortunamque ſequi, mutatis ſedibus olim
Acceſſiſſe viris longe majora relictis.
Pulſa Tyro magnæ Dido Carthaginis arces
Condidit, & Libyæ late regnavit in arvis.

Antenor Patavi ſceptris, ſolioque potitus,
Nec minus Æneas Latio majoribus uſus
Intulit auſpiciis Veſtam, victoſque Penates
Unde genus dominæ traxere palatia Romæ,
Surgit ad hæc ut ſæpe ſolet ſolamen in arctis
Relligio, quæ ſero jubet jejunia ſolvi,
Nec niſi vicina medii jam parte diei
Fas cuiquam poſitis epulas attingere menſis
Linquimus inriguos fontes, & amœna fluenta
Ventum erat ad trivium, conſiſtitur agmine toto.
Nunc mihi Pierides faveatis, & augur Apollo
Concordes ſervate pios, procul omnis abeſto
Seditio Mavorſque furens, & triſtis Enyo
Unanimes hic ante viros ſententia diſcors
In diverſa trahit, poſcor qua vertere greſſum
Semita commodior, laudo compendia dextræ.
At ſocius: multo potior mihi læva videtur.
Qui refero, longe primum prolixior, & quæ
Aſpera clivoſis habitetur rarius agris,
Quo nihil ad noſtri confert minus agminis uſum
Non unum, a dextra hoſpitium ſi forte neceſſe,
Occurſumque hominum invenias, villaſque frequentes.
Ille loco propriora ſuis mea prædia multo
Oblitus, nugare puer petulantius inquit
Qui mea me doces, ubi ſis quicumque loquaris,
Te fugit Andabatæ ritu certare parati,
Nunc tecum fueris, quamvis oculatior Argo,
Lynceus indigne patriam novus indicat hoſpes;
Excidit invito riſus, vox excidit, ergo
Pes capiti manibus vicinior, auribus unguis,
Te lapis hinc decimus removet, me quartus, ut olim
Viſa diu memori merito ſub pectore ſervem,
Erubuit, tetigitque homini pudor alios ægrum
Bile jecur, quod vox, quod vultus prodidit: ergo
Ibitis ad dextram dixit, nos læva petemus.
Hic famulus dure factis, quos nulla Faliſci
Cura movet, ratione mihi defendere partes
Ne prohibete meas, & tramitis hujus amicæ.

An-

Ante oculos ſeſe medium qui tertius offert
Hunc alacres animis paribus, votiſque ſequamur;
Hic nos Feſuleas recta deducet ad arces,
Aut (ſi non homini cuiquam concedere certum eſt)
Quid vetat hanc dominæ litem committere ſorti.
Mitibus hæc referens verbis, vultuque ſereno
Correptas utriuſque manu tractabat habenas,
Seu propior melius quo vox penetraret in aure,
Sive renitentis curſum preſſurus amice,
Ex uſu quod forte fuit, nam ſidere lævo
Fulvius ille ut erat juſto turbatior alvum
Inſontis ferit aſper equi, diſcedere certus,
Taurus ut inſtantis furiis agitatus Aſyli
Et lentos lævum frenos detorquet in orbem
Proſiluit ſonipes, ſpatioque incluſus iniquo
Declivi inter ſaxa ſolo male credita fulvæ
Anteriora pedum veſtigia firmat arenæ.
Quod niſi præcipiti laxas preſſiſſet habenas
Ore manuque puer, & toto corpore nixu;
Et niſi opem non abſque Deo mea cura tuliſſet
Fuſus humi cecidiſſet eques, nam fracta ſuperne
Cingula conſutæ qua fibula nectitur oræ.
Ecce autem viridiſque ſenex, natuſque repente
Improviſi adſunt, nam qua conſiſtere juſſit,
Et fors, & ratio ſubiti properanda pericli
Dimidii ad ſpatium prope jugeris æqua parumper
Subſidebat humus parvo mox edita clivo
Rurſus in obliquum declivius ima petebat
Quæ natura loci, nec non & cura ſodalis
Intentos aliis animos, oculoſque fefellit,
Hic ubi me ſenior propius conſpexit acute
Intuitus propere accurrit, capitiſque remoto
Tegmine, comprenſæ trepidus dedit oſcula dextræ,
Atque ait, o ſalve generoſi clara propago
Sanguinis, & gentis noſtræ columenque, decuſque,
Quis Deus huc hodie, quis te appulit alite dextro,
Ut præ lætitia vix ſum bene ſanus apud me,
Da veniam cupido mecum prandebitis ambo

Ni piget hoſpitii tenuis veteriſque clientis,
Tardior hora monet noſtræ gurguſtia villæ.
Haud procul exacto, quæ jam poſſedimus anno.
Sic ait, & propere juvenem præcurrere juſſit,
Quem locus, & cultus dubium quem fecerat ætas
Agnovi de voce ſenem, fidumque clientem
Semper, & hoc ipſo opportunum tempore, multa
Præterea inter nos ultro citroque relata,
Diſſita dum ligulæ junguntur ephippia nodis.
Sic tamen ut ſuto fugias te credere loro;
Ergo quod æqua, brevis, facilis via ſuadet, & umbra
Mollius hinc illinc interpollata frequenti
Compoſito pedibus ſenſim procedere viſum eſt;
Progredimur, facilemque viæ fallente laborem
Alterno ſermone lares intramus amicos.
Hic primum juſſi curamus corpus, & ipſum
Spectamus poſitumque loci, vicinaque rura,
Altius admoti ſpeculæ dum ſedulus hoſpes
Interius cum ſtirpe dapes, & fercula curat,
Penè quadrata domus tabulatis acta duobus
Qua Borean, Eurumque procul, qua reſpicit Auſtros,
Altius extantis jungit latera ardua turris,
Cujus ſumma colunt Paphiæ de more columbæ.
Cuncta domus viridi circumdata gramine prati,
Præter eam Solem ſpectat qua parte cadentem,
Cui pro veſtibulo tecti ſuperimminet umbra,
Janua lata ſatis, ſed non ut longa requiras
Atria, & Hippodromum, thermas, ſpecularia, quando
Nulla periſtylii facies nec certa cavedi
Forma, cohors ſeu Xiſtus erat, ſive ortus ad Auſtrum
Conſitus Heſperidum malis, Peſtique roſetis,
Floribus, & violis, & gramine vernat olenti,
Ruſtica Phœbeos ubi porticus imbibit ortus,
Nam buxi longe effigies topiaria longe.
Præla tamen ſatis acta locis, oleæque trapetum
Occurunt, puteuſque brevis, venaque perenni,
Sub terriſque frequens vinaria cella diotis,
Cumque penu calidæ ſtatio opportuna culinæ,

At

At ſtabulum poſt cortis aves, longeque recedit
Adveniens, quo juſſus equos curare Faliſcus,
Cum puero fenum, & duplici tulit ordea vallo.
Hæc inter ſtructis epulis bonus advocat hoſpes
Jam ſtomacho poſcente cibum, calcarque volanti
Subdit equo, ſequimur, cœnatio ſuſcipit illa
Non indigna domo, ſpacii, cultuſque tenore,
Non hic infuſas manibus puer excipit undas;
Malluvio ſpinæ ſubducta cuſpide ſiphon
Perpetuo vivo latices de fonte miniſtrat.
Forſitan & dapium fuerint quæ fata requiras,
Quæ facies ambo, poſtquam conſedimus hoſpes;
Quem prandere ſimul pietas, res, moſque jubebat,
Abnegat & tanto ſe dedignatur honore,
Nos contra obnixi contendimus, ille pudore
Quo magis inſtamus miſere magis uſque recuſat;
Mox tamen urbanis Fulvi ſermonibus actus
Dat victas cum voce manus, ſupplexque fatetur
Secum pranſuros, quos invitaverat una,
Prandendum eſſe ſibi credo divinitus actum,
Ut qui diſſidii cauſas conſeverat, idem
Solveret indignæ commiſſa piacula noxæ;
Dulcia tranquillæ revocans commercia pacis.
Hæc tibi diſcubitus fuerint præludia noſtri
Non tamen exodii ludos, nec dramatis omnes
Polliceare, tibi ſupremum ad plaudite partes.
Plura viri fortuna loci natura docere
Quemque poteſt, & ſi ſineret Germania tempus
Neſcio qui ſenſim tam multis obvia monſtris,
Quot veterum mentes caligavere tenebris.
Nam quorſum longis ambagibus ordine dicam
Furcillas, cultros, tripodes, mantilia, mappas,
Quæve abacus, quot nam, vel de quo, vaſa metallo.
Non hic ſtellato radiat carbunculus auro,
Non locus argento eſt; ſtanni, vitrique ſupellex;
Candida florigeræ dirimit confinia menſæ,
Aureus in phialis vini color, oſtreus ardet
In calatis ficus, fractoque putamine juglans

Nuda jacens pariterque hesternæ conscia lucis,
Munda Ceres cupidi pepulere repagula ventris,
Nec minus ex acri meditullia mollis aceto
Lactucæ, & teneri mentæ cum cappare caules,
Et quas irriguis herbas alit hortulus undis,
Et salis, & glaucæ nitentes rore Minervæ.
Quin & ceparum teneri sine cortice bulbi.
Terrigenam denso cingebat stipite lancem,
Mox apio, & tritis concocta cicercula porris
Fictilibus mensas onerat, thynnique resectum
Pinguis aromatibus rutilat latus, humet aceto,
Præterea sale duratos ad pabula fungos,
Quos multa purgarat aqua, tenuique farina,
Contigerat, stridente oleo sartagine tostos
Sedula ponit anus, nata comitante, simulque
Tres patinas gestante breves, albumque liquamen,
Quod bene contusis nucibus, panisque medulla
Cum sale, & ex uvæ succo conflarat acerbo,
Quo prius effracti nucleum madefecerat alli
Torpentis fomenta gulæ, stimulumque palati.
Dicat ad hæc aliquis, quid nam? tuus ergo Filiscus
Stertebat ne cubans nobis prandentibus, ille
Pro Ganimede fuit, Bacchi, Cererisque minister,
Præsto ubicumque foret, quocumque exposceret usus.
Ecce autem æripedum post curam missus equorum
Junior hospes adest dictaque salute parenti
Ad votum successit, ait, res omnis, & ultra
Spem, longe expiscatus eo genus omne natantum
Membrana, squamave aut crustæ munimine tectum.
Quodque fide majus ducas numeroque modoque
In caput exossi crescentes corpore pisces
Vicinæ torrentis aquæ Minionis alumnos,
Diis grates, etenim quem te mandante petebam,
Jam mediam superante via venit obvius Olpis,
Et procul: accipe, ait, quod me petis hæc habet urna;
Parce loqui, accelera novi omnia doctus ad unguem
Quid cessas? abeo lætus, matrique parandas
Trado epulas, nos si qua fides properata furenti
Ne

Ne date vela Noto, Zephyri ſecurius auræ
Credite, vel lento ſubituri remige portum.
Hæc puer ætatem ſupra ſortemque locutus
Pro meritis laudatus abit, quo deinde miniſtro
Nequicquam Samii faba juſſis eruta ventris;
Ignis, aquæ, ſaxi, bis, ter, male torta flagellis,
Ferventeſque olei, frixique uredine porri
Ponitur, extremæ vacuo pro margine menſæ.
Pelamidumque breves evulſis oſſibus arctus
Pigmentis. ſuccoque acres mordacis aceti,
Nam ſtridente recens cocti ſartagine piſces,
Anguillæ, & teneri Lunæ munuſcula cancri
Pythagoræ præcepta ſenis ſervare jubebant,
Utque ſatur viſu decoctos ignis ommittam
Aſparagos, multoque blitum ſartaginis æſtu.
Non hic Heſperidum ſibi quis promiſerit horti
Aurea pervigili quondam ſervata Draconi
Hippomeni quæ mala Venus donavit amanti
Menalia celerem curſum vinctura puellæ
Aut Corcyrei pomaria mira Tyranni,
Sed pro ſorte loci non aſpernanda palato,
Non oculis decerpta recens ex arbore jures
Autumni, ſummo vernantia robore poma,
Nec cucumis duro, parilique cucurbita libro,
Hybleis ſaturata favis, citrique putamen
Deſeruere dapes, nucleoque, & cortice juglans
Mollior, & primæ nux pinea, neſcia pubis,
Ultima conſpicuæ clauſit bellaria menſæ
Fœniculi cum faſce brevi nux plurima putri
Pro ſale ſacchareæ circumlita pulveris hauſtu.
Verba dapes inter, menſiſque alterna remotis
Muſa referre negat; longum perteſa laborem.
Nam tribus exactis curſus jam partibus Æthon
Pronior Heſperii properabat ad æquora Ponti,
Utque fit incerti nonnunquam tempore Veris
Obduxere diem ſubita caligine, nubes
Et ſtratis Faliſcus equis properare jubebat,
Non obſcura timens pluvii præſagia nimbi.

Undique tam validis, & tot coëuntibus ergo
Digredimur, Zephyrique Notum ſuperantibus alis
Exorti, Soliſque via, pluviæque potimur,
Et tectis læti tandem ſuccedimus urbis
Unanimes, pariter dictis factiſque ſodales,
Copula amicorum titulos auctura quadrigæ,
Ægida cum glauca Pallas mutabit oliva,
Et cytharam poſito contendet Delius arcu,
Cumque ſorore pudor laceri miſerebitur orbis.
Quæ pietas, quæ ſumma tibi clementia rerum
Ocyus omnipotens opifex res aſpice noſtras
Ne tamen immodica placidi dulcedine curſus
Garrula verboſæ ſubeat contagia linguæ
Grande ſed invalidæ vitium commune ſenectæ,
Pone modum ſtimulis, & preſſos contrahe frenos.

S I L V A

Cui titulus Virbius in Leonis X. Pont. Max. laudem enarrata.

Invia Cecropiæ rimatus paſcua ſylvæ
  Hippolytus, rapidos arte regebat equos,
Ecce ferum triſti tollens caput æquore monſtrum:
  Eminus abſortas ejaculatur aquas:
Diſcurrere feri ſubito terrore jugales,
  Diſiectis radii diſſiluere rotis,
Concidit, & fracti diſcerptus pondere currus,
  Frena tenet lacera ſanguinolenta manu.
Aſtitit, & fotum gremio Dyctinna pudico
  Aſclepi ſacros protulit ante pedes:
Siquid, ait, merui, ſi quid potes arte medendi,
  Hoc age, & in puero me mihi redde nepos.
Plura dolor vetuit, ſenſit, purganſque, foveníque
  Vulnera Pæoniæ ſuſcitat artis opem.
Mens redit, & vires, fruitur dulcedine vitæ
  Virbius, arridet terra, poluſque Deo.

Virbius ecce recens Medicis petit aëra ſuccis,
Concipe lætitiæ Calliopœa modos.

QUidquid ab Archiva creſcentis origine Mundi
Qua ſe cumque coli pulſis humus annuit undis,
Senſerit humanæ diſcors ſollertia mentis,
Arbitrii ſecura Jovis. Cum miſcuit imis
Summa, laboriferi manus ingenioſa Promethei,
Vel cum jactatis induruit æmula ſaxis:
Deucalioneæ poſt uda pericula cymbæ,
Unius immenſi molem mihi temperat orbis
Vis, & mens, & amor, nullis obnoxia cauſis
Majeſtas æterna Dei, qui cuncta creavit
Omnipotens, qui cuncta movens immobilis implet
Immenſum, quod fecit, opus, nec cernitur ullis
Cuncta videns, cauſa ipſe ſui, ſeſeque beatus,
Non minor arcanis æternitatis in antris,
Ignotæque diu per longa ſilentia noctis,
Cum fecunda ſacra concepta reconderet alvo:
Nec major poſt lucis opes, tenebraſque rebelles,
Sidereoſque globos, elementaque grandia, formis
Alternata ſuis, mixtiſque animata figuris
Corpora, tergemini pugnantia ſemina Mundi,
Ad numeros librata ſuos, quo tempore primum
Divitias proferre ſinu, roburque potentis
Invictum monſtrare manus, largumque benignæ
Mentis opus placitum, ſeque indulgere creatis.
Sponte ſua nullo penitus cogente, ſed ipſo
Naturæ poſcente bono, penetralibus altis
Omniferam laxare penum, ſignataque longum
Horrea, & immenſos æternæ molis acervos
Venturis larga populis effundere dextra.
Ergo ubi materies nutu concepta jubentis
Emicuit, formæque decus digeſta recepit:
Ille poli metas fulgoribus, ille profundis
Manibus, & medii poſuit cultoribus orbis,
Staturaſque dedit æterna in ſæcula leges,
Et defecturum non ullo tempore fœdus.

Quid

Quid mihi Threicii casum, commentaque alumni
Vana refers? atomosque leves, rebusque creandis
Semina, diversis temere occurrentia formis.
Nonne ubi non ullis per inanes partibus auras
Componunt ramenta modis coëuntia miris,
Flammiferos Phaëtontis equos, & cornua Lunæ,
Atque ipsum immoto qui sustinet omnia gyro;
Ultimus immensi (si fors tulit) ambitus orbis
Jam duplicem, jam multiplicem spectare licebit,
Et centum gemino crepitare tonitrua cœlo,
Sed vacuo nullisque Jovis descendere fulmen
Imperiis, vanæque Deos formidinis umbras.
Non ne Poëtarum variis insomnia monstris
Prætulerim, chaos obscurum, nitidumque Phaneta,
Quæque sub Aoniæ cecinit fastigia rupis:
Intempesta senex qui mœnia provehit Ascræ,
Pierias vidisse ratus sibi adesse Sorores.
Quæ Linus & cithara pollens in collibus Orpheus
Ismariis, Rodopesque jugis, & saltibus Hemi:
Suetus aquas cantu, volucresque, ferasque morari,
Et saxa, & rigidas sylvis diducere quercus.
Infelix, frustraque sacris imbutus Jacchi.
Et frustra Eurydicen, frustra infera regna secutus,
Qui Cyconum Thyrsos, contortaque saxa, canora
Non potuit mulcere lyra; licet æquoris iras
Flexerit, Hemoniæ moderatus transtra carinæ.
Adde alios vates, & primæ nomina fame.
Mæoniden, irasque Deum, pugnasque canentem,
Captivumque Jovem, pulsi post arma parentis,
Titanasque truces, conculcatoque pudore,
Nil non permissum Veneri, sceleri que, doloque.
Tum duris fati jussis, manesque, virosque,
Cælicolasque, ipsumque simul parere Tonantem;
Aurea nexilibus cum vinciat orbibus Orbem
In se se rediens æterna ambage catena.
Unde (tuo siquid fidei Trojane magistro)
Hispida torpentes induxit porticus umbras,
Inflexumque animi robur concepit in omnes

Aff-

Affectus, hominemque ſuis ſibi vendicat armis.
Atque alias alius pro captu mentis eisdem
Fontibus haurit aquas, ut quiſque cupidine famæ
Fertur, & inventi geſtit novitate ſuperbus
Dogmatis, abducto quorum natura receſſu
Texit, & ingenii cauſas indagine cinxit.
Jamque Thales undis rerum primordia ducit.
Igne Samornei proles tenebroſa Bloſonis.
At tibi, nec Siculos ignes, nec dira timenti
Fata: Deum dum quæris iter tenuiſſe videri
Non nihil alterno diſcordia gignit amori,
Quo tamen humani deliria pectoris uſque
Proſequar? & veteris tetras caliginis umbras
Immenſum curta pelagus cohibere matella
Nitentis, ſuperaſque domos, arcemque Tonantis
Lucis inacceſſæ lutea componere teſta?
Scilicet anguſto tenebroſi carceris antro
Igne Prometheæ tellus animata rapinæ
Intima flammiferi penetralia concipit orbis
Adverſante Deo, quod ſi felicior aura
Fulxerit, exemplo rurſus patrioque, ſuoque
Juppiter ætheriæ depulſus ſedibus aulæ
Excidet, ammiſſis nec jam Saturnus habenis
Unus Acheroſii tabeſcet compede ferri
Sordibus, & canæ fœdatus tegmine barbæ.
Ipſa licet vaſtæ fidentem robore molis
Ægæona Thetis diſcordibus inferat aſtris.
Enceladique tremat concuſſa vaporibus Ætna.
Impia Flægreæ referens veſtigia pugnæ.
Poſt trepidæ commiſſa fugæ, molliſque latebras
Ægypti? quid enim ſoboles humana refugit?
Quod non auſa nefas? O primæ mentis imago
Diſſita tergemini nectens confinia Mundi,
Mole brevi, formante Deo; ſublimia magni
Nata ſubire Poli; dubio faſtigia curſu:
Diverſas ſortita vices, dum libera nexu
Sponte ſua nullo fertur cohibente voluntas.
Alterno varii jactata cupidinis æſtu.

Ne tamen hinc multum placeas tibi, neve ſuperbos
Tolle animos, lætis neque enim dum paſcitur herbis
Dum liquidas exhaurit aquas, dum buccula taurum
Suſtinet, & pecudes aries, oliduſque capellas
Hircus init: præter mentem paſtoris aguntur.
Servandi quem cura gregis, ſoboliſque futuræ
Ducit amor: pecoris ſed enim Venus ipſa magiſtro
Non minus ad votum eſt, quam cum caliginis umbra
Siderei convexa poli cinxere tenebræ:
Imbellem validis gentem defendere ſeptis.
Raptores, ne forte lupi, ne turbidus Hyber
Obfuerit: gelidique ruens injuria cœli.
Scilicet omnipotens immenſi conditor orbis
Naturæ cum jura daret, rebuſque creatis,
Tum primum fines certos, & fœdera nullas
Fortunæ paſſura vices imponeret altis
Sideribus: numeriſque ſuis elementa moveret;
Et volucrum, natumque genus, pecudeſque, feraſque,
Silvarumque comas, fruticeſque, & graminis herbas
Japetionidæ figmentum nobile dextræ
Neglectum ſine lege putes? quo ſidera certis
Temporibus, motuſque Poli ratione feruntur
Alternant elementa vices humorque, calorque,
Torpet hyems gelidis Boreæ concreta pruinis.
Ver tepidis humeſcit aquis Hyperionis æſtas
Ignibus uſta riget, gelidis crepat aridus Euris
Autumnus, fætuſque novi ſolatia terris
Collectas indulget opes, quas matris in alvo
Bruma fovet. Zephirus tepidis enititur alis
Sic alternatis diverſi menſibus anni
Aucta cadunt, redeuntque ſuis ſtata tempora rebus
Naturæ ducente manu, pars optima rerum,
Quas oculis ſpectare datum, ducis indiga triſti
Libertate perit: varioque cupidinis æſtro,
Qualis Thiſiphones agitata furoribus Ino
Deſilit in præceps: unaque amplexa ruina
Seque ſuoſque trahit, quo turbine pectoris amens
Quo ruitis mortale genus? quibus icta flagellis
Tur-

Turba furis? Quis corda Deus? quæ versat Erynnis?
Tu ne tuis æterna putas prævertere magni
Consiliis decreta Jovis? quibus ordine certo
Magna renidentis torquetur machina Mundi,
Vel sensu, vel mente capax, ut molibus ipse
Spiritus, infernis præstent sublimia rebus.
Illa quidem, nullo penitus nutantia casu
Æternos visura dies: hæc inscia certo
Stare loco: fetusque novi subnixa tigillo
Quæ diversa, modis in se coëuntia miris
Gens hominum augustæ nectit sub imagine formæ:
Nata Deum penetrare domos, & fulgida Cœli
Sidera: dum memores, cœlestis originis annos
Exigat, imperio non adversata Tonantis.
Ipsa sibi discors, pugnantibus undique rerum
Seminibus; quam luxus iners, & dira cupido
Quam tumidi fastus, animi, cæcique furores
Præcipitem stimulis agitant; si frena voluntas
Excutit, & victa passim ratione vagatur.
Arbitrio furibunda suo, velut obice rupto
Præcipitant torrentis aquæ, convulsaque ab imo,
Roboraque scopulosque trahunt, vel pulvere campi
Indomiti spaciantur equi, cum rector habenas
Deseruit, viduoque labant temone quadrigæ.
Inde truces animos, & nescia cedere recto
Pectora, & insanas agitatæ mentis Erynnes
Induimus: quales nigri post Tartara Ditis
Alciden egere Canes, vel sanguine nati
Eumenis Ogygiæ dextram maculavit Agaves.
Utque Thyestiades tragicos Agamennone cæso
Inflavit lituos, gladio casurus Orestis.
Colchis Jasonios de se cum pellice natos
Sustulit, Hemonii post fata miserrima Regis.
Sic damnata fero moliti regna Creonti
Oedipode, pereunt per mutua vulnera fratres.
Amissisque senex generis tabescit Adrastus.
At Paris Oebalias furtim populatus Amyclas
Lætus Acidaliæ sequitur dum munera Divæ:

Idæis

Idæis promiſſa jugis: cum Palladis artes
Nuda Venus, Junionis opes ſe judice vicit.
Europen Aſiæ furialibus intulit armis,
Dardanaque Argolicis evertit Pergama flammis,
Exul ut emenſi poſt multa pericula ponti
Æneas, Latio fatis melioribus urbem
Conderet, & magnæ ſtrueret primordia Romæ
Gentis Juleæ ſuperos aditura triumphis.
Ad ripas, Tiberine, tuas nec luſtra ferarum
Obſtiterint: nec ſepta rudi magalia culmo
Paſtorumque manus, collectaque Martis Aſilo
Colluvies, Italæ ſcelerum damnata juventæ:
Quominus Æneadum late ſuccumberet armis
Terra, cruentatis Macedum concuſſa Sariſſis:
Cujus Achemeniis liverent terga flagellis,
Medorumque notis, poſtquam Babylonia Suſis
Ceſſit, & Aſſiriæ ceciderunt mœnia Nini.
Tum demum meritas temeratæ ſolvere pacis
Juſſa vices: quæ prima feras in prœlia turmas
Eduxit: populoſque rudes, & neſcia belli
Pectora, præteritæ nequicquam tempore vitæ
Libera, ferre jugum, & Martis terrore coëgit
Servitiumque pati ſic alternata viciſſim
Gaudia miſcentur lacrimis, & triſtia lætis
Ima petunt ſublime: ruunt in Tartara, ſummo
Quæ ſteterant ſuprema loco, genteſque per omnes
Arcanis verſata modis, hominique negatis
Ancipiti levitate fluunt, velut ultima Tethys
Oceani refluo quæ concutit æquora fluxu:
Quas Scyllæ verſat rabies, æſtuque furenti
Sorbet in abruptum, rurſuſque ſub aſtra Charybdis
Ejaculatur aquas, neque enim cognovit ibidem
Stare diu quidquid ſenſus mens concipit hauſtu
Conſiliis, Rex magne, tuis, quibus ignea mentes
Aſtra movent, elementa regunt, mixtæque caducum
Molis opus, non lege quidem quam dixeris unam
Diverſa tamen eſſe neges, cum conſona rerum
Naturæ ſint jura: liræ ceu fila canoræ

Con-

Concordes vocum referunt discrimine cantus
Nam licet ancipitis variante cupidinis æstu
Huc olim referamur, & huc animoque petamus
Diversis diversa modis, ut quisque videtur
Velle sibi penitusque suis accedere votis:
Non tamen immensi fines, consultaque regis
Evasisse datur, cordis secreta tenentis
Arbitriumque animæ, qui quamvis cogere possit
Invitos, durisque feros urgere lupatis,
Allicit interdum tamen, & dulcedine captos
Quod voluit, nos velle facit, facilique ministros
Imperii trahit arte sui, seu turbine belli
Collapsos mores, corruptaque sæcula turpi
Luxurie, ritusque feros, oblitaque recti
Pectora, & insanas scelerum contagine gentes
Ad frugem revocare juvat, seu reddere paci
Sparsa cruore virum, saturataque cædibus arva,
Et jam pene suis viduas cultoribus urbes.
Sævaque barbaricis tela extorquere lacertis,
Confectumque malis senii gravioribus orbem
Rursus in integræ faciem renovare juventæ
Tristia Tartarei cohibentem monstra profundi
In latebras, tenebrasque suas quibus ætheris ignes,
Puraque flammiferi pallerent lumina Phœbi.
Lucidus imbriferis aër tenebresceret Austris.
Æquor hiems, terras quateret gladiusque, famesque
Morborumque lues, gelidæ contermina morti.
An referam veteres casus regumque, ducumque?
Eversasque urbes, casus, recidivaque mœnia, molles
Assyrios, Medosque truces, Persasque superbos,
Et fortunatas Macedum cum rege catervas.
Romulidumque graves animos? Quid Gangis, & Indi
Regna? quid Æthiopum, Niloque admota tepenti?
Quid memorem Penosque truces, Maurosque cruentos
Bethim & adversis Rhodanum, Rhenumque fluentis,
Albin, & Euxinas Istrum qui temperat undas?
Quid Thanaim, Scyticasque nives, & vellere Phryxi
Nec minus insignes Argus certamine Colchos?

Nam

Nam quid Palladias arces, Spartamque? Quod Argos
Aut Thebas, celebresque alias scriptoribus urbes
Grajorum: Pelopis quas insula sustinet, & quas
Creta, Rhodos, Cyprus, semotaque Doridis undis
Epirus: rerumque potens olim Itala tellus,
Nil opus a prisco repetitis testibus ævo
Nil versare manu veterum monumenta: supersunt
Ante oculos, interque manus cedentia nullis
Majorum, & contenta suis exempla periclis.
Nam velut infesto surgentibus æquore monstris
Decepti post vota patris, fraudemque novercæ
Hippolytum trepidæ lacerum traxere quadrigæ
Excussum temone feri cum lora tenerent
In media jam morte manus, tractuque rotarum
Confusi fractis taberent ossibus artus;
Ecce ruens Latiæ ruptis compagibus aulæ
Ambitione ducum, Stygiæ livore furentnm
Tisiphones, Italæ penetravit viscera Terræ
Barbarus, Ausonias ferro, flammisque cruentus
Depopulatus opes: miseri quid funera vulgi,
Quid lacrimas, quid vincla querar? Veneremque cruen-
Et gravius letho vitæ genus? impius hostis (tam,
Nil templis, arisque dedit, commixta profanis
Sacra simul pereunt, sed enim per singula rursus
Ire piget; veterisque notas renovare doloris
Vulneraque obducto vix dum coëuntia rictu
Incerta refricare manu: perferre coacti
Quidquid barbarici norunt commenta furoris.
Perfidus Herculeæ quæ nec post fata Sagunti
Hannibal, Hesperiæ furialibus intulit armis.
Quos Marius stravit populos, quos dextra Camilli,
Non Gotus ira Dei, trucibus non mitior Hunnis
Vandalus, & longe sortitus nomina Bargæ.
Et jam pene feris subdebat colla catenis
Roma, paludosæ casu disiecta Ravennæ
Instantisque metu, desertis mœnibus hostis.
Nam veluti dira Cannarum strage Terenti
Varro fugis, Libycæ percussus vulnere dextræ
Pau-

Paule jaces: Proh fata! ducum ſic effugit alter
Ipſe feros inter gladios, tormentaque tutus
Cura Deum magni Medices legatus Juli
Celtica captivis paſſurus vincula palmis
Ecce trahebatur. Summi cum rector olympi
Tum demum clades Italas miſeratus ab alto
Defixit terris oculos, propiuſque labores
Deſpexit gemituſque virum, dein talia ſecum:
Hactenus Auſoniæ fas inſultare jacenti,
Galle, tibi, quo pergis? ait, victoria rebus
Terminus iſta tuis: jam jam concedere victo
Victorem, atque Itala jubeo diſcedere terra.
At tu magnorum proles generoſa parentum
Dura pati ne vincla time: labor ultimus hic eſt,
Jam patriæ reddere tuæ, Latioque potitus
Impia ſeminecis medicabere valnera terræ,
Triſtis in auricomam faciem renovabitur Orbis
Auſpiciis, opibuſque tuis, hinc aſtra ſubibis
Tranquilla jam pace ſenex, hoc ordine rerum
(Ne dubita) te fata manent, tu pectore forti
Juſſa ſubi, rebuſque datis par indue robur.
Hæc ait, & nutu Cœlos, Terraſque movebat
Ad mentis ſecreta ſuæ, res verba ſecuta eſt.
Continuo rapidas pedibus Cyllenius alas
Nexus adit terras, turbataque pectora mulcet
Auſonidum, caſuſque gravis medicamina monſtrat
Tot victis ſupereſſe equitum, peditumque catervas
Tum magno conſtare hoſti viciſſe, tot hauſtos
Enſe viros, ipſumque ducem cecidiſſe ſub armis.
Hinc movet Alpinas gentes, Germanaque caſtra,
Inde Caledonios excitat ad arma Britannos.
Interea miſeræ furiis agitata Ravennæ
Celtarum fera caſtra labant, Stygiiſque tenebris
Circumfuſa ruunt, peditum nam ſponte ſolutis
Agminibus deſertus eques. Tum Panicus hæret
Mentibus, & late volitans quatit agmina terror.
Ergo abeunt, retroque pedem veſtigia torquent
Victores, partaſque malis, & cæde ſuorum

Deſeruere fuga nullis inſtantibus urbes.
Et jam Flaminiæ ſaltus, campoſque legebant
Æmiliæ, jam rura Padi ſtagnantia rivis.
Tum delecta cohors gelidas properabat ad Alpes
Captivos, Medicemque trahens, jamque arva tenebant,
Jam ripas, Ticine, tuas ſcelus unda refugit:
Obſtupuit tremefactus equus, greſſumque repreſſit,
Non ſtimulis, non ille feris calcaribus audit.
Ecce autem ducente Deo vicina Sacerdos
Templa colens, raptis villæ cultoribus inſtat
Vix uni metuenda manus, fugere repente
Cuſtodes, qua quemque pavor, qua caſus adegit,
Armati ceſſere togæ, pauciſque frequentes.
Illa dies Italæ confregit vincla catenæ
Munere clara Dei: cum te Pater optime juri
Reſtituit fortuna tuo, tunc omnis adempta
Spes Latii concepta ſoli, Galloque negatum
Heſperiis conſidere agris, Alpeſque remenſus
Ipſe domi timuit converſi vulnera Martis.
Celtica belligero dum fervet terra tumultu
Interea Latiæ decoratum faſcibus aulæ
Te patrio tandem gremio Florentia cœpit.
Illa quidem multo veterum ſplendore tuorum
Nobilis, & pulchro magni moderamine Coſmæ,
Militiæque, domique potens, tum mitibus actis
Clara Petri, magnis ſublimis ad aſtra triumphis
Laurenti ſubvecta patris, qui plurima quamvis
Pace, domi, belloque foris pulcherrima geſſit:
Agnitus Heſperiis Laurentius, agnitus Indis
Ad Boream, mediumque diem celebratus honeſtis
Pieridum numeris, clarus moderamine princeps,
Ingenui conſtans animi, nullique ſecundus
Conſiliis, virtute potens, linguaque, manuque
Et gravibus decorare jocos, & ſeria ludis.
O ſummo mens plena Deo, tot dotibus una
Multorum complexa decus, quam pectore fas eſt,
Concepiſſe magis quam promere tu tamen ipſe
Quamlibet egregius animi virtutibus urbi
Uti-

Utilis, hoc uno ſuperas tua, teque beatus
Prole ſacra multum tibi ſe debere fatetur
Inclita multarum Florentia nomine rerum;
Nec grates meminiſſe piget, puduitque referre
Viventi, cinerisque rogo, memorique ſepulchro.
Qua licuit, meritis ut quas non dixeris æquas
Eſſe putes aliquid, nec dedignere mereri,
Quæ tamen ob ſobolis meritum tibi præmia reddat,
Non ſenſu, non mente capit, cœleſtibus impar
Divitiis? Quis digna Deo, quis præmia ſolvat?
Mortali nec poſſe datur, nec ſcire; quis autem
Velle neget? liquidum ceratis aëra pennis
Dum ſecat, & propius vicinos appetit ignes
Infelix pelagi ſubmergitur Icarus undis.
Dædalus Auſoniæ libratis occupat alis
Littora, Cumeæ quondam ſacrata Sibyllæ.
Vectus equi pennis diræ poſt fata Chymeræ
Bellerophon, Superum nixus penetrare receſſus
Concidit: effuſo disfracta per oſſa cerebro.
Perſea Gorgoneæ referentem colla Meduſæ.
Arva ſuper Lybiæ ſitientibus arida glebis
Pegaſus incolumem patrias adduxit in oras,
Theſea Tartareæ vinctum cinxere catenæ,
Piritoique manus, ſuperas remeavit ad auras
Alcides, prædamque trahens; hos juſta movebat
Cauſa viros, illos ſed enim ſcelerata cupido,
Et tumidi faſtus animi, ſpernaxque Deorum
Contemptus; tua me pietas, patria inclita, amorque
Fortunæ jubet oblitum, morbique prementis
Læta ſerenato modulamina condere vultu
In generis commune decus. Tu nomine tanto
Digna mone, cujus nutu Florentia primo
Nobile tergeminæ meruit Diadema coronæ,
Tuque adeo tantæ ſortitus pondera molis
Cœlicolum pia cura Leo, quem ſumma Tonantis
Dextra ſuas præſtare vices, terriſque potiri
Juſſit, & immenſi laxare repagula Mundi,
Huc ades, & trepidæ dexter rege vela carinæ:

Auſpicio commiſſa tuo tibi ſumma profundi
Rudit, & extremas tumidi legit æquoris undas,
Tu rector, tu cauſa viæ, te præſide nullas
Horret aquæ, cœlive minas, da [ſiquid amoris
Cura gravis, patriumque decus, pietaſque meretur,
Menſque uni devota tibi] da numine dextro
Littus, & optati navalia tangere portus.
Vos quoque magnanimi felicia ſidera fratres
Conſortes tantorum operum, tuque optime magni
Nomen avi referens, & primo flore juventa
Non rebus, non mente minor mihi numinis inſtar,
Laure, renaſcentis concordia ſemina Mundi,
Ferte pedem faciles, veſtræque aſſiſtite caſtris
Militiæ, nam veſtra cano, Decimique Leonis
Pontificale decus, generis communia veſtri
Stemmata, quamquam olim (vitæ modo fila ſuperſint
Sic mihi perpetuos carmen condatur in annos)
Indicto per me veſtrum nulli eſſe licebit
Nec vos parva manent meritæ præconia laudis,
Nunc age Pieriæ curſum repetamus arenæ,
Phœbe parens, magnique Jovis generoſa propago
Aonides. Quid enim veſtro ſperemus inertes
Præſidio ceſſante Deæ? vos incita Cyrrhæ
Pectora, & inſani lymphis agitate Lyæi.
Ipſa pares animos tantis mens ardua rebus
Concipiat, nec lingua potens conceptibus altis
Defuerit, trepido ſed enim præcordia verſat
Delius, & numeris formata potentibus Evan
Arbitrio movet ora ſuo, ſubigitque profari.
Effera ſanguineis gaudens Bellona quadrigis
Jam prope ter ſenos Latium vaſtaverat annos
Barbarica feriente manu, quo tempore primum
Impia turbatas diſcordia perculit urbes
Auſoniæ, rupto tranquillæ fœdere pacis.
Conſiliis miſerande tuis, quæ triſtis Erynnis
Inſuber, aut furiis violentior ambitus atris
Impulit, amotos Naturæ finibus hoſtes
Sollicitare auro, prædæque cupidine ductos
Spon-

Sponte fovere ſinu, quo regni dira libido,
Quo mentem ſcelerata trahis? tibi pulchra ruinæ
Parthenope grates tibi præmia debet Olanum
Excidii cumulata ſui, Venetuſque, Lygurque
Quidquid in Heſperios hauſit fortuna colonos
Muneris, exemplique tui eſt, hinc fluxit in omnes
Pectoris atra lues, tractu velut aëris olim
Corrupto, dira ſerpit contagine peſtis,
Cumque ſuis pereunt armenta, gregeſque magiſtris.
Paſtor opem ſi ferre neget, ſpernatque mederi;
Diſce tuis contenta bonis traducere vitam,
Gens hominum, nec te diſcordibus auferat auſis
Ambitus, & regni per crimina ſæva libido,
Crede Deos fandi memores, diraſque nefandi
Ultrices, & quæ latebras, arcanaque cordis
Semper ubique vident, non conniventia ſomno
Lumina juſtitiæ, nec nigri occulta veneni
Pocula, nec noctis tenebris agitata latebunt
Conſilia, in medio ponentur ut omnia campo.
Quid tibi barbaricis miſcere tumultibus omnem
Profuit Italiam? triſtis quid caſus amicæ
Parthenopes? emptor ſcelerum venundatus idem
Exemplis cadis ipſe tuis, nec criminis hæres
Auſpicio partis fruitur meliore, tot urbes
Everſæ, tot regna, feri tot vulnera Martis,
Tot fortes amiſſæ animæ, tot cædibus arva
Pinguia, tot Latio ſquallentes ſanguine campi
Sæva tuo de fonte cadunt ignara quietis
Ambitio, tumidi proles veſana Typhœi
Everſura polos, & nigri Tartara Ditis.
Si propius conferre manus, & tendere contra
Vincla ſinant, ferroque graves, ſuræque, manuſque,
Infelix mortale genus tibi compede ſoli
Exuitur, maniciſque vacat, diraſque ſorores
Excitat, & totis in prœlia viribus ardet,
Illa quidem Latiæ properabat fata ruinæ.
Jamque videbatur facibus, gladiiſque paratis
Extremum ſortita, diem, cum dextra Tonantis

Obſtitit, & miro ſubeuntibus ordine rebus
Improviſa tulit lacero medicamina Mundo.
Expertum tamquam rigidis fornacibus auram
Adverſis, lætiſque virum, quem triſtia nullis
Invictum flexere malis, quem proſpera numquam
Oblitum videre ſui, partiſve minorem
Fortunis, ſummo poſitum ſed culmine rerum;
Ad majora putes animi ſplendore creatum.
Hunc Pater omnipotens æterni legibus ævi,
Promiſſum Latii columen, rerumque ſalutem,
Cum procul ex alto venturæ fata ruinæ
Cerneret, ætherias in tempore protulit auras:
Deque tot Italiæ populis, atque urbibus una
Diligeris, Tuſcæ princeps, Florentia palmæ
Arcanis dignata Dei, Tu conſcia magni
Pignoris, & tanti nutrix celebraris alumni;
Quanta nec Ogygio jactatur Niſa Lyæo,
Nobilis Ida Jovis cunis, & Apolline Delos.
Conceptum tu prima foves, tu matris ab alvo
Suſcipis, & cœli vitalibus imbuis auris
Tam clarum ſortita decus, nec fulminis ignes,
Nec tonitrus, ventremque premens Lucina reductis
Ad pectus genibus, geminuſque a culmine ſerpens
Infeſto trepidos conterruit ore parentes,
Sed purus ſine labe dies, nitiduſque coruſcis
Effulxit Titan radiis, manifeſtaque Mundus
Signa dedit, magnæ ventura in ſæcula laudis,
Romanaque matre ſatus, Jovis alite Regni
Jura capit, Tuſci debetur origine patris
Relligio, pietaſque viro: nec Pallas honores
Invidit generoſa ſuos, cautoque Promethei
Dona Deum collecta ſinu naſcentis in artus
Inſeruit conſulta Themis, dominæque, ſuique
Juſſa charis nomen felicibus indidit aſtris.
Prætereo cunas, & primæ tempora vitæ
Nutricis commiſſa fide, nec proxima primis
Luſtra referre vacat. quamvis nitor indolis ingens
A teneris, cuncti ſpatiis effulxerit ævi
Ignis

Ignis ut arentis correptus fomite tedæ
Crescit, & injectæ superat fastigia silvæ
Sublimem rapidis diffusus in æthera linguis
Longa tamen summæ cupidum præconia famæ
Ad rerum majora vocant. Tu parva silenti
Da veniam, si parva tamen tua dicere fas est
Summe virum, cui summa Deus dedit omnia summus,
Parque annis virtutis opus, sic oris honore
Perpetuo insignem doctis inspexit Athenis
Cliniadem flavæ miratrix turba Minervæ.
Nam gestis, & mente tibi quem conferat olim
Longa dies? cui par gravitas, probitasque, fidesque,
Et pietas, animusque senis puerilibus annis?
Obstupuit quoties obtutu fixus in uno
Et pater, & fratres, & siquem casus adegit
Spectatorem operum nimio splendore tuorum,
Hinc puer, & vix dum maturo tempore sacris
Addictus, primoque Dei cultum induis ævo.
Altius ut teneris animi defixa medullis
Hæreat æterni lex intemerata parentis
Sed flammæ facile alta petunt, declivia fluctus
Ducebat virtutis amor, stimulabat honesti
Cura simul: laudisque decus fastigia natum
Summa sequi, vires animo natura secundas
Indulgebat, opem nec tum fortuna negabat.
O quoties nec lingua capit, nec pectora felix
Ingenium, felix magnæ vis mentis, ad omne
Nata decus, felix animi prudentia, felix
Quidquid inest utrumque viro: quibus attigit astris
Grammaticen, comitesque duas, numersoque potentes
Mensuras, vocumque modos, cœlique meatus
Ille etiam juris nodos, decretaque legum
Discussurus erat, & sacris tradita chartis
Magnorum monumenta patrum, secretaque rerum
Naturæ complexa sinu, votoque potiri
Fas erat, & Clariæ titulos meruisse coronæ,
Ni superi ad majora vocent, summusque Sacerdos
Patribus adscribat lectis, sanctoque Senatu.

Verſatur, quo ſumma loco quo cardine rerum,
Humanique decus generis, vix prima notabat
Pubentes lanugo genas, poteratque timere
Indolis ignarus, & tantum conſcius ævi
Ne tanto non par oneri ſuccumberet ætas,
Junior illa quidem ſed lævi cana vigebat
Mens puero: cani tenero ſub pectore ſenſus.
Talis Amyntiades (ſacra ſit miſcere profanis)
Nicomachi ſub prole puer poſt fata parentis
Medica pelleis ſubjecit terga flagellis,
Non animos ſublimis honos, non faſtus inanes
Extulit, aut oblita ſui clementia mitis,
Parque animo vultus, ſermo, cultuſque modeſti,
Tum mores gravitate hilares, triſtiſque venuſtas:
Et quod ames gravitas, & quod venereris habebat,
Et pudor, & tenera quales in virgine ſenſus.
Indole non alia ſublimis ab æde Palati
Scipiades, duros armis pacavit Hiberos,
Hannibalem Latiis divulſum diſpulit oris,
Punica Romuleæ ſubmiſit colla ſecuri.
Tum divina ſacri repetebant carmina vates,
Venturæque decus maturo tempore laudis,
Et decantatum triplicis diadema coronæ
Munera læta ſacri titulo celebrantur honoris
Fit plauſus, gaudentque patres, geſtitque juventus.
Certavere ſenes pueris, victoria nutat
Lætitiæ, nec Roma ſuæ concedit alumnæ.
Interea placidæ temerato fœdere pacis
Impia turbatas diſcordia diſpulit urbes,
Gallicaque Heſperiis immiſcuit agmina terris.
Prima mali labes Romana ſede potitus
Cantaber; inde furens, cæcuſque cupidine regni
Inſuber admotis poterat tamen artibus ulcus
Molliri, vincique dolor, ſenſimque repreſſus
Sanari, ſi docta manus, ſi lene venenum
Ferret opem, magni ſed enim prævertere Regis
Conſilium, mentemque nefas, conceſſerat olim
Parcarum in leges genitor tuus, una ſalutis

In tantis ſpes una malis medicinaque rerum
Qui foret inſpectæ meditatus fulcra ruinæ,
Qualiter egregius celſa de puppe magiſter
Aſtra procul, ventoſque truces, tumidaſque procellas
Proſpicit, & nutu velorum temperat alas,
Intentos volvens oculos, fragilemque carinam
Per ſcopulos, per ſaxa regit, portuque recondit.
Si cadit, ignaruſque ſubit, clavumque gubernat,
Inter turbato ſummergitur æquore claſſis.
Diſſenſere duces, & qui ſervare propinquam
Nixus erat, vitam pariter, regnumque, ſuoſque
Amittit, partoque dolis male fungitur alter
Imperio: atque utinam ſolos fortuna nocentes
Ulta foret: periere gravis ſub mole ruinæ
Inſontes ſonteſque ſimul. Quid conquerar? aut quos
Incuſem? nec culpa latet, veniamque meretur
Judicio fortuna tuo, per tela, per ignes
Tranſtulit in Latias Æneas Pergama terras.
Tot terra, tot paſſus aqua, vix quattuor actis
Penelopen luſtris ſollers inſpexit Ulyxes,
Expertus quid bella queat, quid monſtra, quid undæ.
Invidia patriæ depulſus ſede Camillus
Reddidit ingratis obſeſſam civibus arcem.
Quid multis manifeſta ſequar? jactatur acerbis
Caſibus, & fulvum tamquam fornacibus aurum
Excoquitur, quicunque petit majoribus altum
Auſpiciis, populiſque parat miranda futuris,
Reſpice legiferum per mille pericula Moſen
Juſſa Paleſtinæ confinia tangere terræ.
Dilectumque Deo fidibus Davida canoris
Extorrem tam multa pati, ſceptroque potitum
Temporibus Solymæ diademata jungere vitæ.
Te quoque collapſi ſanantem vulnera ſæcli
Cœlicolæ voluere premi, rebuſque ſecundis
Expertum, variis durare laboribus altum
Pectus, ad ingentis ſublimia pondera molis.
Hinc urgente die laribus diſcedis avitis,
Cognatæque petis ingentia mœnia Romæ.

Tum

Tum vero patuere animi sublimia magni
Robora, parque sibi cautæ sollertia mentis
Semper, & a nullo pectus violabile casu,
Et major, quàm quæ possit constantia vinci
Conatu, Fortuna, tuo, non læta superbum,
Non humilem videre feris adversa procellis;
Perpetuus sed enim vitæ tenor, omnibus idem
Casibus, & numquam (quantum res ipsa sinebat)
Dissimilis, quam larga manus, facilisque petenti
Munificos superabat avos, nullique negatum
Tecta sacræ celebrare domus, dapibusque potiri
Hospitioque frui, patriæ seu fœdere gentis,
Seu mage multifidæ titulis & jure Minervæ.
Accedebat ad hoc læti præstantia vultus,
Nec minor officii meritis, & mole voluntas
Promptior, & voti velocius impete factum
Iis, aliisque animus hominum sibi dotibus actos
Conciliabat amor, teque ad suprema vocabat.
Jamque adeo Medices gentis splendore superbum
Nomen in unius ulnis, gremioque vigebat
Romanos inter proceres. penitusque latenti
Consilio superum, quod mox effudit in auras
Parturiebat opus, quamvis premeretur iniquis
Ponderibus, ceu palma cavi sub fornice saxi
Incrementa capit duri mox robore trunci
Nixa solo, tandem superat, lapidemque prementem
Perforat, & lætis spatiatur in aëra ramis.
Ipsa quidem primo tardum fortuna movebat
Lenta gradum cohibente Deo, tacitisque coquebat
Fomitibus tantæ latitantia semina molis,
Donec ad extremum subeuntibus ordine rebus
Perventum, formæque decus digesta recepit
Materies, talis genitali crescit in arvo
Arcanis genitura modis, sensimque resumptis
Viribus, humanos apte formantur in artus,
Maturusque suis procedit mensibus infans
Namque a Parthenopes casu, Capuæque rapinis
Usque sub Adriacæ miseranda cadavera pugnæ

Ocia privatæ licuit traducere vitæ.
Aſt ubi per varias clades, Martiſque ruinas
Converſis regum ſtudiis tentavit Julus
Victores Itala Gallos depellere terra:
Cura datur magni magno tibi maxima belli,
Humani quod juris erat, mentiſque, manuſque
Confectum, vires animi, prudentia, virtus,
Nil reliqui fecere ſibi, & ſi certa daretur
Vincendi ſpes, certa fuit, ſed plurima belli
Sors habet, & dubio pendet victoria caſu.
Obduxere diem nebulæ, dirumque refugit
Sol ſcelus, & mæſto præſepſit lumina cœlo:
Cum damnata feræ miſcerent prœlia dextræ.
O rabies, cæcuſque furor. Quæ gloria tanti,
Quæ ſceleris merces? probat exitus acta profecto,
Victorem viciſſe piget, victumque viciſſim
Triſtis agit, trepidatque fuga, multoſque per annos
Parta cruore ſuo campos, urbeſque relinquit.
At tibi cura Deum magnorum maxime patrum
Alma dies ſtatura redit, vincliſque ſolutis
Tecta ſubis patriæ, quæ te fortuna premebat
Gallorum mutata fovet, gremioque receptum
Attollit ſuper aſtra potens, ſic parvulus infans
Exiguis furtim ſpaciis adoleſcit ad annos
Pubis, & incerto ſpectantes decipit auctu.
Aſt ubi maturo jam tempore fortior ætas
Ingruit; ingenti ſubito ferit aëra ſaltu:
Ductile ceu feſto ſubcreſcit pægma theatro.
Namque ſenex medio rerum certamine terras
Deſerit: & ſuperis concedit Julius aſtris.
Conveniunt proceres, & tanti quæritur hæres
Imperii, diverſa trahit ſententia patres.
Hos rugæ, canique movent, & ſerior ætas,
Mos alios, ſerieſque gradus, nec defuit arctæ
Cultor amicitiæ, quem publica cauſa moveret.
Privati quem cura boni, quos vivida virtus.
Conſulitur, ſed quis magno ſucceſſor Julo
Dignior aut melior quam quem ſibi legit Julus

Ar-

Ante obitum? quamquam vix dum maturus honori
Esse putaretur, spectantibus acta parentum,
Ambigitur, mussantque senes, hæretque juventus.
Ecce autem subito mentes invasit ab alto
Spiritus, & cunctos eadem ad suffragia vertit.
Pontificem patria primus te voce salutat,
Primus adoratæ civis dedit oscula plantæ
Pronus humi procerum, sequitur venerabilis ordo
Certatim, solioque locant, faustumque precantur.
Quæ nunc Calliope, quis nunc mihi carmen Apollo
Suggerat? & quantos hominum non concipit haustus
Ponat in ore sonos? o magni conditor orbis
O rector, quem nulla latent, immensa potestas,
Dexter ades, metamque rotis adsiste petenti
Curriculo, tumidis duce te se credidit undis
Cymba, tua rursum tutos petit alite portus.
Admiranda sacræ referens præconia dextræ,
Quæ nostri videre oculi, quæ cominus ipse
Tractavere manus, nec lumine segnior auris,
Spargitur Europes extemplo fama per urbes
Ocyor, & variis populos rumoribus implet,
Ingens lætitiæ mixtus stupor, unde senatus
Prætulerit senibus juvenem, quæ tanta repente
Præcipites momenta patres, quæ cura paventes
Impulerit, longam tanti spem ponere regni.
Jamque alias alius, pro captu mentis, & æstu
Pectoris, in medium causas proferre laborat
Nequidquam, sed nulla coit, ni sola voluntas
Illius qui cuncta movet, qui cuncta gubernat,
Arbitrio digesta suo, miratur, & alta
Non dubiam spem mente fovent, operataque lapsis
Rebus opem meritis venerantur numina votis.
Nec fauces concepta premunt, plausuque secundo
Inclita magnanimæ resonant insignia gentis.
Quamquam autem lætis strepat undique vocibus orbis,
Romanæ quacunque pedum non despicit Aulæ
Una tamen longe magno discrimine vincit
Lætitiæ, cunctisque magis Florentia gestit
Pu-

Publica privatis certant ſpectacula ludis,
Per multos celebrata dies, cœloque tepente
Denſa coronatæ cinxerunt compite flammæ,
Tum feſto clamore chori, lituique, tubæque
Fumiferas variis implent clangoribus auras,
Atque ita non ullo pariter diſcrimine cunctos
Cernere erat geſtire animis; ceu duceret ipſis
Quæſitum tam grande decus, ſoliſque voluptas
Parta foret multos votis optata per annos.
Hos animi motus diſpar fortuna docebat
Non dubia ratione pares, pro viribus omnes
Divitibus certavit inops, vulguſque ſenatu
Nec vinci, nec vincere erat vox læta per omnes
Una vias repetita frequens, cava ſidera pulſat
Præcipue qua ſe Medices fulgentia tollunt
Excelſæ monumenta domus, cœloque minantur.
Hæc properant in tecta greges juvenumque, ſenumque,
Agnatæque manus fratres uno ore ſalutant
Gratanturque tuis, tum mobilis agmina vulgi
Cum clamore ruunt, & ſidera voce fatigant,
Læta mero, dapibuſque novis, nummiſque ſuperne
Effuſis, rebuſque aliis, concurritur acri
Impete, & in medio ſurgunt certamina plauſu,
Dona ſibi dum quiſque cupit conjecta, rapitque.
Interea multos tacitæ ſervata per annos
Monſtra Deum, & tantæ jampridem conſcia molis
Sacrorum in medium referuntur carmina vatum,
Jamque aliquis nigræ per longa ſilentia noctis
Auditas memorant voces, ſortitaque tandem
Verba fidem quamvis multo jactata periclo.
Inſomnis hic viſa canit, ſolioque ſedentem
Pontificis Medicen ſceptro, mitraque potiri
Ille canit viſos ſub lumina Solis, & ortum
Inſtar Apollineæ rutilantes lampadis orbes
Phœbeo prodire ſinu, Cœloque vagari
Roſida qua croceos Aurora effundit amictus.
Aſt alius magni qua tenditur area templi,
Lucis ait medio cultu, caniſque verendis

Fati-

Fatidicum vidiſſe ſenem manifeſta canentem
Signa, domi quæ mox Medicem congreſſus aperte
Viderit impendens capiti fulgore coruſco
Pontificale decus, ſacræque inſigne coronæ.
Perſtrictos tum luce oculos, pectuſque pavore
Attonitum, nulliſque diu mox artibus uſquam
Quæſitum tota urbe ſenem potuiſſe videri.
Tum qua nocte frequens invaſit mœnia rumor,
Præſcius inſtantis, quarti vix conſcia Veris,
Pontificem crebro Medicen clamore puella
Sueta, remulcenti fertur dixiſſe parenti,
Nunc minime eſt, cras mater erit, mirantibus alter.
Hactenus a prima referebat origine vatum
Dicta, fidem rebus tandem ſortita peractis.
Attollunt cum voce manus, divumque ſalutant
Numen, & æterno grates meminere parenti
Nec minus accepti tunc primum muneris orant
Lætitia, placideque frui, longumque potiri,
Atque ea dum læto celebrat Florentia plauſu,
Quæſitæque diu manifeſto numine pacis,
Spem fovet exacti repetens veſtigia ſæcli,
Roma ſuo pariter meritos addicit honores
Pontifici, & variis geminat ſpectacula ludis.
Qualia poſt Geticæ miſeranda exempla ruinæ
Ipſe ſua numquam proſpexit ab arce Quirinus,
Exeruit medio flavum caput Albula curſu
Æmula Cæſareis miratur geſta triumphis.
Tum pater armiſoni compeſcens lumina templi,
Omnia Romulidæ fas eſt, ſperare nepotes
Hoc duce Janus ait, quidquid prior attulit ætas
Egregium, Decimi revocabunt ſæcla Leonis.
Nam veluti natura virum collegit in unum
Semina virtutum generi communia veſtro,
Sic vires fortuna dedit, rebuſque gerendis
Læta pares indulſit opes, ſi copia tantis
Par animis datur, ulla tamen jam certa laborum
Spes homini, jam certa ſalus, terræque, marique:
Vos modo contractum veteris caligine ſæcli

Ex-

Expurgate nefas, paribusque assistite votis.
Aurea falciferi redierunt sæcula Regis.
Talia dicenti tetricæ arrisere sorores,
Cœlicolumque manus, lævum fulgore corusco
Intonuit pater omnipotens: Tritonia jussis
Audit, & Odrysio molitur vincla Tyranno.
Qualia lenigenæ thalamo perpessus adulter
Cyclopum perfecta manu, Siculisque caminis:
Excutit armatas animis Cyllenius iras,
Lucidior pulsis effulsit nubibus aër.
Protinus & læto strepuerunt omnia plausu,
O magnæ stirps sacra domus generosa propago
O Latium, Thuscumque decus, genus undique Cœlo
Admotum, quis nescit enim belloque, togaque
Per tot ducta viros Medices præconia gentis,
Ursinæ quem fama domus, quem gloria nulli
Non audita latet? Qua littora pulsat in orbem
Doris, & immissis tellurem dividit undis.
Non ergo te (quamvis isto quoque nomine miror)
Felicem veterum memorem virtute parentum
Tanta tibi, tam multa suo concessit alumno
Æterni vis summa boni: te matris ab alvo
Mox puerum sensimque viris adscripsit adultum;
Mirus ubique tibi vitæ tenor: altior annis,
Præsidio, ductuque eodem, tot signa, tot olim
Visa modis, majora datis ventura notarunt.
Sic ubi Cardinei titulis admisit honoris,
Nobile tergeminæ pactus Diadema coronæ
Tot monstris, signisque dedit, per tela, per ignes
Experto, nec fata modum posuisse videntur,
Nescio quid, sed majus adhuc promittit olympus
Pontificis solio, si quid tamen altius effert,
Humanumque caput sublimius inserit astris.
Nempe minor Cyro Xerxes, majorque Philippo
Filius, ipse suo Cæsar concedit Alumno.
Quid tua Pontificum prohibet superare priorum
Gesta decus? superabis enim, sperataque longum
Te duce summa petent rerum fastigia mystæ,

Rur-

Rurſus & antiquo ponetur cardine Roma.
Huic Eurus, Zephyruſque dabit, Borealſque, Notuſque
Colla jugo: pronuſque ſacræ feret oſcula plantæ
Quiſquis Apollineæ fruitur dulcedine lucis.
Impia Tartareæ latitabunt monſtra Megæræ.
Ibit avaritiæ peſſum ſitis, ibit honorum
Ambitus & ſævæ livor Stygis æditus alvo;
Occidet inſanæ mentis furor, occidet amens
Luxus, & ingrato ventoſa ſuperbia faſtu.
Sævus Hyperboreo tabeſcet carcere Mavors.
Jura, fides, pietas, poſitis reget omnia telis
Una fides, unus paſtor, lex omnibus una.
Adiice divini præter miranda favoris
Signa, fidem multis jam dudum nacta periclis:
Humanæ quoque ſortis opes, nam junior ætas
Sufficit, & rebus vires, & tempus agendis.
Adde duos fratres, clarumque ex fratre nepotem
Concordes animas, ſummique admota Tonantis
Pectora conſiliis: quorum virtutibus uni
Non pavidus magni frenos commiſeris orbis.
Hinc quoque tantarum certa ſpe ſumere rerum
Fundamenta licet, cœloque attollere molem
Vix bene Romanæ ſolium te cæperat Aulæ;
Aſpera, Sithonii poſuerunt claſſica Martis,
Adverſæque tuis avibus cojere phalanges,
Et tumidas Gallo dextras junxere Britanni.
Denique pace frui per te conceditur, omnes
Auctorem te pacis habent. Tu reddis honori
Dejectos olim proceres; tu ſi quid Julus
Conſuluit gravius relevas; tu cruda jacentis
Vulnera; tu laceros fomentis mollibus artus
Auſoniæ mulcens reficis, reddiſque ſaluti.
O veri paſtoris opus! tu rapta luporum
Faucibus extorques umbroſæ paſcua vallis,
Salvigenumque pecus patriis exorſus ab oris
Clara reformandæ paſſim primordia terræ.
O veræ pietatis opes, o vera parentis
Officia! hic cultus ſacris, hæc debita myſtis
Rel-

Relligio, qui servet oves præponere, non qui
Perdat, & ignaræ vescatur sanguine mandræ.
Qui bona, quæ fieri mandat, prior egerit, idem
Dictator, factorque operum quis claruit ætas
Prisca viris. nostræ florescent sæcula vitæ
Te modo mortales inter qui summa tenere
Jussit, ut inferno confusi turbine Mundi
Rursus in antiquam referas simulacra figuram;
Cœpta sequi, studioque velit, metaque potiri,
Sed volet, atque adeo voluit, ni velle recuses,
Quæ cupis, & vultu pariter, dextraque fateris.
Perge favent superi, tua post vestigia lætus
Orbis abit, nec sola sacri ducis Itala tellus
Sensit opes, Medicasque manus, magnumque salutis
Auctorem, supplex avidis complectitur ulnis.
O quater & quoties animus non concipit, illos
Felices tantorum operum, quos sidera testes
Esse volunt, interque manus tractare superbum
Regis opus, me fata meis contraria votis
Cominus ingentis trepidantem fulgura lucis
Stare vetant, limbumque sacræ contingere vestis;
Te tamen absentes animo, mentisque videmus
Obtutu, fruimurque tuæ dulcedine famæ
Implentis terræque globum, pelagumque, polumque.
O mihi si qua pias auditas numina voces
Quis Deus ancipitis pulsa caligine morbi,
Quis dabit in solio propius sublime sedentis
Oscula adoratæ cupido suffligere plantæ?
O, ego quantus ero! Lachesi tam longa supersint
Lina diu tanto liceat dum munere fungi.
Tunc quoque dulce mori, veniet felicior unquam
Illa dies! veniet, magnis, nec cedere votis
Spes didicit: cupidæque minor succumbere menti.
Et jam Romana videor nocturnus in aula,
Dulcia vel patriæ visentis mœnia terræ,
Ante sacros astare pedes: somnoque solutus
Do veniam, Mycille, tuæ mihi conscius iræ:
Immemorem quo ducis amor? Quæ certa quadrigis

Meta datur fessis? Finem jam pone labori,
Musa, tuo, neque enim numeris comprehenderis ullis
Tam clarum, tam grande decus, nomenque, genusque.
Carpathio citius numerabis in æquore fluctus,
Turbatas vento Libyæ sitientis arenas,
Sidera flammifero passim rutilantia cœlo,
Diva, quater magni referas quam stemmata Jani,
Quid Leo, quid decimus, Medices quid sanguine Floræ;
Sic visum. Rex summe, tibi qui robore dextræ
Cuncta tuæ digesta regis, reserasque, serasque
Æternis freta consiliis, terramque, polumque
Omnipotens vis, mens, & amor, tibi gloria soli,
Qui depressa levas, premis ardua trinus, & unus:
Pace diu, donisque tuis concede potiri.
At tu quem summa rerum Deus arce locavit,
Et cœli concessit opes, hominumque salutem,
Salve sancte parens, lapsis spes unica rebus.
Certa salus, ter quina datus post sæcula terræ
Maximus Arnigenæ salvator origine Floræ,
Salve iterum, felixque orbi, patriæque, tuisque
Hæredem magni referas Augustus Juli.

S I L V A

Cui titulus Icones, in Julii Medicei, mox sub nomine Clementis VII. Pont. Max. laudem enarrata.

A R G U M E N T U M.

Dum Capreas jaculis ageret per lustra fugaces
  Narcissum, fidæ deseruere manus,
Captat amans tacitis vestigia passibus Echo,
  Et pudet, & soli gaudet adesse tamen,
Ille labore, simul fessus, prædaque potitus
  Constitit, aquis adest, huc coeamus, ait.
Victus amore pudor, coeamus retulit Echo;
  Et petit optatis ora premenda notis.
Prosiluit nymphaque puer, prædaque relicta
  Diffugiens dubios murmurat ore sonos,

Fu-

Futilis insultat paribus sermonibus Echo,
  Et tepidæ lacrimis immaduere genæ.
Spreta dolet, comitesque fugit, specubusque sub altis
  Tristia perpetuo membra dolore liquat,
Crescit amor, crescuntque graves in pectore curæ
  Nulla dies, nullum profuit artis opus,
Vultus abiit, tenues vanescit corpus in auras
  Occupat ossa lapis, vox tamen una manet.
Hac ope Junonis acceptas reddere voces
  Gaudet, in hoc uno vita reducta sono est.
Quis vetat ancipiti tenebrarum carcere clausum
  Vocalis nymphæ verba referre modis.
Quod summum natura dedit, fortuna reliquit
  In laudes referam gratus, Jule, tuas.

DIves Achilleos quo carmine panderet ausus
Mœonidem, Phœbique parens, omnisque sororum
Instituit facunda manus, triplicesque Maroni
Indulsit numeros Helicon, & conscia Baccho
Nysa corimbiferis, Nysa usque exercita thyrsis,
Cyrrhæumque jugum, Cyrrhæque potentior æstro
Mœcenas, Auguste, tuus, tuque optime Cæsar.
At mihi Pieridum si non lymphatus ab antro
Attonitos movet ore sonos, afflataque fingit
Spiritus Aoniis agitans præcordia flabris
Romuleæ tutela domus, sceptrique supremi
Rector adest, Thuscoque celer non segnior auro,
Quem sancto natura Duci poscentibus astris
Consortem, comitemque dedit, generisque, sacrique
Muneris, imperiique vices curasque gerentem
Quo pelago jactata ratis quo Castore pubes
Littora tuta petat, portuque subintret amico
Auspiciis confisa novis, navalia læti
Sidere non alio subeunt per cærula nautæ,
Ipsa licet mediis Helenæ se tristis in undis
Inferat, & tortis alte unda dehiscat arenis.
Ergo ades, & tumidi servatum ex æquoris undis
In medio concepta mari, dirasque tenebras

Inter, & infensi minitantia fulmina cœli
Solvere vota jube non quas Gangetica tellus
Fundit, opes Arabumque domus, Hermusque, Tagusque
Quas gemina premit arce polus Rhamnuntis alumnæ
Munera continuo dominum mutantia lapsu.
Te monumenta decent volucris superantia cursum
Temporis, & nullo fatum passura sub ævo
Ille ea cujus agis partes, cui vivimus olim
Pro meritis congesta dabit, nos longa feremus,
Qua licet, in populos meritæ præconia famæ.
Quod si priscus amor grati si pectoris ulli
Mens superum devota placet, pietasque, fidesque
Julius in longum Medices cantabitur ævum.
Tu modo. quas tenui meditatur harundine vates,
Crescere laude tua non dedignere Camœnas,
Sic ubi labra merum nec jam capit aëra messes,
Alma Ceres parvi lætatur munere serti
Sepositis Bromium placat sibi vinitor uvis,
Et qui stelliferi frenos moderatur olympi
Divitias, fasces, populos, largitus & urbes,
Aspicit exiguis fumantes ignibus aras
Contentus precibusque piis, & thuris onore,
Sed neque marmoreis aulea nitentia templis,
Non ebur. aut fulvum signis radiantibus aurum,
Artificumque manu, & variis stellantia gemmis
Pocula, & aurata candentes fronte juvenci
Tam faciles flexere Deos, quam conscia recti
Simplicitas, fucoque carens, & pectore longe
Inferior, sed fortunis par victima dantis.
An renuam quia digna tuo munuscula cultu
Non adsunt, quæcumque mihi Rhamnusia fecit
In laudes conferre tuas, quis magna daturum
Crediderit qui parva negat? licet invida frontis
Abstulerit fortuna decus, veterisque rapinæ
Pertulerim portenta novus sine crimine Phineus,
Mens tamen, & vires animi, dotesque supersunt
Ingenii, & fato vix concessura potenti
Munera Thespiadum, quod si te præside tristes
Har-

Harpias, Zethesque puer, Calaisque, repellent
Jactatumque diu cœli, pelagique ruinis
Excipiet tellure quies, portuque secundo
Forsitan (esto procul livor, mitissimus adsis
Juppiter) Æneadum numeris accesserit alter
Mæonides, æquet patrios qui carmine fastus
Complexus cœlum ac terras, rerumque quod usquam est,
Adscribarque tuis non ultima gloria rebus.
Sed tamen hoc olim Deus, & tua cura videbit;
Interea promissa fides concepta sequatur
Nomine vota tuo Latias cum virbius oras
Impleret, laudesque tui Patruelis, & altum
Pontificis decus, & vestræ præconia gentis,
Æterno si fata sinant committeret ævo:
Unde ferar, quo fonte Deæ, quis carminis orsus,
Quis mihi limes erit, quæ prima aut ultima dicam
Quæ medio referam cursu, quæ pectora, quæ vis
Ingenii, quæ mens tantæ fastigia molis,
Qui capiant animi, quæ vox, quæ promere tantos
Conceptus, quæ verba queant, quis spiritus oris,
Quæ fauces, quæ lingua sonet? tribuenda Platoni
Si qua fides, non absque Deo modulatur Homeri
Carmen Ion, majorque suis tunc viribus altos
Eructat numeros, & dignas numine voces.
Quid qui Bistonio committit Pallada Marti,
Et Diomedea molitur vulnera dextra,
Qui Phrygios Latia componit sede Penates,
Qui Lyricos movet arte modos, qui Phasin, & Argo,
Qui socerum, generumque canit, qui corpora mutat,
Oedipodionias cingit qui milite Thebas,
Punica qui Latiæ summittit castra securi,
Quique alii merito signantur nomine vates,
Et mihi numen adest; trepidamque in pectore dulcis
Nescio quis, sed agit mentem furor, excidit omnis
Cura, dolorque animo: fugit omnis corpore languor:
Mortalesque abeunt sensus: subit igneus artus
Ignoto de fonte vigor, tum major anhelo
Spiritus ore sonat: fibrisque exestuat imis

Fervidus: & pavido concutit præcordia motu,
Ingentesque avido captus, & sensa ministrat
Humanis majora modis: tuaque omnia, teque,
Majoresque tuos, transactaque sæcula monstrat.
Ut quondam modico sublimis in aggere ductor,
Cum procul ære dato turmas percenset euntes,
Luce recens orta, vel Sole cadente sub undas,
Præteritos post terga notat; præsentia cernit
Ora virum: longe venientum prospicit umbras.
Sed quid avos, proavosque tuos. Cosmamque, Petrūque
Gentilesque alios referam: longumque superbæ
Stemma domus? veterumque notis, & voce recenti
Nomina dicta mihi? lacrimas removemus inanes?
Admissumque prius properata morte parentem,
(Proh miserum mortale genus!) quam nosse liceret.
Haud equidem captus hominis, mentesque putarim
Consilii potiora Dei: licet ætheris alti
Participes animos, cognataque semina cœlo
Hauriat, & summi decoretur imagine patris:
Immensum parvis complexus finibus orbem,
Cum levis; & puro cœli de lumine fulgor
Corporis obductus tenebris, & pondere terræ
Ima petat, longeque extremis exul in oris
Perfectum capiat nihil: imperfectus & ipse.
At Deus æterni fons luminis, omnia solus
Qui fecit; solus tenet omnia, temporis exsors.
Si tamen, humani quanta est prudentia captus,
Judicium proferre licet, mandataque famæ,
Patre super concepta tuo: majoris acerbum
Indolis amisit nullum Florentia civem.
Sive placent animi vires, seu robur honesti
Corporis: & faciles utrimque ad munia dotes.
Quem si fata virum nostris non invida rebus
Servassent Patriæ incolumen, fratrique, tibique,
Forsitan Etruscos fines, & littus utrumque
Ocyus. At superi satis est optata parentum
Progeniem præstare sacram, quando omnia vestris
Imperiis terra, atque mari, cœloque geruntur.
Nec

Nec licet arcanas homini cognoſcere cauſas:
Qui curſus, qui finis erit? latet abdita magni
Mente Jovis decreta dies, mutatus in horas
Turbida mixtorum ſeries ſubeuntque, caduntque;
Alternis animata modis, curſimque feruntur
Tam multæ rerum ſpecies, numeroque, locoque
Et quæque magis protenditur undique moles:
Hoc plures rerum facies recipitque, fovetque,
Hoc mage diverſis gaudet variata figuris.
Nonne vides quot terra ferax animalia, plantas,
Quot frutices, quot fert herbas? quot cærula piſces
Alta natant, quot aves, inſectaque ſuſtinet aër.
An ne putem vacuas cultoribus ætheris oras.
Cœleſteſque globos, & inania ſidera ferri,
Ut lites, & amicitias coëuntia nectant
Inter ſe, & verſis ſolvam elementa catervis.
Scilicet omnipotens opifex, & neſcia falli
Naturæ fecunda manus, mortalibus omnes
Indulſit Veneris numeros? æterna malignis
Artibus, & ſævæ fraudavit more novercæ.
Quodque imis large rebus dedit, abſtulit altis.
Ut breviora thoro qui ſtragula poſſidet: ima
Crura tegens, caput infelix, & pectora nudat.
Uſque adeone furens agitant dementia quemquam
Credat ut hæc, & non potius contraria prorſus?
Quidquid habent igitur ſupremi elementa decoris,
Illius umbra tibi eſt; ſummo qui fulget olympo.
Utque nitens cœli facies, terrræque, mariſque,
Vincit opus: cum materiæ, tum molis honore:
Sic forma, ſic multiplici diſcrimine rerum
Cœleſti mortale decus concedit, eoque
Siqua tenent humana boni, referuntur ad ipſum
Principium, rectique patrem, propiuſque quieſcunt
Auctori conjuncta ſuo; qui fonte perenni
Fuſa ſinu rurſum recipit, ceu flumina magnus
Oceanus, totum late diffuſa per orbem
Mittit; & ingenti redeuntia ſuſcipit alveo.
Hinc tuus exacto mortalis tempore curſus,

Deſeruit terras, genitor, vitæque futura
Ad decus, & numeros, ſibi quæ virtute pararat,
Elyſios inter proceres loca liber adivit.
Inde ubi ad excelſi perventum culmen olympi,
Protinus ambroſiæ ſuccis, & nectare ſacro
Perfuſus, nunquam perituræ munera vitæ
Aggreditur, pulſaque procul caligine lætus
Deſpicit in medio libratam pondere molem,
Atque irrumpentem terras circumque prementem
Oceanum, fuſo late ſuper aëre cingi,
Ætheraque immenſo complexum cetera gyro.
Tum variam externo fulgentem lumine Phœben,
Quoſque errans ignis Cyllenius implicat orbes
Phœbeos ſubter radios, quos mane ſequatur
Phoſphorus, & ſero præcedat ſidere Veſper,
Atque ipſum adverſis nitentem ad ſumma quadrigis
Naturæ, luciſque ducem, terramque, fretumque,
Et totum igniferis implentem curribus orbem.
Sanguineumque rubens, & triſti cæde cruentum
Martis & horrendum miſeris mortalibus aſtrum
Inde Jovis regale jubar, placidamque coruſca
Luce facem; populis, & regibus utile ſidus.
Mox & falciferi liventes cominus ignes
Saturni, & lento pallentem frigore flammam,
Nec procul innumera ſtellati lampade cœli
Signifer, & variis ſimulacra ingentia formis
Apparent, altoque patet via lactea clivo.
Tum fugiens oculos, & qui rapit omnia ſecum
Concolor orbis adeſt, motu modo cognitus ipſo.
Qui celer, & mundi ſonitu modulantis acuto
Altius aſſurgit, cum Luna graviſſima vocem
Deprimat: & medios diverſis motibus orbes
Temperet in dulces numeros diſcordia concors.
Ut quondam variæ certo diſcrimine cordæ
Concentum peperere lyræ, blandumque ſonorem.
Et quamvis ingens tanto de corpore, qualem
Fas prodire ſonum late omnes impleat oras:
Non tamen humanas quoquam deſcendit ad aures.
Sic

Sic qui præcipitem ſummo de vertice Nilum
Accolit, auditos primæ ſub tempore lucis
Ingentes neſcit ſtrepitus, undæque ruinam
Ilicet ardentis reſeratur machina mundi;
Cœlicolumque domus, ſummique excelſa Tonantis
Regia, non ullis obnoxia motibus, imus
Ambitus, extremi finiſque noviſſimus orbis,
Complexus qui cuncta, nihil ſe deſerit extra.
Hinc neque finitum credas, neque dicere poſſis
Immenſum; ſed enim nixus conſumpſit in illo,
Et vires natura ſuas: corpuſque ſupremum
Eſſe dedit, tantoque alias excedere moles,
Quanto nobilior cauſis mens prima ſecundis;
Hæc domus, & vitæ ſedes tranquilla beata.
Lucis inacceſſæ ſedes, immobilis, exſors
Turbinis omnis, ubi prædivite copia cornu
Spargitur, omnigenum late diffuſa bonorum.
Quam neque mortales ullis auditibus aures:
Nullus Ariſtorides centenis orbibus Argus
Luminis, aut ullo penetravit acumine Lynceus,
Scrutatus pelagique vias, & viſcera terræ.
Non quæ naturæ ductus, cauſaſque latentes
Inclita ſollerti cinxere indagine corda.
Divitias hic ipſe ſuas ſeſeque triformis
Explicat, & poſito modus velamine vultus
Æternos aperit Deus, & ſimul omnia ſecum.
Participeſque ſui præſentia cernere mentes
Quæ cuicumque libet nullis ambagibus ultro
Imperat, acta cupit pariter, potiturque voluntas.
Hæc poſtquàm ſpectata ſatis patuere parenti,
Et ſimul arcano fatorum numine vidit:
Siqua Deum livore ſibi periiſſe putabat,
Acceſſura tuis maturo tempore rebus;
Gaudet, æterno grates agit inde Tonanti.
Dumque recens animo confert ventura peractis,
Tantarum vel pluris emat faſtigia rerum.
Exiguæ tam parva moræ diſpendia lætus,
Tam larga mercede Deum cumulata reponi.

Hæ-

Hæredemque ſuum ſpectante te, & laudis, & ævi.
Gratum, ait, eſt, ſuperi, quidquid mihi munere veſtro
Conceſſum, generique meo, vos numine veſtro
In ſobolem transferre meam, nec plura locuto
Annuit omnipotens, & decernente ſenatu
Cœlicolum, quondam multis optata parentum
Unius accipiunt cumulatis pectora donis.
Protinus ingenii donat Saturnus acumen,
Juppiter imperium, majeſtatemque verendam,
Corporis, atque animi vires, in prœlia Mavors,
Sacra Deum, moreſque pios indulget Apollo.
Ora Venus Charitum donis, mentemque decorat
Majugena eloquio, & ſollertibus imbuit actis.
Dat caſtum Dyctinna animum, prudentia Pallas,
Conſilia, & faciles Muſarum ad munera vires.
Quid Juno, quid Parca triplex, quid contulit Hebe,
Longa referre mora eſt; quid cetera Numina divum,
Immunis toto non eſt inventus olympo
Officii, curtus Solymas Judæus ad aras,
Sic penetrat, ſic Arſacidas ſua turba ſalutat,
Sic animoſa vices agitabat Roma Decembres:
Et natalitiis Auguſta Palatia lybis
Patritiis admiſtus eques, populuſque colebat.
Denique ut exemplis rerum proprioribus utar;
Sic largæ ſuperum coiere ad munera dextræ,
Japetionidæ fraudem cum fraude repreſſit
Juppiter, & cauti nequicquam voce Promethei
Admonitum luſit miſſis Epimethea donis.
Unde mare, & terras facto velut agmine morbi
Invaſere graves, & quæ prius ordine certo
Mors erat unius jaculo contenta ſenectæ,
Induit innumeras facies, varioſque nocendi
Corripuit veſana gradus, tum pixidis ulte
Intercæpta labris, pendens intuſque, foriſque
Macerat ancipites lento ſpes ægra flagello;
Feminea properante manu, quæ prima laboris,
Prima mali cauſas homini dedit, improba poſtquam
Pellexit facie pulchri Titana voluntas.

At

At tibi non vultu cuiquam impoſitura ſevero
Majeſtas, non fallaci læſura ſereno
Gratia, non blandis animum lactantia verbis
Pectora, nec tacito mox deceptura veneno
Muneribus conceſſa Deum: ſed provida virtus,
Sed pietas, ſed cana fides, ſed conſcia recti
Vox animi, & faciles certo diſcrimine mores,
Quæque decent animum generoſi Principis artes.
Cognatis qui ſe genitum, qui credat amicis:
Qui patriæ, rectique tenax, & cultor honeſti.
Quique ſua generis inter putet eſſe ſalutem
Humani, & toti civem ſe commodet orbi.
Talis erat magni Cyrus Xenophontis, & ipſum
Doctus Ariſtotelis finxit Plutarchus alumnum;
Diſcipulo præcepta ſuo, quos protinus ille
Implevit numeros, & dignum nomine tanto
Exhibuit tibi, Roma, ducem Germanicus olim,
Privato quod jure dedit, potiora daturus
Si ſuperi, ſi fata ſinant. Sed Flavius alter
Præſtitit, imperio quamvis breviore potitus.
Sed quid ego anguſtis immenſum finibus orbem
Metiri, & parva circumvallare corona
Inter ſe ſpatio nuſquam coëuntia longo
Molior, atque hominum longe conatibus impar
Verſo onus audaci, nimium confiſe volatu?
Quo me ducis amor, quonam temeraria grati
Vis animi, quo cæra ruis ſic æthera pennis?
Dum petit, & cera junctas non reſpicit alas,
Proditus æquoreis nomen dedit Icarus undis,
Et Phaëthontiadæ ſtillant Electra ſorores
Eridani ripas circum, fraternaque buſta,
Nam neque Palladiæ quamvis nitantur Athenæ
Ingeniis, ſtudioque virum, non Sparta Lycurgi
Legibus, & crebris regum ſubnixa trophæis,
Quem noſtro componat habet, non Iſthmia tellus
Bellorophonteæ letho cantata Chimeræ
Non Jovis auguſto celebres certamine Piſæ,
Non Elis, non Argos equis, non Hercule Thebæ

In-

Insignes, Bacchique sacris, non alta cothurni
Nomina Tantalides, Agamemnoniæque Mycenæ,
Non Phthiæ, Pellæque duces, Macedumque Tyranni.
An referam celebres Siculis regionibus urbes,
Et centum magni cunas Jovis oppida Cretæ,
Et Persis Salamina gravem, gratamque Cythæræ
Cypron, Apollineamque Rhodon, Delumque, vel ipsas
Cycladas, & sparsas freta per Neptunia terras?
Et quæcumque loci clarum bellove, togave
Ingeniosa suum produxit Græcia nomen?
Scilicet a teneris extremæ ad summa senectæ
Congestas virtutis opes, numerosque per omnes
Integra venturis rectæ exemplaria vitæ
Gentibus una dabunt Argivæ mœnia terræ,
Quæ neque Tantalio reges de fonte bibentes
Urbibus adscripsere suis, nudique sophistæ
Æthiopum, mixtique salo gens conscia Nili
Ausa virum primas olim sibi poscere partes,
Non Babylon, Assurque udis lætissimus agris,
Et septem gemino præcincta Ecbatana muro,
Persepolisque faces, scorti passura furentis
Imperiis, Lenæe, tuis; non divitis aula
Mœonii Sardes regis, Parthique fugacis
Regia, & averso Scythiæ, nimiumque propinquo
Affrica læta minus Phœbeæ lampadis igne,
Quasque cadens lustrat vesper, quas lucifer urbes.
Qua tandem quo, Diva, ferar, si barbara nostris
Exiguum confert quamquam latissima votis
Gens hominum natura minus, seu contulit illi,
Sive decus gentis nostras non venit ad aures
Insidiis, Fortuna, tuis ditissima cultu
Multiplici studiisque potens si Græcia nomen,
Ingeniumque suum vinci, viresque fatetur,
Atque ultro tanti certaminis impar honori
In stadium prodire negat; si maxima Roma
Prole virum felix, & majestate verendi
Nominis imperio late tot functa per annos,
Nescio quid tacito tecum conquesta pudore
In-

Ingenua tandem pro libertate fatetur,
Multa fore ut præſtet, non ſe omnia poſſe daturam,
Quidquid in arcanis ſervant æraria faſtis
Antiquæ virtutis opum, atque his ora reſolvit:
Exhauſit totum magnis delectibus orbem
Præceptor, Trajane, tuus, dum lancibus æquis
Comparat inter ſe magnorum geſta virorum,
Et ſtudia, & mores ad calcem a vertice penſat.
Quot tamen ille meos ingentia nomina cives
Præterit intactos dum multa indagine nuſquam
Invenit externum, noſtris quem comparet ullum,
Ergo non urbes, ipſum ſed vicimus orbem
Magnorum virtute virum, quos provida magni
Fata dedere Jovis maturo tempore, quales
Poſcebat ratio, & rerum fortuna mearum
Inque dies campo ſenſim certaminis aucto
Crevit amor veræ ſumma ad faſtigia laudis.
Parvus ut exiguis exiens è fontibus amnis
Accipit incrementa ſupervenientibus undis
Et creſcit pariter creſcentibus alveus undis,
Donec laxatis prorumpit in æquora ripis.
De ſuperis ingrata querar, morumque priorum
Immemor, & decoris ſi quod mihi fata negabunt
Invida conceſſum noſtræ dedigner alumnæ,
Qui cum communi ſurgit mihi gloria fato,
Invidiſſe patri natum conqueſta vetuſtas.
Quis matrem nate laudet virtute gementem,
An mea legitima fraudari viſcera fama
Enitar, ſi ferre parum eſt, tam degener abſit
Livor, & inſano rabies agitanda cothurno.
Quin & congeſtos Florentia jungat honores,
Et cumulata ferat meritæ præconia famæ
Major avis, ataviſque patris præſtantior ævo
Unius virtute viri, quem ſingula ſi non
Exequare valent præclaræ nomina famæ
Cuncta ſimul poterunt, nec me pulcherrima rerum
Tot quondam diſperſa locis, tot diſſita ſæclis
Nunc congeſta ſimul ſpectare pigebit in unum
Quem

Quem (nisi me toto fallunt oracula cœlo)
Ad majora vocant tetricarum pensa Sororum,
Jam pater alterno gaudebit Tybris Julo,
Quemque modo cupidis genitum complecteris ulnis
Non invita tuæ concedes filia matri
Rectorem, rerumque caput quas sustinet olim.
Interea lætis avibus, Florentia, magni
Utere sorte tui, virtutibus utere civis,
At tu qui tanto victurum nomine carmen
Concipis, & gratæ revocas pietatis amorem,
Non extrema meæ munuscula suscipe dextræ
Tantorum secura tibi fomenta laborum,
Inde quatergemini repetens primordia Jani
Antiquæ decus Hesperiæ, Latiumque superbum,
Albanosque patres, & stemmata longa recenset
Æneadum, Tatiosque, Titos, & regna Quirini
Virtutes, animosque virum, bellique domique
Quot quos quis ducibus, qua nacta sit arte triumphos
Tum Grajos memorans proceres, & barbara regum
Nomina, quandoquidem tantis non orsibus unæ
Sufficimus, totius simul utere viribus orbis.
Dixerat, & læto deflectens lumina vultu
Nectareos spargit mirantis in ore liquores,
Tum sceptrum & triplici fultum dat lemmate delton,
Interea (mirum dictu) tremere omnia late,
Audirique fragor cœli, crebisque corusci
Luminis amburi cœpit fulgoribus aër;
Lux oculos, horror mentem, sonus abstulit aures,
Mox afflata leves redeunt in pectora sensus.
Ecce autem posita mortalis imagine vultus,
Et quondam Libycis ingens in finibus Atlas,
Tantalis in sipilo, Titanis in æquore Delos,
Et quos saxificæ mutarunt monstra Medusæ
Urbis in effigiem rectis conversa superbis
Ardua septenis fastigia collibus alte
Ostentabat ovans turrito vertice Roma.
Qualis erat domitis Asiæ, Libyæque Tyrannis
Alta triumphales tulit ad Capitolia currus

Sci-

Scipiadum cum ſacra domus, Macedumque ſariſſas
Æmilius Latii ſuſpendit in æde Tonantis.
Tarpei cum templa Jovis Pompejus, & aras
Ditavit Regum ſpoliis Aſiæque rapinis,
Cum Gallos, Libycoſque duces, Pontique rebelles
Relliquias vario produxit ſtemmate Cæſar,
Aut poſt Cantabricas acies, Indoſque ſubactos
Excultam fovit ludis Octavius Urbem.
Huc ſimul exhauſtæ properabant civibus urbes
Europes, Aſiæque agilis, Lybiæque juventus,
Non ſecus ac prono labuntur in æquora curſu
Flumina, & Herculeum lapide petit undique ferrum
Hic turba ſpectante Jovis non unus ad aras
Duxerat innumeros ſpoliato ex orbe triumphos
Signa, aurum, tabulas, veſtes, toreumata, gemmas
Tus, ebur, arma, greges, famulos, ſyngrammata, menſas,
Quidquid habet, qua lata patet tellusque, fretumque,
Jamque unis olim totum quæ mœnibus orbem
Congeſtum ſpectare dedit felicibus aſtris
Roma parens, charæ non dedignatur alumnæ
Progeniem meritæ renuentem præmia laudis
Muneribus decorare ſuis, nullique priorum
Conceſſum, monſtrare decus, cumulata ſub uno
Pectore magnorum præconia longa parentum.
Ergo age poſt primi cunabula lætior ævi
Da Famæ, da Muſa virum, calcataque nulli
Auſonidum certo faſtigia corripe paſſu,
Nec tibi Parrhaſii delectum more petenti
Junoni tabulam Siculæ cum pingeret olim
Una det urbs lectas quæſita exempla puellas,
Sit Babylon, ſit Roma licet, ſit maxima rerum
Ne dum Trinacriis Acragas non primus in oris
Ante tuos oculos ingentis machina terræ,
Cumque ſuis late pateant cultoribus urbes,
Quas Notus, & Boreas, quas Sol orienſque, cadenſque
Aſpicit a primis ad noſtri temporis annos,
Hinc tu magnorum effigies, & geſta virorum,
Et ſtudia, & mores, quos quovis tempore ſumptos

Arbitrio diſpone tuo, imparibuſque recepta
Partibus exactæ ſimulacra repone figuræ,
Qualis apes variis cum prata coloribus halant,
Collectumque ferens in cerea tecta liquorem
Dulcis compoſito diſtinguit nectare cellas,
Aut teſſellatis qui vermiculata refigit
In tabulis, pictove ſolum qui marmore cruſtat,
Qui ſpatio fallente oculos in minima partem
Segmina componit varias imitata figuras,
Quamquam autem formæ puero, juvenique, viroque
Contigerit par uſque decus, patienſque laborum
Corpus, & æquales tanto pro corpore vires;
Altaque multiplici proavorum ſtemmate conſtat
Nobilitas patriis toties ornata trophæis.
Ampla domus late cunctarum copia rerum
Non ego Fortunæ dotes, & munera cuiquam
Naturæ decori vertam, cui contigit unis
Laudibus iis magnum ſapere & ſe credere cœlo.
Ad ſuperos animi vires, gentemque beatam
Dant aditum, ſummoque locant bona mentis olympo
Hinc puer ingenti ſacræ virtutis amore
Captus, & iis ſtimulis Medices agitatus Julus,
Quos nam ille dies, momentaque temporis egit
Naviter, ad ſummæ properans faſtigia laudis?
Quam comis, quam mitis erat, quam fronte ſerena
Lætus, & ingenio facilis ſemel hauſta tenebat,
Acer, & alloquiis promptus cautuſque ſerendis!
Se nulli præferre boni laudator egenti,
Largus & uſque ſibi conſtans, non dextra tumentem
Viderunt, non læva humilem, ſic Martius olim,
Marcelluſque, Solonque fuit, ſollerſque Pericles
Non alius gravitate Cato pietate Lycurgus,
Relligione Numas, Minos probitate, fideque,
Attilius, Maſiniſſa, novum, ſanctumque pudorem
Quæris? Amaſonium talem vidiſtis Athenæ
Hippolytum, talis proles generoſa Thyanes,
Et Capitolina tentata libidine virtus.
Hac ſpectanda tenus pueri ſignetur Juli
Pen-

Pendenti titulo effigies altæ, ne latentes
Tam multas animi facies, variosque recessus
Exactæ prompsisse meis temerarius auctor
Jactarim numeris, cum corp ra pictor apertos
Mensuræ sortita modos, certasque colorum,
Quas capiunt oculi species, perfecta negarit
Supremam exegisse manum, felicior ille
Successu cujus tabulas contingere nemo
Substinuit cæptæ forma proibente figuræ,
Qui tamen illius Venerem superaverit olim
Inventus; mea successu sint vota secundo,
Ingentemque ferant vates ad sidera famam,
Auspicio meliore viri vincamur inertes
Dum meritos referat virtutis Julus honores,
In votis hæc prima meis laudate paravi.
Quisquis in hoc primam tulerit certamine palmam,
Vos age Musarum proceres felicibus astris
Huc vigiles animos, curasque intendite vestras.
Meteriam indulget princeps causamque labori,
Surgite, adeste, juvat generosi pulveris haustus
Arentem positæ fines circundare metæ.
Quem dederit fortuna loco, superique faventes:
Ne tamen ingentes ausus, & max ma rerum
Deterat angustis levior fætura supinis,
Ingenii numeris animi circumspice late
Regna, duces, populos, præclaraque gesta virorum
Assyrios, Medosque feros, Persasque superbos,
Arsacidas Pœnosque truces, Nomadumque Tyrannos,
Victoresque duces Macedum, proceresque Pelasgos,
Civiles his junge manus, Romanaque corda
Fabritios, Curios, Brutos, acresque Camillos,
Scipiadas, Fabios, Paulos, Drusosque, Nerones,
Publicolas, Scauros, Catulos, Celeresque Metellos,
Flaminios, clausos Decios, mitesque Lucullos;
Et cum Pompejis victricia Cæsaris arma,
His tu si qua petis puero de fontibus hauri
Indefessa ruunt plenis tibi flumina ripis.
Dant juga dat campi liquidas cum vallibus undas,


Hannibal ingenium ſollers, patienſque laborum
Robur, & æquatæ largitur munia vitæ,
Nec tibi pauca dabit Naſica legente ſenatu,
Optimus, & magnis junctus patruelibus acer
Lælius, & Grajæ cauti Philopemenis artes,
Pelopidas, Epaminondas, ſummique Laconum
Gracchorumque domus, & quos mora longa referre
Tot proceres, tot magnorum decora alta virorum,
Hinc animi prudentis opes, & robora mentis
Intrepidæ, veſtique decus, cultuſque modeſtos
Delige, & urgentem matrum veſtigia prolem,
Nec pueri ſimulacra modo juveniſque decorem
Effigiem ponas collatis undique membris,
Matura ſed mente viri formetur imago,
Qui Latias, patriæque ſimul moderetur habenas.
Inſpice nunc alio naturæ lumina campo
Pythagoras, & Ariſtoteles, divoſque Platones,
Socraticæque domus ſeriem, ſophiæque miniſtros
Brachmanas, Nudoſque tepente ſub axe Sophiſtas,
Rurſus ab his alias tecum tris pone figuras,
Sic animi poſcente nota ſiç legibus ævi;
Nec non legiferi comprenſa volumine Moſæ
Magnorum monumenta patrum, ſeriemque perennem
Judæi recolas generis, ſummoſque videntes,
Regnorumque vices, recidivaque mœnia gentis
Uſque ſub extremi diſiecta altaria templi,
Perpeſſumque Deum, & noſtræ primordia legis.
Inde trecentenis animo complectere luſtris,
Quos natura viros in luminis edidit auras;
Quam multa pietate graves quam fortibus actis;
Hæc dabit extremos ſublimis imaginis orſus
Materia, hæc grato finem, cumulumque labori
Afferet, & dignas tanto conamine laudes,
Seu cordi eſt puerile decus, ſplendorve juventæ
Robuſti ſeu forma viri, ſpecimenque ſenectæ,
Ipſa autem quamvis late, quod carpere poſſis
Uberius, cupidis dent exemplaria votis.
Non tamen ad vivum collatis undique membris
Emi-


Emicat artis opus, perfectaque mentis imago,
Plurima cum dederis, nam plura requirit, ut ignis
Herciniæ nactus saltus, nemorosaque tesqua.
Talis erat quondam nulla superabilis arte
Pictorum vultu pariter Demetrius asper,
Et mitis cujus veram si pingere nulli
Contigit effigiem palmam certatibus illis
Promeruit, signo propius qui spicula torsit.
Quid negat æquato paribus certamine telis
In pugnam prodire mihi, laudemque mereri
Quod nisi jampridem spatiis excludar iniquis
Altius a primo repetitis fontibus ævo
Naturam, moresque viri peregreque, domique,
Fortunæque vices, exanclatosque labores,
Claraque perpetuo reserassem carmine gesta.
Quæ pietas, & quanta viro prudentia, quæ vis
Ingenii, qua luce bonas tractaverit artes
Justitiæ rectique tenax, quam pectore forti,
Et quibus ille suos animos moderator habenis,
Quos casus, qua mente tulit, quam charus amicis
Quam patriæ, quam cognatis, quo tempore quoque
Ordine pro merito, per quos sit nactus honores,
Ut populos, proceresque sibi devinxerit æquis
Officiis, probitate, fide, sollertibus actis,
Constanti, largaque manu, ingenuoque pudore,
Publica privatis præponens commoda rebus.
Sed revocat fessis properante auriga quadrigis,
Transmissaque jubet tandem consistere meta.
Quis tamen hæc intacta sinat, tacitusque relinquat
Qua pietate graves patriæ moderetur habenas.
Omnibus ut certo pariter devictus amore
Ordinibus metui fugiat, lætetur amari,
Civibus æquatos meritis partitus honores,
Nec modo poscenti faciles accommodat aures,
Allicit, invitatque bonos, & provocat ultro,
Munificus, summisque vacans, non despicit ima;
Privatim quibus ille modis, quos pavit ægenos,
Afflictasque erexit opes, quæ publica, quotque

Ornamenta parat, & magnæ consulit Urbi,
Fortunæ qua jura sinunt, & temporis & lex,
Improbitas, motusque graves, & turbida cœli
Sidera, res hominum vario quas antea fluctu,
Quod si quis placido nostros Deus ore labores
Respiciat, certumque olim mortalibus ægris
Acceleret miseratus opem, dirumque furentis
Effera sanguinei compescat prœlia Martis,
Nata parentis opes referens Florentia Romæ
Candida coctilibus mutarit marmora muris
Exemplis Auguste, tuis, modo vita supersit,
Non frustra sperare datur sub præside tanto,
Qui vigilem partes animum diducat in omnes,
Nulla putans indigna sua mortalia cura,
Ille graves passis casus, Stygiique veneni
Ulcera Pœonias non admittentia dextras
Morborum fomenta domos, alimenta, ministros
Instituit diram superantia munere sortem,
Ille & virgineis ingentes cœtibus ædes
Quattuor, & victum pariter, cultumque paravit;
Hæc ego non ducam fixis potiora trophæis,
Si pietas, si relligio, si numinis aræ
Prima tenent, cultuque Deum mortalia cedunt,
Nec patruele minor, quondam Nassica receptis
Matre Deum, sacrisque fuit, Phrygiaque Cybele,
Parta tamen si quem munitis oppida muris,
Quæsitæque vivant duris in montibus arces,
Hæc quoque Juleis arridet gloria rebus.
Hoc duce non equitum turmis, peditumque catervis,
Armorumque gravi strepitu, non sanguine fuso
Imperii fines promovimus, ardua Thuscis
Fascibus Umbrigenæ cesserunt mœnia tetræ,
Quæ neque fulmineos ignes imitata Tonantis
Horrisonis tormenta modis, nec mille carinis
Atrides, Ajaxque ferox, & divus Achilles
Sterneret & decies geminato milite Xerxes,
Dum vigil occludit saturos custodia muros.
Nec sopita Ligur invadit culmina miles,

Aut


Aut gravis antra ſubit fumus, vanique timores,
Commendat Fabium ſine cæde recepta Tarentus;
Oppida tot laudi non adſcribentur Julo
Auſpiciis quæſita novis Telluris Iberæ?
Scipiades victa Carthagine protinus inde
Non obſcura tulit perituræ oracula Byrſæ;
Quis ſperare vetat ſuperum majora peractis?
Quid non ſumma boni, virtus promittit Juli?
Aſpice quos hominum proceres, quæ lumina rebus
Juſſit adeſſe ſuis, componat publica, per quos
Et privata viros; quem das ex ordine tanto
Immunis, quem laudis agas, hinc ſcilicet omnes
Principis eſt animos & apertos cernere mores,
Hippolyto venator adeſt, pugnator Achilli,
Sectatur Brutos Thraſea, Helvidiuſque Catones
Compatre quiſque ſuo capitur, gaudebat Homeri
Magnus Alexander numeris, multumque Maroni,
Auguſtum indulſiſſe ferunt, quem dixeris illum
Doctorum, quem turba virum comitatur & ambit,
Cui neque vulgari famulatur nomine turba,
Proſequitur magnis omnis quem laudibus ætas,
Quem pariter puerique colunt, juveneſque, ſeneſque,
Quem populus veneratur, amat ſanctuſque Senatus
Cum patruele, Poli curas terræque gerentem
Quem, quoniam meritis non eſt effingere verbis
Inventis cauti liceat ſignare Timantis
Iphianaſſeæ pingentis ſacra Dianæ,
Neve acer monitis gravioribus inſtet Apelles
Protogeni tempus tabulæ ſubducere dextram.





JOANNIS DARCHII

VENUSINI.



CANES.

QUæ generosa canum soboles, quis cultus alendo
Sit catulo; unde suos Epirus clara Molossos,
Audacesque sibi commendet Sparta Lacones,
Diva refer, tu venatrix Dictynna ferarum,
Quæ jaculo celeres nemorosa per avia cervos
Traiicere, & timidos gaudes prævertere damas,
Huc ades, & nostro adspira Dea casta labori:
Tu nemorum regina potens, tibi devia lustra,
Et vastos canibus studium est circundare saltus.
Namque tibi in vallesque cavas, montesque supinos
Antiquos Divûm lucos, silvasque sonantes
Imperium est; saliens tecum decurrit Oreas
Montibus, & spoliis & cæde superba recenti:
Ergo ades, & nostris adsis Latonia votis.
Principio catulus facie spectabilis altâ
Hirsutis rigeat spatioso pectore villis:
Membra toris surgant latos animosa per armos:
Rectaque se crudo distendant robore crura.
Colla brevi tumeant spatio, glomerataque cervix
Disiectas ferat auriculas, radientque coruscum
Ravi oculi, glaucive, & magno immitis hiatu
Ingentem fundat vasto clamore latratum:
Sic trepidum stabulis furem, tacitasque luporum
Insidias, illo numquam custode timebis.
Postquam etenim pingui rediere e gramine serâ

No-

Nocte greges, tremulisque vocant balatibus agnos
Lanigeræ matres, explorat ovilia circum
Ipse vigil, dominoque timens, vestigat ubique,
Ne fur vel stabulo repat, vel clausa fatiget
Septa lupus, sensimque velit se immittere tecto.
Nec soli invigilat pecori generosa propago:
Namque alius (comperta loquor) levi somnus heriles
Excubat ante fores, abigitque latratibus hostem,
Vix audita alius domini mandata capessit
Sedulus, & nutum observat, vocemque loquentis;
Ille sagax leporem scrutari; hic utiles undis,
Sollicitat medio revolantes flumine mergos:
Ille feras vastis turbare cubilibus; ille
Fulmineos agitare sues bonus; ille fugaces
Persequier capreas; celeres his gloria cervos
Sistere, & immani concurrere cominus ursæ;
Aut gravia Eoi prosternere pondera Barrhi.
Hic alius celsâ pascentes rupe juvencos,
Hircososque greges comitatur. & ardua præceps
Saxa per, & scopulos montana armenta tuetur,
Prædones aut dente premens, aut ipse vicissim
Occumbens, animoque ruens in vulnera forti.
Est etiam ex illis gens Martia, quæque feroci
In medias ausit concurrere fronte cohortes.
Hæc si terrifico Mavortia classica cantu
Sanguineum accendant opus. & clangore tremendo
Pugnaces acuant in tristia funera turmas,
Inspirentque animis rabiem, cæcumque furorem;
Castra viris differta petit, custodia fidos
Certa capit vigiles, alternaque munia tractat:
Inde alias, aliasque acies per cornua versa
Fronte locant, pugnasque ineunt, & bella lacessunt
Acrius, insultantque hosti, morsuque fatigant.
Non strepitu horrisono, aut ullo terrore moventur,
Nec celeres horrent Medo jaculante sagittas,
Pilave, & Hæmonio missas tyrone sarissas,
Liventisque globos plumbi, pandasque cateias,
Aut teretes rapido vibratos turbine contos,

Hæc Marti devotus amor, divæque furenti
Negligit, & plagis gaudens, & ſtrage cruenta.
Nec quemquam videas, qui terga fugacia vertat:
Declinetque ictus duros, gladioſve, ſed omnes
Aut fundunt hoſtem, aut communi clade feruntur.
His Colophoniacæ (ſi vera eſt fama) phalanges
Auxiliis, hoſtem valido fregere duello:
Infauſtoque olim cecidiſſent Caſpia Marte
Agmina, vitali defenſa cohorte fuiſſent.
Quæ functis patribus (meritis ut digna rependant
Officia) canibus curant communia buſta,
Exequiaſque pares, & easdem in funere pompas,
Iſtis rex Garamas, ſolio dejectus avito,
Militibus regnum, ſedeſque recepit ademptas.
Quin etiam Cymbrum juvere ad bella ferocem,
Sanguineoque leves tenuere in pulvere Carros.
Hos Mauruſiacus ſibi Maſſiniſſa paravit
Cuſtodes, hominum fidei diffiſus, & iſto
Non ſibi conducto ſua ſceptra ſatellite cinxit.
Talis & antiquis cuſtos nutritus Athenis;
Phœbigenæ quoniam modico ſacra vecta Epidauro
Sacrilego vigili ſervaſſet ab hoſte latratu.
Quid referam quos auratis Minoia templis,
Creta refert poſitos vigiles? quoſque inſula Solis
Carpathii celebrat ſervantis littora Ponti?
Adde etiam, quod nulla homini mage prodiga grati
Officii quadrupes, domniſque fidelior ipſis:
Nam movet ad numeros ſe ſe; & quo juſſeris ibit
Ocyus, ad nutus iterumque iterumque recurrens:
Frigoribus vinci, aut rabioſo neſcius aſtro.
Et licet Herculeis fugias a Gadibus uſque
Ad Tanaim, aut Arabas, rutilique volumina Gangis,
Uſque ſequetur ovans, tua nec veſtigia quoquam
Deferet, ac lateri ſemper comes ibit herili.
Siſtis iter; ſiſtit: properas; velocius Euro
Scindit in obliquum campos, curſuque laceſſit
Aërias volucres: quod ſi poſt terga relinquas,
[Nam dominum crebro adſpiciens obſervat euntem]
Illo

Ille moram curſu penſat, viden ecce repente
A tergo, ut vultuque hilaris blanditur amico,
Aut velut explorans prior in deflexa viarum
Exit, & inſidias animo præſentit acuto?
Nec minus officii memor eſt, quum pocula ſumit
Tota domus, dulcique madent convivia Baccho;
Concrepuere fores? volat explorator; amicum
Si norit, blande admittit, pedibuſque volutus
Hæret, & applaudit palpo, ſupplexque precatur
Effuſi veniam temere latratus: at hoſtem
Ædibus exturbat, laniatuque urget, & ipſi
Limine, veſtibulo, corte interdicit herili.
Quod ſi vim faciet graſſator, & obvia forte
Arma ferat; jugulo intendens, in vulnera primus
Deſilit, incurſatque ferox, fremituque ſuperbo,
Objectuque ſui dominum tegit, & fera tentat
Prœlia, nec fuſum exhorret mucrone cruorem.
Teſtis erit dulci remeans Volcatius agro,
Sera tenebroſam traherent cum tempora noctem,
Quique olim Tuſcâ defenſus in urbe Senator
Nulla, niſi primum cæſo cane, vulnera cœpit.
Te quoque Pællæo, Dari, quondam a rege fugatum,
Ingentique manu ſpoliatum, ſolus Hylactor
Belli inter caſus, Martiſque pericula numquam
Deſeruit, fortiſque comes permanſit iniquæ.
Quid quod & in flammas dominorum, igneſque rogorum
Inſiliunt alii? & cineres comitantur heriles?
Quid quod & ad buſtum (tantus poſt funera bruto
Durat amor, triſtique nequit conſiſtere mente)
In multos manſere dies? gemuloque latratu
Impia fleverunt dominorum fata ſuorum?
Nulla fames, nullæque animos flexere ciborum
Illecebræ, ſed enim magis, ac magis inſidet alto
Corde dolor, dominoque piget ſupereſſe ſepulto:
Quod reliquum eſt vitæ nocet, inſomneſque miniſtrat
Nocte, dieque animo curas; nova vulnera paſcit
Irrequietus amor, triſteſque exaſperat iras:
Exangues donec vigor omnis deſerat artus,
De-

Defessoque super sua fata cadavere claudant.
Adde quod, infixos memori sub pectore vultus,
Conspectosque semel, nullo obliviscitur ævo.
Jam duodena suo percurrens astra rotatu
Bisdenos radiis Titan lustraverat annos;
Ex quo Dulichios fines, Laërtia regna,
Liquerat, & bello, & fluctu, jactatus Ulysses:
Quum tandem post multa trucis discrimina ponti
Contigit optatos portus, placidaque quiete
Fata dedere viro, atque Ithaca tellure potiri.
Jam neque Penelopæ, fractoque ætate parenti,
Non Eumo, non Telemacho, sed cognitus Agro
Tantum erat, effœtis languenti viribus Agro.
Non tibi pulchra Tyros tantum tua purpura debet,
(Quamvis ardenti saturatas murice vestes
Læta geras) quantum canibus: nec Sydonis esset
Lana repercussis vibrans fulgoribus ignes,
Ni canis Alcidæ scopuloso in littore reptans,
Puniceo primum tinxisset labra veneno.
Nunc age, quis villæ melior, gregibusque tuendis,
Quæ volucri soboles cursu, nasove sagaci
Sit potior (nec enim solers dedit omnibus unum
Natura ingenium) quæ sit ratio optima prolis
Formandæ, quo Musa mihi dabit ordine dicam.
Ille igitur cui differtæ custodia villæ
Creditur, & vigili tristes in limine dantur
Excubiæ, durum condiscat ferre laborem
A teneris, pinguique fero gliscentia pascat
Corpora, sub gelido recubans sine stramine dio:
Tum furvum villo fallat nigrante colorem
Noctis, ut excubias obscuro celet amictu.
Sed qui sub vigili simas pastore capellas,
Balantumque greges sequitur, candore per agros
Molle pecus referat, mentitaque vellera tergo
Assimulet subitoque lupum improvisus hiantem
Terreat assultu, & trepidis depellat ab hœdis.
Quod si te montes venabula ferre per altos
Ætolosque juvat per saltum tendere casses,

Ipse

Ipſe tibi audaces Spartanæ gentis alumnos,
(Nam ſtabulis villæ melior, gregibuſque moloſſus)
Elige, robuſtâ quibus a cervice rejectæ
Ad terram veniant aures, hirſutaque denſo
Colle pilo latos fundant cum clunibus armos.
Adde etiam Albanos, qui quantum viribus apris
Occurſare valent, fulvoſque æquare leones,
Et vaſto indomitos certamine frangere tauros:
Aligeras tantum curſu prævertere damas.
Sunt & Locrenſes catuli, ſunt Arcades, atque
Cypria quos Salamis, quos dives Iberia paſcit.
Sunt & odoriſequà celebres indagine, ſolis
Naribus inſuetos inveſtigare receſſus,
Secretoſque feræ docti deprendere calles.
Hos, ſimul ac fœtæ liquere cubilia matris,
Notaque deſpiciunt jam faucibus ubera duris,
Mollibus aſſueſcas epulis, pinguique ferinâ
Sæpe avidos acuas dentes; cervique cruentum
Ad ſpolium latrare doce, exuviaſque recentes.
Inde tibi in vacuos educere proderit agros,
Umbroſas nemorum valles, & inhoſpita teſqua.
Ora tamen loro forti clamoſa tenebis,
Nec niſi firmatos umquam patiere furenti
Setigero, aut ſe ſe venienti opponere cervo.
Acrius in vetitum tendent, invitaque habenis
Colla reluctantum cupient exire miniſtri.
Interea ſi forte gravi ſpiramine raucum
Increpuit cornu, toto jam pectore prædam
Concipiunt, queruloque replent lata arva boatu.
Inde ſuos etenim Lacedæmon Achaica laudat;
Aſſueti quoniam ſilvis, cupidique ferarum
Præcipiti fervore ruunt, perque invia luſtra,
Convalleſque cavas, & ſentibus horrida duris
Arva, & vulnificis dumeta rigentia ſpinis
Dente rotant prædas, indefeſſique ſequuntur
Quod ſemel emiſſum eſt, illos non obvius amnis
Vicinos dirimens ſinuoſo gurgite colles,
Siſtit, nec rapidos lato tenet obice curſus.

Et licet aſſiduo frangantur anhela boatu
Ora, trahantque ægros afflictis viribus artus,
Aſſequier tamen eſt animus: concuſſa fragorem
Silva dat, alta ſonant late loca, curva reſultant
Littora, miſcentur totis fera murmura campis,
Diverſâ veniunt præſtantes dote Moloſſi
Dive ſi ingeniis, non omnibus omnia præſtat
Natura, at vario ludit diſcrimine morum.
Nam cum ſint volucris non ultima gloria curſus,
Nec ſæpe audaci formident impete fulvos
Frangere apros, cervoſque fugâ verſare paventes,
Uberior tamen eſt illis, & fortior inde
Laudis cauſſa venit, molli quod tempora ſomno
Pauca terunt, ſeu flamigero det lumina curru
Phœbus, ſeu niveas agitat Latonia bigas,
Somnifero obliquum volvens jubar axe per orbem.
Sed vigili domino cura, raroque cadente
Lumine proſpiciunt, & herilia murmure circum
Clauſtra fremunt, ne ſint nocturno pervia furi,
Neve lupo, tutaque greges ſtatione quieſcant.
Sin autem vacui ſpatioſa per æquora campi
Auritum tepido leporem exturbare cubili,
Accipitremque juvat volucri prætendere apricæ
Hic tibi ſunt humiles villo breviore legendi,
Indidit ipſa ſuum quibus olim Hiſpania nomen.
Hi ſi forte levis toto lepus errat in arvo,
Pone legent roſtro veſtigia nota ſagaci:
Et modo tranſverſo, modo recto jugera ſulco
Scrutantur, validis iterum ſudata juvencis;
Nec prius abſiſtent putres percurrere glebas,
Et ſtudium tremulo caudæ oſtentare flabello,
Quam veſtigati ſubito lepus æquoris ampla
Corripiat ſpatia, & campo ſe credat aperto.
Ocyus inſequitur Prerelas, curſuque citato,
Intervalla facit lati decreſcere campi.
Jam propior, propiorque micat, jam captat hianti
Summa pedum roſtro, jam terga fugacia ſtringit.
Ille pavet, flexoque obliquat tramite curſus,
Et

Et dubiâ trepidans formidine, jamque teneri
Se putat, & rurſum tangentis ab ore recedit;
Fataque momento ſibi prorogat, æmula donec
Roſtra levis mergat miſerando in corpore victor,
Fulmineus victor, gemino cui tramite lumbos.
Spina ſubit graciles, & caſtigata coërcet
Ilia ſubſtrictus venter: ſtant crura volantem
Præteritura Notum, longo internodia ductu
Pes gerit, in cœlum tolluntur acumine bino
Auriculæ, flexoque in lævia tergora gyro
Erectæ redeunt falcata volumine caudæ.
Sunt humiles etiam Melitæa ex gente catelli,
Quos gremio geſtare ſolent Heroides, hique
Nec curſu celerem ſectantur præpete cervum,
Nec lato pavidum leporem ſcrutantur in arvo:
Veſte ſedent fluxâ, & pedibus Mileſia calcant
Serica, ſub Tyrioque recumbunt molliter oſtro:
Nunc caput exertant gremio, ſaliuntque decorum
Nobilis in vultum dominæ, luſuſque fatigant
Labra corallino modicum ſuffuſa rubore,
Vernanteſque genas, & ebur ſuperantia colla,
Smaragdoque graves digitos, & Perſide gaza:
Nunc tenui latrare ſono, pictoque videbis
Laſcivire toro, aut nitidâ juveniliter aulâ.
Hoc mihi, Cœlicolæ, triſtes lenimine curas,
Tædiaque humanæ concedite pellere vitæ.
Hac utinam mea vota tenus ſint improba, numquam
Divitias Arabum ingentes, opulentaque Crœſi
Regna petam, numquam ut vanos mihi purpura faſces
Oſtentet, populi applauſu, plebiſque favore
Sollicitis precibus Superos ambire juvabit.
At ſilvæ, gelidique ſpecus, cava luſtra ferarum,
Ruraque, & arcana labentia flumina valle
Sunt animo: hic reliquum vitæ, atque extrema ſororum
Penſa mihi rumpi exoptem, ſecurus ab omni
Invidiâ, & miſera procul ambitione, beatus
Sorte humili, & triſti curarum liber ab æſtu.
Talia condebam Venuſino lentus in agro:

Dum

Dum pueri (quorum ratio mihi carior omni
Laude fuit) reditum ad Musas, recidivaque fesso
Indulgent studia, & ferulæ sceptra improba cessant.

CAROLI DATI

FLORENTINI.



In Effigiem Ferdinandi II. Magn. Duc. Etrur.

ASpicis augusto dignum qui Principe vultum,
Quæ pingi nequeunt Numinis esse puta.

Aliud.

Fernandi augustam Magni Ducis aspice formam,
Suspice Divinam quam nequis aspicere.

Aliud.

Principis effigiem, cujus nomen vis capit Orbis,
Astra animus tangit, parva pagella capit.

In Effigiem Christinæ Svecorum Reginæ.

Invisa est virtus, aut hæc virtutis imago,
Christina est etenim virtus, aut pulchrior illa.

Equitis Cassiani a Puteo, ætatum, atque horarum omnium hominis præclarissimi Tumulus.


Viator jacet hoc situs sepulchro
Flendi maxima caussa Cassianus,
Ætatum omnium amor, decus, levamen,
Hoc saxum super, optimo perempto,

Præ-


Præſentes lacrumant, gement futuri,
Si poſſent quoque, qui fuere, flerent.

In funere Ferdinandi II Magni Ducis Etruriæ, quum Florentiæ in Templo Divi Laurentii juſta ſolverentur.


Magne Puer, te quam præcox Regno admovet ætas!
  Sors cito regnare eſt, laus meruiſſe prius.
Jam ſuperas animo Imperium, mirantibus annis,
  Jam ditione pari, teque, tuoſque regis.
Quid cito te regni veniſſe ad limina dicam?
  Qui præſtare poteſt talia, ſero venit.




Vicimus! everſas dolet hinc Eubœa carinas,
  Hinc Uticæ, ac Lybiæ gloria fracta jacet.
Nec mirum, Fernande: tuis pugnavimus armis,
  Te duce nil noſtræ non potuere rates.
Quam bene jam de te mereat victoria, Princeps,
  Aſpice: ſub ſignis militat illa tuis.




Ingredere, o Princeps, aperit Capitolia Virtus,
  Sacrorumque vocant te pia vota Patrum.
Nempe tuis Pietas animare nitoribus oſtrum,
  Formarique cupit moribus ipſa tuis.
Qualem animam rear ergo Tibi, lex prima potentum,
  Si Pietas a Te diſcere jura poteſt.




Quale iter hoc magnum, Princeps; iter, anne triumphus?
  Jam Tibi ſponte ſuas mancipat Iſter aquas.
Te colit, Auſtriadum Te ſuſpicit Aula, tuoque
  Ipſe ſuum arbitrio ſubdere Cæſar avet.
Numquam, Roma, parem tua vidit arena triumphum;
  Regna tibi, huic animos vincere poſſe datum.




Arma ſilent, Princeps, dum bella peroſus, & iras
  Magnanima prohibes Itala damna prece.
Nempe negare vetat, qui ſic rogat; æqua precatus
  Penè reus voti eſt, vimque jubentis habet.
Portentum ergo duplex oritur: Pacem arma miniſtrant,
  Aſſequi ab armato Tu ſine cæde potes.




Tyrrhenum, Princeps, quæ littus Ibera ſalutant
  Lintea, depoſitum quam tibi grande ferunt!
Pannoniæ ſpes ecce tui venit æquoris hoſpes,
  Et gravidam Imperiis vix regit unda ratem.
Regali hoſpitium ſplendore quid inſtruis? ingens
  Sit licet, inferius Te tamen illud erit.



Quis putet hoc, Princeps? ægræ dum conſulis Urbi,
  Inque tuum vertis publica fata caput:
Vim facis ærumnis, & jam fracto impia telo
  Lethiferum peſtis juſſa referre pedem.
Scilicet empta ſalus numquam diſcrimine tanto,
  Et numquam tanti conſtitit eſſe pium.




Culpa mali genitrix: hoc ariete regna fatiſcunt,
  Imperii columen, relligionis amor.
Ferdinande luem potiori figere clavo
  Non poteras, Mariæ luſtrat imago vias.
Quid ſperare nequis? Peſtem pietate fugando
  Cœlo animas, urbi corpora reſtituis.




Fauſtus Hymen, tali qui te, Fernande, parentem
  Prole facit, magnos quique reducit Avos.
Hinc non totus, obis, nam pars licet infima cedat,
  Parte tui Natus te meliore refert.

Nem-


Nempè alia infirmum reparant connubia corpus,
Pulchrius hoc, animum quod reparare poteſt.




Fallor? an aggeribus trepidare videntur ab imis,
Tecta? gemunt Arces, Mœnia, Templa, Domus.
Te, Fernande, pavor neſcit: non ipſa procellas
Robora contemptu nobiliore vident.
Conſcia namque ſibi mens alta timere recuſat,
Impavidumque fugit cœca ruina caput.




Nulla ſalus bello, ni pacis amore calentem
Admoveat pugnæ vis inopina Ducem.
Tyrrheni columen Regni, fortiſſime Princeps,
Palma ſilente tibi quæ ſatis enſe placet?
Macte animo, Fernande; tuos Bellona triumphos
Inſtruit, aut tecum non foret auſa loqui.



Te matres, cogente fame, te ſquallida circum
Ora virum poſcunt, te chorus omnis habet,
Ferdinande, gemitque ſuum pertæſa rigorem
Sors, Cererem immenſam dum tua dextra refert.
Quid poſſet tanto ſub Regnatore timeri?
Delicias populo maxima pœna tulit.




Quale agmen Procerum, queis tempora vellus obumbrat
Læna humeros veſtit divite pelle gravis?
Sauromata indomitus Fernandum pronus adorat;
Cæſaribus quondam par fuit obſequium.
Roma triumphatrix tamen hoc fateare, coactus
Quod metus eſt olim, nunc dare geſtit amor.




Exoptatus Hymen! longis en ſidera votis
Arrident Tuſcos progenitura Duces.


Irradiante ſolum virgo ſata germine, Coſmum
Te, Fernande, libens auſpice ſponſa petit.
Detegat ergo novos jam Flora nepotibus Orbes;
Conjugio impleſti Solis utramque domum.




Pectore dum, Princeps, ævi Prudentia noſtri,
Ignaras lethi providus abdis opes.
Arbitrium venerata tuum ſiluere tubarum
Murmura. & eloquio torpuit haſta gravi.
Quamlibet horrendis tellus circumſonet armis,
Te dicente, ſuas comprimit ira minas.



Quanta tui, Princeps, eſt indulgentia! denſis
Non unquam renuens, ara reperta malis.
Pannonia, Illiricumque cadens experta fatentur,
Cretaque centenis Urbibus ante ferox.
Decertent alii terras violare propinquas;
Ipſe quid exquiras, jam tua geſta ferunt.




Mixta Corinthiacis dum dividit æra caminis
Humor, & ignoto dente metalla vorat.
Fortibus invictum dumtaxat morſibus aurum
Præterit, aut vires comprimit unda ſuas.
Quid mors non potuit, conſumpſit vile cadaver,
Tangere Fernandi nobiliora nequit.




Aſpice ut in vitreo concluſos carcere flores
Torqueat innocuos ignea ſævities.
Ecce decus Vernum languet, fex tendit ad imas
Sedes, alta petens humor odorus abit.
Sic roſeas floris, quem mors rapit invida, frondes
Terra operit, fragrans ſpiritus aſtra tenet.

Oc-




Occidit, heu quantum morti licet! occidit Heros,
  Sospite quo veterum gloria visa minor.
Naturæ modicum, sat famæ vixit, & ævo,
  Nil votis, magnæ sic pereunt animæ.
Quid gemis extinctum? superat jactura dolorem,
  Funere in hoc vires perdidit ille suas.



Ergo iterum implemur crudelis imagine lethi?
  Bis facit hæc miseros, & grave vulnus alit.
Nostra hic fata jacent, ubi maximus occubat Heros:
  Quam vidisse grave est, quod meminisse dolet!
At placet hunc vitæ reddi? quid gesserit, Hospes,
  Perlegito, & credes, non potuisse mori.







ALEXANDRI DONATI

SENENSIS. SOC. J.



Mors CHRISTI Domini, luctusque Virginis Matris.

PAr fuerat ſcelere in magno, ne triſtia mortis
Robora Colle ſuper rigido ſabricaret Idume,
Terrarum, Cœlique plagas, fluctuque natantes.
Conjurare manus, Solimamque ut ſcinderet urbem,
Non concepta prius properare in fœdera Mundum,
Alta immortales extinguere ſidera luces
Debuerant, delere diem, currumque cadentem
Excutere, aut patrio Phœbus diſcedere Cœlo.
Quin & collectis nubes in fulmina flammis
Igniferos imbres, tonitruque horrenda ciere
Fulgura, fulmineoque viros involvere nimbo·
Manibus at tellus penitus convulſa profundis
Inſtabili mugire ſolo, laxare latentes
Abrupta compage ſinus, gremioque recuſſo
Saxea diſiectis impingere culmina ſaxis.
Aut, melius, fauces Erebi, Ditiſque voraces
Inferni reſerare lacus, atque impia regna,
Iſacidumque genus meritis immergere flammis.
Hæc Natura ſui funus crudele Parentis
Queſta repoſcebat: Mundi jamque ultima forti
Vertiſſet caſura manu, ne mœſta videret
Crimen atrox, labemque ſuam, tu ſcilicet auctor,
Extinctæque iterum vitæ ſator, obvia telis
Nubila fulmineis, terræque, undæque tumultus
Preſ-

Pressisti, astrorumque iras, ut morte liceret
Mortis, & ultrices scelerum persolvere pœnas.
Tu, Deus, humanæ post longa pericula vitæ
Ingrato generi non vitam, aut ferre putabas
Gaudia, pacato ni pronus ab æthere nostros
Dulcis in amplexus aperires pectora; latè
Sanguineis eadem fluerent ni fervida rivis,
Totque essent hominum vitæ, quot vulnera, fontes,
Idem insurgentes utroque sub axe furores,
Ulturosque necem prohibes, Mundumque minantem,
Expectata Crucis donec sublimè teneres
Brachia, tum nigra condi ferrugine Solem,
Et vestire diem tenebris, tunc ima sinebas
Fundamenta quati terrarum, excussaque fractis
Ossa virum, & vivos cineres migrare sepulchris.
Montanis tum saxa jugis, tum vela sacratis
Rescindi protensa adytis; cum certa videntes
Exitia incassum tundebant pectora cives,
Certabantque suis trepidi se condere tectis.
Sed quamvis seu pontus aquas, sive astra coruscas
Armarent ad bella faces, seu terra revulsis
Nutaret lapsura jugis; non dextera vindex
Adfuit, aut sævas rapuere incendia gentes.
Tu nocitura vetas, & cuncta pericula solvis;
Usque adeo moriturus amas, & parcere gaudes.
Ergo quod extremæ signabas tempora vitæ,
Juraque certa necis, quod Averna in nocte potestas
Dira tenebrarum feralibus adfuit horis,
Sponte feris adjuncta subis ludibria pœnis.
Jamque suburbanis miles religarat in hortis,
Sudor ubi roseos proruptus sanguine rivos
Fuderat, & bibulas latè madefecerat herbas.
Tum furiis acti proceres, rabidoque Senatu
Damnavere patres, totaque in nocte dedere
Illudi insontem, & primos libare dolores.
Circumstat furibunda manus, pars tempora velis
Cingere, fulgentesque oculos: pars tundere palmis,
Et fœdare genas, frontique avellere crines:

Cædere pars calamis, & amaris ſcindere dictis,
Et noctem infandam furiali abſumere ludo.
Ille ſilet (medioque tener velut agnus ovili
Tondentem obſervat tacitus, juguloque minantem)
Sic vultus pulſanti aperit, crinemque trahenti,
Seraque non ullam ſceleri dedit hora quietem.
Et jam Sol aderat pallentibus obſitus umbris,
Surgentemque diem Cœlo decuſſerat, atro
Nec dabat ore jubar, trepidique ad frena jugales
Averſi tenuere jugum. Nocturna per urbem
Sed tamen innumeræ rupere ſilentia voces.
Conſiliis nam ſacra Patres ad templa coactis
Eduxere adytis Regem, denſaque corona
Cæſaris implorant leges, Latiumque tribunal.
At non dum caſus, & lamentabile mater
Supplicium nati ſenſit, dubioque recondit
Pectore curarum fluctus. Nempè ipſa futuros
Præſcia fortè agitat motus, & funera volvit
Abſentemque ciet lacrimis; iterumque vocatos
Currit in amplexus; rapitur tamen ille per urbem,
Tercentum gravibus dura ad Prætoria vinclis,
Audiat ut miſeræ mandata noviſſima mortis.
Tuque adeo nuper fortunatiſſima mater,
Surge precor tacitis conclavibus ignea totos
Unde jacis vota in ſuperos, nimiumque fatigas
Sidera, & iratum placas regina Tonantem.
Linque humiles o Diva domos, atque ultima nato
Oſcula, complexuſque refer. Præbere facultas
Non eadem poſthac, rigido cum languida ligno
Corpora pendebunt, gelidaque in morte videbis
Diſſociata procul nigro impallescere Cœlo.
Te verò quantum ſtimulis novus angeret error,
Occumbat ſi forte neci, ſi forte parenti
Te ſine contortam lateri Deus hauſerit haſtam,
Perruptoque fluant duplices è pectore fontes.
Ergo ades, o genitrix, vox flebilis urgeat urbem
Turturis; haud equidem fallor, ceu compare turtur
Amiſſo ſine fine gemit, deſertaque luctu

Et nemora, & ripis latices, & montibus Euros,
Nec responsuras ad murmura provocat umbras.
Non aliter dequesta gemes, egressaque tectis,
Casta columba, tuis quo fletu compita latè,
Mœniaque, & mœstis implebis vocibus auras,
Nec mora virgineos crudeli in funere questus
Distulit, insanos vulgi resonare tumultus
Vix Diva, & populos sensit mugire frementes.
Agnovit cum signa necis; secumque volutans
Heu cari horribiles raptus, & vulnera nati
Quæ non ore dedit pavidi suspiria cordis?
Illa & humum sparsit lacrimis, & tecta querelis.
At non hæc (fatur) dederas promissa parenti,
Ut sine me duræ velles occumbere morti.
Sprevisti nostras nec tu dulcissime voces
Nate, sequi mater cum te per tela per ignes
Spondebam, ferroque caput, parilique vovebam
Sive trabi affixos artus, seu colla securi.
Dixi equidem, rursumque feror moritura per hostes,
Ni comitem refugis, comitem per tempora vitæ
Quam tua semper habes. Antrum nemorale subivi,
Et tecum hiberni gemui mala frigora Cœli,
Ægyptumque procul, septenaque flumina Nili
Non sine matre petis, mecum volventibus annis
Nazareos habitas Galilæa per oppida montes,
Assuescens operi Mundi faber, ipsa remotos
Lustrantem populos, urbesque sequuta piantem
Non sine te vixi: tu jam sine matre peribis?
Non ita divellar, si Crux tibi tollitur, altos
Atque infausta super montes præfigitur arbor,
Ipsa quoque adiungar; pendentibus arbore summa
Ipsa etiam membris felici in morte recumbam,
Ni forte ante dolor vitam auferat. Annue votis
At Pater, ut nato immoriar. Sic ultima voci
Facta via est, imo clausit sub pectore questus,
Et lacrimas expressit amor, qui verba repressit.
Ut rediere animi, properato concita gressu
Ire parat, qua vulgus atrox, densataque circum

Turba fremit, procereſque, & adactæ in vota jubentum
Iſacidum voces ſervilia funera poſcunt.
Anxius at Prætor, rebuſque incertus agendis
Quærebat, lethoque moras, tempuſque furori.
At non & contra abſiſtunt, ferrumque, trabeſque
Lethiferas clamore vocant, precibuſque Tyrannum
Tardantem ſtimulant, funeſtaque juſſa morantem.
Et jam victrices populi non amplius iras
Pertulerat judex, dederatque immane frementi
Funera; præcipiunt ſe ſe properantque cruentæ
Horrida tela necis; diſſecto hi lignea trunco
Brachia diducunt, hi ſæva in vulnera ferrum
Exacuunt, terebraſque novant, clavoſque trabales:
Expediunt alii faſces, dumoſque miniſtrant,
Purpureaſque ferunt chlamydes, calamoſque, paluſtres,
Ingeminant fremitus, offenſaque vocibus altis
Mœnia reſponſant, Cœlum tonat omne tumultu,
Horruit aſpectu genitrix, luctuque per omnes
Carnificum tendit cuneos: & vos mihi (dixit)
Nondum arma, aut ignes, aut hæc tormenta paratis,
Crudeles? nihil ille meus fraudiſque, dolique
Nil potuit; Cœlum teſtor, vos credite matri.
Ille Paleſtinas viduavit peſtibus urbes,
Atque æſtus, morboſque manu, mortemque fugavit,
Aut linguæ voces, oculis aut munera lucis
Reddidit, ille potens dominis ſuper æquora plantis
Quod vectus placavit aquas, domuitque procellas,
Et Caurum tumidos volventem turbine fluctus:
Quod procul ejectum torrentibus addidit antris
Agmina torquentem Stygium captiva Draconem;
Sæpe quod arcanis animas exire ſepulchris
Juſſit, & amiſſæ redeuntia corpora vitæ,
Cæditur? & virtus dat iniquæ exordia mortis?
Cauſa mali nulla eſt, hominum ſi prima nocentum
Culpa vacet; commune nefas, & veſtra piantur
Crimina, ſed geminate iras, duo jungite ligno
Funera: mœrentem nato componite matrem;
Crux capit illa duos; geminæ ſolatia mortis

Na-

Natus erit, Materque simul. Nec plura dolentem
Effari sinit atra cohors, nec longa precantem
Audiit, accelerant omnes, fremituque secundo
Supplicium intentant, stragemque, & funera versant,
Ecce trahebatur media inter millia, morti
Crimine devotus nullo reus; undique ferro
Cingit, & ardenti lictor mucrone coruscat.
Ipse caput (caput heu textis quod serta coronant
Aurea sideribus) spinis redimitus acutis
Implebat rigidos roranti sanguine dumos,
Et circum roseo manantia tempora nimbo.
Pulsus ab ore decor, dejectaque gratia frontis
Avia lux oculos, nuper duo sidera, fugit:
Colla catenato stringebant languida ferro.
Stridentes chalybes, vinclisque sonantibus urgent.
Pectora hiant crebro, sulcataque vulnere terga,
Atque omnes livent virgis immanibus artus.
Ille tamen suspensa Crucis jam viribus æger
Robora fert humeris, sævique ad culmina collis
Instrumenta suæ portat rigidissima mortis.
Infelix sterili turgebat in aëra dorso
Trans Solymam Collis, qua soli obversa cadenti
Inferiora locat depresso mœnia vallo;
Tristiaque æternum dederunt Calvaria nomen.
Illic, ut perhibent, veteri composta sepulchro
Noxia primævi jacuerunt ossa Parentis:
Cui male floriferis custodia credita septis,
Admovitque manus rutilantibus arbore pomis,
Nec miser aspexit pendentes fulminis ignes,
Fatalique super ludentem caudice mortem,
Ipse informis humo, squalenti vertice collis
Exundat pœnis morientum, & pinguia truncis
Membra cadaveribus, putrique fluentia tabo
Ostendit late, calvisque nocentibus albet.
Huc subeunt omnes, civesque, & ferrea circum
Miles in arma fremens, volitant vexilla per auras,
Æra sonant, signumque tubæ ferale remugit.
Qaid faceret mater? quo se mœstissima luctu

Inferret populis? rabidos qua voce moveret?
Illa quidem natum furibunda per agmina cursu
Vestigat, propiorque instat; non illa pericli
Exitii non illa memor: per tela, per enses
Donec iter sibi fecit Amor, jamque astitit ante,
Et vultum, lacero indubitans, visuque pererrans
Vix tandem agnovit, roseis, pulcherrimus ore
Heu non ille genis, oculis non ille serenis
Lætus adest, qualem superi cinxere decoris
Sæpe ministeriis; qualem se nuper ad urbem
Egit, & infestam vultu pacavit Idumen,
Palmiferoque ducem vexit Solyma alta triumpho.
Vix credit potuisse feros tot vulnera dorso
Ducere, tam rigidis transfigere tempora dumis.
Attonitis relegens oculis: iterumque videndo
Sanguine rorantem lustrabat, & alta ferentem
Robora: sed linguæ mœror sua verba negabat.
Ingenti tum fortè trabis sub pondere natus
Æger anhela trahens jam corpora, corpora tandem
Heu languens declinat humi; ceciditque ruina
Involvens roburque, & vincla sonantia ferro;
Allapsu resoluta novos dant vulnera rivos.
Tum verò tremefacta parens, subiensque periclo,
Atque allapsa solo pariter, complexaque natum:
Tunè, inquit, Rex imperiis, dignate paternis
Hæc humeris tormenta geris? tu ferrea collo
Vincula? ne quisquam officiis succedit amaris?
Ponderaque iste levat? Surge o, dissolve tenaces
Da nexus, da ferre trabes; si tantus iniquos
Ad montes impellit amor, sine pondere montes
Ocyor ascendes. Ego jam non ista relinquam
Vincula, non quercus; misere ut divulsa recedam;
Rursus & hinc vitam, procul examinata requiram?
Et tu suppliciis sperasti o care supremis
Membra dare, & duro defigere brachia ligno,
Et sine matre mori? vitam sine vulnere mater
Deseret, indecoremque animam? sic pectoris hujus
Est tibi notus amor? sed tu lacrimabilis arbor
Me

Me quoque flexa feres. Dixit, voluitque ſubire
Pondus, & infauſto circumdare brachia ligno;
At ſubito vires dolor abſtulit, ante petitos
Deficit amplexus, mediiſque recumbit arenis;
Nec Natum potis eſt audire, & reddere voces.
Fuſtibus ille autem crebris, & faſce cruento
Sæpe repercuſſus, vix tandem elatus iniqua
Surgit humo; properat lictor, ſtimulanſque, trahenſque
Ante gradu volitat, ſequitur levis ille volantem,
Quamquam feſſa labant, lapſantque in ſanguine membra,
Montanoque ſubit figendus in arbore clivo.
Me miſerum; fabor ne? an juſta ſilentia mandat
Exitiale nefas, ſcelerataque Golgotha poſcunt,
Ite oculis, gemino Vatis de fonte cadentes
Pro verbis lacrimæ, faciles pro carmine fletus.
Forſitan hos durum molleſcere pectus ad imbres
Incipiet, mœſtoque bibens humore favillas
Hauriet irriguos Regis morientis amores.
Proh Cœli violata fides, & prima parentum
Crimina. Culpa vetus quantò ſtetit! aurea mala
Sanguine quo redimenda voras, qui prodiga vitæ
Oſſa Paleſtino condis male credita buſto!
Ecce ſuper tumuli cineres, regnataque Morti
Marmora, vitales prorupto flumine venas
Ipſe unà immoriens aperit Deus; arida vitæ
Non alias arbor ſurgat rediviva per undas.
At vos, Iſacidæ, nondum furor, altaque cordis
Explevit rabies? ſummo quæ robora ſaxo
Strata jacent? quæ virgineo formata pudori
Corpora nudantur? truncoque extenſa trabali
Trajectis duplici figuntur cuſpide palmis?
Cuſpide trajectique pedes? Heu qualis adacto
Terrificat ferro ſonitus? quis defluit amnis
Sanguineus? quali cum pondere ſurgit in auras
Prodigiale Crucis tormentum, impulſaque ſubter
Terra recuſat onus, tremefactaquè mole laborat?
Vos æternæ arces, oculata volumina Mundi
Vidiſtis, nec dum trepidæ vertiginis orbes

Siſtitis? ac magni leges non frangitis axis?
Non iras pluvio demittitis igne tonantes?
Tuque adeo aſtrorum princeps, quæ lumina terris
Spargis adhuc? ſcelus ecce fugat lucemque diemque,
Projectas extingue faces, cinge ætheris alti
Squalentes nigra umbrarum formidine campos;
Ipſe dehinc poteris, Sol, circumfundere noctem,
Nunc & funereos Cœlo prætendere amictus,
Solis ad occaſum, quo tu de fonte bibebas
Lumina: nunc tempus lugubrè ardentibus aſtris
Exequiale ſacrum, tumuloque accendere flammas.
Ecce per obſcuras diræ caliginis umbras,
Horrenteſque auras, & formidabile cœlum
Elatus Mundi genitor demiſſa recondet
Lumina; lethales ſtridunt in membra dolores;
Feſſa labat cervix, cervix neque feſſa recumbit.
At ſilet immotus, ſpectanſque, imitanſque tacentem
Horrificæ noctis per vaſta ſilentia Mundum.
Interea genitrix (redivivos ſpiritus artus
Cui regit) accelerat crudelis in ardua collis,
Vixque animæ patiens, curſu tamen incita natum
Aſtitit ante parens. Superi, quorum agmina mille
Inſuetis Regem lacrimis fleviſtis ademptum,
Dicite, qui ſenſus fuerit, quæ cruda duorum
Vulnera. Vicina pallens in morte, rigentes
Ille quidem, fixuſque trabi malè ſuſtinet artus,
Sanguinea exangui decurrunt flumina dorſo.
At mater pallore genas ſuffuſa madentes,
Jamque ſimul moritura, oculos immota tenebat,
Non gemitus, non verba dabat, dolor omnia ſecum
Abſtulit, atque animam ſecreta in corda coëgit.
Sæpe obluctantes conata eſt reddere voces:
Reſtitit, & linguæ vox intercepta receſſit.
Sæpè movere gradus, atque oſcula figere trunco;
Obſtitit, & gelidos tenuit ſtupor obvius artus.
Optabat riguos nati libare cruores
Optantem vis nulla juvat. quid? ſcandere juxta
Sum voluit, natumque alto demittere ligno,
Aut

Aut ſimul ipſa mori? ſenſit tamen irrita vota
Nec ſe mœrentem, ſe nec cognoſcit amantem,
Sola mori neſcit, quæ neſcit vivere mater.
Vix bene languentis poterat componere nati
Lumina luminibus, vix triſte audire loquentem,
Juraque virgineo juveni materna dicantem.
Quod ſupereſt, jam vocis egens, jam neſcia vitæ
Muta loquebatur, tacitoque in corde gemebat?
Te ne Deum? te ſiderea ſuper arce ſedentem
Regnatorem orbis, dira hæc portenta manebant
Nec tamen ipſa queror tua funera, funera pridem
Poſcebas; teneros poſtquam Deus induis artus,
Non alius cogebat Amor, mea funera vivens
Ipſa queror, rapis hanc animam, raptamque relinquis
Ut moriar, vivamque ſimul, tamen accipe vitam
Hanc quoque cœleſtis genitor, ſolare parentem,
Redde precor nato, fas eſt jam cedere vitæ
Cumque Deo moriente mori, ſubit ultimus illi
Spiritus, expiratque una qui vixerat Orbis,
Ipſa moror? tacitis patuit vox nulla querelis
Amplius; exanimæ ſimilis poſt illa jacebat.
Nos quoque vox, Mundi vita fugiente, refugit.

Mortem Chriſti Domini ſequuta Hieroſolymæ ruina.

Flebilis attonitas longe vox impulit aures;
Impulſoque novos fingens in pectore ſenſus
Mens alio diverſa ſubit, vagus incola Mundi
Cernere deſertas videor trans æquora terras,
Et Solymæ Aſſyriis ardentia mœnia flammis.
At vatem contra lacrimantem, & colle ſedentem,
Cui dira excidia, & Judeæ funera gentis
Dicere cura fuit; nunc illi mœſta cadentes
Ora rigant lacrimæ, ſqualetque impexa comarum
Cæſaries, ac voce refert miſerabile carmen:
O patria, o cineres, o quæ monumenta ſupremo
Barbarus igne rapit; cecidit decor ille vetuſti

Im-

Imperii; Regumque domos, certantiaque astris
Culmina, & erectas æterna in sæcula moles
Ferrea pestis habet, missoque incendia ferro.
Ne tamen urbs inter miseræ mœstissima mortis
Funera quære iterum consurgere: neve per auras
Sacrilego ferale caput sustollere muro.
Quid struitis cives? quid mœnia condere saxo
Audetis, lapsos quid cingitis aggere muros?
Et tecta antiquas iterum visura ruinas?
Huc video quondam regnatis lapsus ab astris
Omnipotens, duro defixus corpora ligno,
Candidaque insertis trajectus tempora dumis
Pollutas tenebris vitam expirabit in auras.
Quo feror? acclivis duplicato poplite terræ
Multa gemit, largis humectans imbribus ora;
Pulsa per exangues expirat gratia vultus,
Membraque sanguineus madefecit pallida sudor.
Irrumpit legio, vinclis Regemque Deumque
Innectunt, lacerantque comas, celeratque per umbras
Confestim, & sævam veniens subit agmen in urbem.
Et video, & vidisse dolet quos sæva furores
Turba viro, & quantas violentior aggerat iras.
Pars oculos denso geminos obnubit amictu.
Pars vultum manibus quatit, insultatque flagello:
Turpibus ora notis fœdant, lacerantque revulsam
Cæsariem, horrendum pœnæ genus, & mora nulla
Aut requies tormenta levat, populusque, patresque
Miscentur longis densa ad Prætoria turmis,
Exacuuntque iras, atque ultima funera poscunt.
Tuque adeo insontem virgis, & vindice ligno,
Quid scelerate reum tentas extinguere? quis te
In furias jubet ire metus? quid tela? quid enses?
Cur video pendere Cruces? o pone furores
Pectore, tela manu sanguis meus. Ille per urbem
Quem rapitis, geminis devinctum colla catenis,
Indignum aërii quem figitis arbore montis;
Ille ingens, Deus ille, altos qui jura per axes
Dividit, atque manu pendentem sustinet orbem,
Et

Et dabit immites flammis ultricibus arces.
O Solyma, o Regum nutrix: incendia tectis
Illapsura tuis, iterumque resurgere bellum
Victa gemes, Italum signis, & vindice Roma.
Sat vidi crudele nefas; instatque ruitque
Et clades, & dira fames, & tristis Erinnys,
Et tanto numquam mors exaturata cruore.
Nunc mihi si quis adhuc oculis languentibus humor
Effluat; ora decent lacrimæ, decet addere fletus,
Et properare meum geminato funere funus,
Dixit, & in lacrimas oculos effudit, & omnes
Plorandi patuere viæ, mihi reddita cessit,
Officiis mens apta suis. Verum ille futuri
Præscius arcano cecinit quæ numine bella,
Exitium, geminumque nefas labentibus annis
Videre, & cladem miseri doluere nepotes,
Ipse modo expediam, repetamque ab origine caussas,
Mitia Romanæ damnarant fœdera gentis
Isacidæ, & dominos prohibent dare jura Nerones;
Jamque potens contra validis exercitus armis
Astitit, iratæquæ acies, & Romula castra.
Sed magis infesto minitantur numina Cœlo,
Majoresque cadunt regnis cœlestibus iræ.
Infandi pœnas sceleris per tela, per ignes
Cœlicolæ repetunt; sed enim nec tela, nec ignes
Sufficiunt, sæcla immanes abolere ruina,
Fulmina moliri, conversaque ducere contra
Et maria, & terras, & Averna undantia flammis
Est animus. Jamque exitii manifesta futuri
Signa ferunt; visæ in noctem turbata per astra
Æthereum flammis acies incendere Martem,
Et cristæ capitum, galeæque ardere minantes,
Dispergi, & longo ventorum incendia tractu.
Sæpe augusta Dei moles, ubi ponere sacras
Mos erat, atque aras votis onerare secundis,
Sponte sua patuit, magnoque excussa tumultu
Ostia, & abrupto patuerunt cardine postes.
Vox quoque inhorrentes latè exaudita per umbras,
Cu-

Custodes fugisse Duces, simulacraque passim
Ora recedentum nocturno erumpere motu.
Ipse suos ignes rigidum curvatus in ensem
Annuus infesto suspenditur axe Cometes.
Nec desunt hominum voces, luctusque pavorque,
Et gemitus, mediaque ingens ululatus in umbra,
Ergo ubi post domitam se Vespasianus Idumen
Vertit ad Italiam, & civili concita bello
Roma sui tandem venerata est Principis ora;
Augusto nec patre minor, nec Consule Consul
Arma Titus, cladesque iterum, Solymæque ruinas
Aggerat; haud illi quisquam contenderet; hostem
Seu turbaret eques, seu cum Cortynia nervo
Spicula torqueret, mentiri nescia dextram;
Quotque manu, totidem defigeret hoste sagittas.
Jam propius steterant acies, Tiberisque volucres.
Obiiciunt sese Solymæ sub mœnibus altis
Isacidæ, paribusque cohors venit acta maniplis.
Explorant utrimque manus, & comminus armis
Irruitur, victorque redit certamine Cæsar.
Tum portis iterum, & patria conduntur in urbe
Isacidæ, Martemque tegunt, ac mœnia firmant.
Colle super gemino surgit, verum impare dorso
Urbs Solyma, & ternos circumdedit aggere muros.
Vallis erat media, acclivem se collis uterque
Frontibus adversis in quam devexus agebat.
Altior ille jugo, magni tecta ampla Syonis
Sustinet, ac refugis pugnantes nubibus arces;
Inferior tenet Acra locum declivibus arvis.
Quem contra assurgens seclusum vallibus imis
Eduxit natura jugum, sed molibus altis
Erexere locum Reges, perque ardua montis,
Rupesque abruptas, magno patet area templo
Nubiferis erecta tholis, ferit aëra moles,
Qualem non nigra Ægyptus, non corniger Hammon
Aut juvenum vidit lacrimis celebratus Osiris.
Ipsa Ducum moles jam dedignata superbas
Roma, nec æquato fastigia vertice ponit.

Haud

Haud aliis credant tutò ſeſe arcibus urbes,
Tot circumpoſitis ſtant propugnacula muris,
Tantaque ſe facies aperit, numeroſa columnas
Tecta premunt, geminis ſeſe vaſta atria cingunt
Porticibus, duplicique ſuper ſtat fornice pondus.
Huc Libanus virides truncos, huc cedrina ſylvæ
Robora demiſit, ſuffoſſo ibi multa Syene
Cernitur, & patrio viduati marmore montes.
Interior non ſaxa domus, non marmora tollit,
Auro cuncta nitent, & conveſtita metallis
Stant ignota procul ſuperum ſacraria Regi.
Nec deſunt urbi latices, nam valle profunda
Murmurat amne liquor, fontem ſonat unda Siloan.
Quin etiam effoſſas alta tellure cavernas
Imber alit, liquiduſque latet ſub montibus humor.
Et quà ſurgentem renovat Sol aureus ortum,
Jordanes habitat ripas fugitivus amœnas:
Occiduus qua condit equos, ſpumantia fluctu
Æquora miſcentur, medias cingentia terras:
Nubila qua pennis Auſter meditatur, & imbres,
Bethlemiæ ſedes, magnique habitacula partus;
Quaque tonat Boreas, veteris ſtetit ara Bethelis
Semotæque procul terra Samaritide gentes.
Hinc & caſtra locat Cæſar ſuper ardua collis
Culmina; ſævit atrox contra, ſeque obruit hoſtis,
Stare negans dictis, validaſque in viſcera vires
Ipſe ſuas vertit, civiliaque arma coruſcat.
Jamque faces tectis, & adactum in viſcera ferrum
Iniiciunt, largiſque ſeges collecta maniplis
Igne Paleſtinos ſenſit conſumpta furores.
Interea hoſtilis validos baliſta molares
Arietat, impulſuque tremunt, arceſque fatiſcunt,
Nec mora; ſuccedit denſa teſtudine miles,
Obſcuratque diem telis, par ſpicula dextra,
Stupea pars agitat balearis verbera glandis,
Pars muros ferro explorat, duraque bipenni
Clauſtra remolitur contorti, ac turbine ſaxi
Avellit portarum aditus; labat ariete crebro

Poſtis, & ingeſtos ardent tabulata per ignes.
Miſcet ſe bello Cæſar, defeſtaque in hoſtes
Exanimos ubi tela videt, conſcendere turres
Accelerat, ſummoſque manu diſcindere muros.
Nec cecidere animis hoſtes, ſtridentia volvunt
Ignibus, atque atro circumlita ſulfure tela,
Denſataſque ardent acies perrumpere, ſi qua
Forte via aut ferro, aut junctis ſe ſe ignibus offert;
Nox aderat, Cæſarque ſuos in caſtra vocabat,
Sed tabulata ſuper terni jubet aggere valli
Surgere roboreas armato vertice turres;
Compactiſque ſonant trabibus tormenta, fremenſque
Quaſſatæ de tuto àries ſuper intonat urbi.
Jamque dedit latè rupta compage ruinam,
Procurſuque hoſtis ſumma ad faſtigia muri
Emicat, atque Aquilas, & ſigna volantia figit,
Ceu quondam objectas rupes, & grandia ſaxa
Vorticibus certant rapidis, & murmure aquarum,
Hibernoque amnes animoſi excindere nimbo:
Tandem ubi colliſo divellitur aggere moles,
Alta fremens fluvius ſpumantes ingerit undas.
Clauſtra ſuperfuerant geminis impervia muris.
Tela inimica tonant contra, baliſta recluſum
Fecit iter, ſubiere hoſtes, conferta ſed arma
Iſacidæ obiiciunt, & comminus enſe coruſcant.
Incaſſum Latiæ cuneos inducere turmæ,
Atque omnes tentare aditus; compulſa recedunt
Agmina, Judæas ſequitur victoria gentes,
Viſa inſperatam mendax luſiſſe ſalutem.
Nam matutinos vix Sol quater extulit ortus
Miles in obſtructam cum Flavius irruit urbem.
Ut ſolet in nemora immiſſus, ſilvaſque ſonantes
Arſuris non umquam ignis decedere ramis,
Donec flamma vorax truncos, fumoſaque ſolvit
Robora, & in cineres late omnia miſta quierunt,
Non aliter ſe ſe hoſtis agit, jamque ultima cingunt
Mœnia, & extremos relevat fortuna labores.
Stabat in immenſum turris, quæ vertice ſummo
Eri-

Erigitur Cœlo, vicinaque ſidera lambit,
Herodis fabricata manu, memoreſque per annos
A Duce ſuſcepit Romanum Antonia nomen,
Proxima marmoreas ſurgunt delubra per arces.
Huc omnis ſubitò verſus labor; explicat omnes
Ante acies Cæſar, flectat ſi forte morantes
Armorum fremor, & viſu metus urgeat hoſtes.
Ibat inauratis radians exercitus armis:
Hos dedit Auſonia: hos fluvio ſeptemplice Nilus
Miſerat: advenere Syri, nec defuit armis
Eufrates: Arabeſque ſuis gens nota pharetris.
Sed quis Tenareos extinguat corde furores?
Non numeroſa movent hoſtilibus agmina ſignis,
Ipſi ſe ferro abſumunt, in ſe ignea tela
Iſacidæ intorquent; jam nulla exire poteſtas,
Hinc vaſtæ rupes, latoque altiſſima muro
Pergama, & objecta cautes: hinc Itala caſtra,
Auſoniæque manus, & Flavia ſigna recondunt.
Ergo fames baccata omnes depaſcitur artus,
Et paſſim inſontes pueri, teneræque puellæ,
Invalidique ſenes pereunt, ſtant turpia tabo
Corpora, perque vias ſternuntur, & atria longe
Exanimata replent; ſancti non cura ſepulchri
Exequiis non ullus honor, vomuere profundæ
Terribiles viſu formas, ſua monſtra, cavernæ:
Luctumque, atrumque horrorem, rabiemque, doloremq;
Atque metum immanemq; famem, morboſque necemq;
It nocturna cohors, comitumque ante ora vocatus
Pallor adeſt, illi macies, illi intus abactis
Horrida lux oculis, ſqualentes lurida malæ
Oſſa premunt; ciet ille feros ad ſigna maniplos,
Et luſtrant miſeram nocturnis paſſibus urbem
Perque diem obſcuro denſantur in æthere nimbo,
Vos tremefacta lucem infandam civilia tecta,
Atque illabentes ſenſiſtis mœnia luctus.
Vos Erebi peſtes magno ſtridore volantes
Attonitæ fugiſtis aves, cum pectora ſenſus
Nunc alios alios raperent; ille impius enſem

In ſua corda movet: tumulum dum vita ſuperſtes
Ille petit: cari ſcrutatus viſcera nati,
Ille rapit, teneroſque vorax depaſcitur artus,
Atque ſuo gaudet mater pingueſcere partu.
Senſit atrox volitare malum jam mitior hoſti,
Et Titus illacrimans, vos, dixit, ſidera teſtor,
Vos ſuperi, non hos gemitus, non funera gentis
Nec tantum ſperaſſe nefas, ſtat parcere victis,
Si modo victa meæ procumbant mœnia Romæ.
Nec tamen Iſacidæ pacem, non fœdera poſcunt,
Arma, necemque petunt; furit hoſtis, & irruit armis.
Quis miſeram cladem referat, clamore ſecundo
Cum Latiæ coiere manus? cum ſubdita flamma
Concepit portarum aditus? longeque ruinam
Sacra liquefactis dederunt delubra metallis?
Paſcitur ignis edax, aurumque, aggeſtaque gemmis
Pondera, divitiaſque operum, crepitantibus alt
Semita fit flammis, æſtuque incendia fervent.
Quin etiam raptos altaria ad ipſa tonantis
Iſacidas jugulant, veteris penetralia templi
Incenſis patefacta adytis, multoque cadentum
Sanguine fœdantur ſacris pereuntibus ignes.
Inde faces ad tecta volant, ruit Acra vetuſtis
Ædibus, involvitque viros, igneſque ruina.
Enſis atrox, aut flamma vorat, ſubit undique mortis
Horror, ubique furor, calidis cruor undique rivis.
Tertia nec duro ſtant invia mœnia bello.
Ingemuitque Syon, nam viribus acta coruſcat
Fulmineam baliſta trabem, concuſſaque pandit
Pergama; diffugiunt trepidi, non tecta, neque arces
Extrema jam in morte petunt; ſpecus omnis, & omnis
Impletur locus, arcanis ubi buſta ſepulchris,
Occupat extemplo deſertas milite turres
Romanus, ferroque fremit; non ſaxa, nec ignes
Non ullum mortis ceſſat genus, ipſe ſuperbas
Ut cadere aſpexit moles, monumentaque Cæſar,
Hæc, ait, haud noſtris opibus, non militis armis
Proveniunt, miſcent iratæ hæc funera Diræ,
Ma-

Major agit Deus ultrices pro crimine pœnas.
At nondum ſeros quæ poſt venere per annos,
Hauſerat ille oculis renovata piacula facti.
Ut profugi, incertaſque urbes, diſperſaque tecta
Veſtigent, patriaſque domos errantibus orbis
Auferat, inviſum cunctis genus unda refugit,
Terra negat ſedes, auras vix ſufficit æther,
Ibo per Scythicos, qua nix altiſſima montes
Stat ſolido concreta gelu: deſerta per arva
Regnat ubi medius Mauris flagrantibus æſtus:
Hic miſeram ſobolem (Solymæ fumantis acerbas
Relliquias) ſpectare licet; non barbara tellus
Fœdera conjunxit, placidis non mollior armis
Tecta locant; periere ſemel, nec vivere vitam
Poſſe datur, furor idem adigit corda, impia corda
Peſtis, habet patriumque nefas. Procul eſte, quid urbem
Cingitis? ultor adeſt; ſcelus o vocat omnia Cœlo
Fulmina, conjurant & Averna, & ſidera flammis;
Infeſto nimium premitur ſub pondere tellus.

Natalitia Magnæ VIRGINIS.

Forſitan Hebræos tenebroſa per Infera manes
Illuſtres animas, mundique obſcura tenentes
Nondum naſcentis cœperunt gaudia lucis,
Atque utero nondum tellus patefacta recuſſo
Uſque ſub Infernos diffundit lumina campos.
Non ſatis hæc Libanum viridem, Galilæaque propter
Mœnia, Carmelique jugis aurora marinis
Splenduit, ac medias implevit lumine valles,
Nazareos primo quæ protulit ore nitores,
Candida quæ ſolem ducit rubicunda ſequentem.
Debuerant tenebris pallentia regna fugatis
Ignotos haurire dies, & triſtibus antris
Hactenus inviſos Cœlo deducere ſoles.
Vos quoque Idumæi proceres, (è nocte profunda
Naſcentis ſpectare licet ſi lumina Divæ)
Cernite, Nazarei ſecreto in limine tecti

Infantem primis questam vagitibus auras,
Quam vestræ quondam cecinere oracula lingua
Astrorum Dominam, terræ, pelagique futuram?
Ecce pharetrati qui sistra sonantia Nili,
Castraque Erythræo mersit Pharaonia Ponto,
Designata notis Pater immortalibus ora
Agnovit; secto qualis de robore Setim
Arca immortales sacraverat aurea cedros.
Sensit & igne rubos pasci; commista pudori
Jam sibi maternos cum flamma orditur amores,
Et flagrat e casta flos virgine. Florea vates
Alter Jesseæ miratur munera virgæ,
Atque ascendentem fecundo cespite gemmam,
Hic funda, sceptroque potens dilecta Syonis
Ostia, Reginamque imis veneratur ab antris,
Astitit ostrifero nascens quæ dextera Regi
Auratam vario chlamydem circundata textu.
Tuque adeo patriæ, Salomon, regnator Idumes
Flos olim campi, & viridis tener incola vallis,
Quas Dominæ luces miraberis? Aspice quantus
In Sunamite decor: cara in Sunamite videbis
Effulgere choros castrorum: armata cohortes
Explicat ut quondam legio fulgentibus arvis,
Atque repercusso jacit aurea lumina Sole.
Nonnè soporatos eadem declinat ocellos?
Et modo maternis pendebat pupula mammis,
Illa, Deus genitor cui riserat, ante vetusto
Pondere quàm staret librata sub aëre tellus,
Et gemino obversum strideret cardine Cœlum.
Nondum se fontes, sonitusque erupit aquarum,
Mole gravi, nec dum rigidi per nubila montes
Constiterant: hæc ante omnes dilecta puellas
Visa Deo quondam, vectus famulantibus auris
Cum Pater æterno cingebat sidera vallo,
Æthera tendebat sursum, stabilique deorsum
Lege novas frenabat aquas, ne littore curvo
Iracunda suos transirent æquora fines?
At modò post ævi senium, revolutaque Cœlo
Tem-

Tempora, longævam fœcundat nata parentem,
Alludensque ſinu regali fronte coruſcat,
Et nova maternos inter ciet oſcula riſus.
Quin etiam teneros è ſole plicatilis artus
Intertexta tegit cœleſti faſcia limbo:
Sidera florentes componunt luce coronas
Interfuſa comis: capiuntque e crine nitores:
Et ſinuat cunas argentea luna bicornes,
Ut placidos fingat nocturno ſidere ſomnos.
Fecerat hæc pueræ naſcenti munera Cœlum,
Et numquam ſic gemmiferis per littora conchis
Pontus ad occiduas, Eoas fecerat undas:
Fecerat & tellus, autumni mitibus aſtris
Quæ nemore acclinans bicolores divite malos
Legerat, & fruges, & dulces legerat uvas.
Vos modo, digna patres ſi magnæ debita natæ,
Cura movet, tenerum pro munere dicite carmen,
Quando aliud furvis donum non redditur antris.
Audiſtis? vox ecce ſonat, caniturque per umbras,
Ceu pulcher Salomon feſtivo cantica verſu
Sancta Paleſtinæ quondam modulatus amicæ.
Ut rigidos inter naſcuntur lilia dumos,
Inclita femineos inter ſic filia cœtus
Naſceris, o pictis adjungite mala roſetis,
Et cunas ſtipate leves, & cingite lina;
Si modo languet amans, ſomnos adducite amanti,
Dure ſopor, melius primos mihi rumpere ſomnos.
Ergo ab odorato formoſa Columbula nido
Surge, ſonet noſtras tua vox immiſſa per aures.
At grave conceptos Divæ ſit rumpere ſomnos.
Ergo omnes circumfuſæ cunabula matres
Vos ego per capreas, ego vos cervoſque fugaces
Camporum teſtor, dilectam ſuſcitet audax
Ne manus, intereat caris ne ſomnus ocellis.
Aſt ea compoſitos ridens patefecit ocellos,
Et circum ora lepor, circum ſol lumina ludit.
O quam te memorem! vultu pudibunda decoro
Sola nites, interque nites tam pulchra puellas,

Et maculæ, nigrorque genas fugere decentes.
Ergo veni, Libanoque veni; tibi rite coronam
Amana floriferum, tibi rosidus educat Hermon:
Et montes, deserta locant ubi lustra leones,
Celant lunatos secreta cubilia pardos.
Corda soror, desponsa soror, jam vulnere figis,
Est oculus jaculum, jacis uno missile telum
Colli crine tui, sed enim quos crinis odores?
Distillant quos labra favos? mel lingua refundit,
Lactea lingua tua est, niveos dat mellea rores.
Tot neque roriferis pubescunt gramina campis
Fons ubi, & irriguis nutrita rosaria rivis:
Sparsa quot Assyrio spiras opobalsama cultu.
Tu nardos, tu diva crocos, tu Ciprina late
Unguenta, & myrrhas, & odoro cinnama ligno;
Tu quoque viventes liquida signatus ab unda
Fons hortis effundis aquas; modo murmuret Auster,
Et volitet pennis Aquilo per rura serenis,
Fœta dabit flores, frugesque & aromata tellus.
At visenda nimis Solymæ par filia nostræ,
Hinc oculos averte tuos, & concipe somnos;
Quippe illis fugitiva meos mens deserit artus,
Avia lux oculis, & spiritus avolat ore.
Illis tu lotas superas imitata columbas,
Lacte licet lotas, pleni per amœna fluenti.
Sic tu nigra comas: Galaditi vertice frondes
Ceu nemoris tondent nigrantes vellera capræ.
Dentibus alba greges, & vincis coccina labris,
Grex licet ascendat fluvio, dent coccina vittas:
Purpurat ore rubor, malas qui pingit eburnas,
Non secus ac tenero qui frangit Apyrina libro,
Monstrat sanguineis granata rubentia succis.
Sic adeo mihi pulchra venis, o pulchra flagrante,
Sparge in corda faces: præ te si pallida condit
Nunc Aurora diem; deserto candida Sole
Si modò Luna tuos in noctem mutuat ignes:
Sol & adoranti pronus tibi concidit astro.
Sic ait; ast alii subeunt, paribusque dedere

Na-

Nascenti numeris, paribus pia carmina votis.

Agnes pudoris vindex Juveni erepta, & restituta vita.

Agnes casta nimis, violis sed pulchrior Agnes
Una rosis rubicunda magis, magis alba ligustris,
In fœdas compulsa domos, indigna puellis
Lustra tenet; sed enim subeuntem in limine primo
Prosternit juvenem superis defensa Virago.
At qui siderei venisti e culmine Mundi
Alma verecundi defendere jura pudoris,
Et prope virgineos tutari Agnetis amores,
Aliger, irato depone ardentia vultu
Lumina, & ingentes paulum compesce furores.
Qualis ades, quam fortis ades: quæ tristia telo
Vulnera flammifero, quæ Romæ horrenda coruscas
Fulmina! terrificis ingens mihi Cassida cristis
Cernitur, & nexis laquearia lambere flammis,
Sidereasque operire comas, frontemque minantem
Lethiferum squamis vestitur pectus ahenis,
Fulgoresque ignesque rotat? micat ærea dorso
Effundens lorica faces: velut æmula Solis
Longe ardent haustamque vomunt specularia lucem.
Hasta gravat dextram, ferroque obtortile fulmen
Stragesque, immanesque metu circumligat iras:
Æraque cum tonitru fatalis complicat umbo.
Proh quanto miseros immergi in funere cives
Aspicies, quanto maculari sanguine ripas,
Et fluctu tepefacte novo Tyberine videbis
Dispergi seù tecta virum, seu templa Deorum,
Et ruere in præceps veterum decora alta Quiritum!
Ecce prior juvenes inter fortissimus omnes,
Qui vetitas intrare domos, ausus que latenti
Virgine jam puros gressu temerare penates
Occubuit valido transfixus pectora telo,
Stratus & ultrices hausit per fulmina pœnas.
Et tum forte sacris Capitolia ad alta peractis

In fora Tarpejo Consul descendere clivo
Cœperat, Exquiliisque domum repetebat amœnis.
Ecce autem incendens miseris clamoribus auras,
Atque Deos, Cœlumque vocans crudele ruebat
Nuncius, heu domino referens mala funera patri,
Vix adeo aspexit (juvenum comitante corona)
Purpureum trabea, & tumida se mole ferentem
Cum procul exclamat: votis tu surda fatigas
Numina, morte jacet scelerato in limine natus.
Ipsa necat, colubris, Hydraque nocentior Agnes,
Vidimus (heu magicæ damnata venefica linguæ!)
Thessala cum fremeret furiali murmura cantu,
Cunctaque disrupto trepidarent numina Cœlo,
Ægida torquentem fractosque in nubibus ignes
Descendisse Jovem; fuerat seu Juppiter, arma
Ignea sive Deus Cœlo Jove major agebat.
Proh quantas tulit ore faces? quæ flammea torsit
Spicula? continuo natus percussa trisulco
Fulmine corda tulit, casuque ereptus acerbo
Ille tuus, Romæque decor, Tyberisque voluptas
Obluctantem animam trifidos effudit in ignes.
I, strages numerare tuas, nec plura loquutus,
Hæsit, & in lacrimas mutavit verba silentes.
Ille autem luctuque amens, rabidusque furore:
Ibo, ait; at solves tristes mihi femina pœnas
Cruda nimis, probrosa nimis, nec munere vitæ
Tu Capitolinas inter nutrita puellas
Hausisti niveos tenera de matre liquores.
Te lupa, te tigris squalentibus extulit antris,
Te Gorgon, quæ vipereis incincta colubris
Indoluit vinci natæ crinalibus hydris,
Atque Erebi expavit præbentes ubera pestes.
At, saxo, lethale vomes de corde venenum.
Ipse ego mox adero, manibusque calentia corda
Avellam, canibusque dabo laceranda cruentis.
Sic ait, impellitque animos, luctumque, furoremque
Accendit, tum præcipites quo vertere gressus
Admonet ira, ruit, propereque ad limina pergit,
Est

Eſt locus in mediæ latis convallibus urbis
Circus Agonali miſſos ubi carcere metis
Convertebat equos, dubiuſque auriga remenſo
Circuitu, longam curru ſignabat arenam.
Hic & Alexandro quondam fabricata Severo
Surgebat moles, nunc ſtrato ampliſſima Circo
Sunt ſpatia, & muris civilia tecta coronant.
Huc ubi (nam vicina Agnes aliena tenebat
Limina) delatus Conſul (numeroſa Quiritum
Agmina cingebant aditus ut forte patentes,
Et juvenis flebant immitia fata jacentis)
Eminus exclamat genitor: properate Quirites,
Ferratis incluſam anguem religate catenis.
Una tot horrificas ſtrages, tot miſcuit una
Exitia, & luctus; ite, obtruncate merentem,
Ferte faces, denſate rogos, vibrate ſecures,
Infames lacerate artus, incendite flammis,
Nec tamen emeritas ſcelerum dabit improba pœnas.
At ſolves, ſcindam ipſe manu corda, impia corda
Dextra teres, artus flammæque, undæque vorabunt.
Quid loquor infelix; media lymphatus in urbe
Quo feror? heu nuper genitor; ſolatia luctus
Quæ miſera? aut ignes? aut ferrea vincula poſco?
Quid me flamma juvat? Quid adactum in viſcera ferrum,
Si lux rapta domus, noſtræ ſi fida ſenectæ
Spes abit, extinctumque decus? Proh Juppiter! altis
In foribus video dejectum fulmine natum?
Fulmine, quod juvenis bipatentia pectora rupit.
Hic meus eſt? jacet heu quantum mutatus ab illo,
Qui modo Romanas curru ſublimis in arces
Ibat, & Auſonios meritis referebat honores.
At non has de te lacrimas ſperare licebat,
Spondebatque annis veniens florentibus ætas;
Quæ tibi longævæ ſignavit ſæcula vitæ,
Frenandumque tuis Romanum legibus in orbem.
Heu nimis inſidiata meis ſors improba votis.
Ut ſubito egregium forma, viridemque juventa
Perculit, affixitque ſolo, ſic ille rubenti

Excidit ore color? ſunt hæc lætiſſima vultus
Lumina? ſurgentes hi ſumma e fronte nitores?
Mors ſibi cuncta tenet. Patriis jam faſcibus hæres
Quis dabitur? noſtri generis bellator in urbem
Quis Latiam Rhenum, domitumque inducet Araxem
Et vacua Princeps poſthac dominabitur aula?
Debueram prior ipſe mori, ne dura viderem
Funera, verſaremque manu mea vulnera, tantum
Femina vulnus agit? Non, ſi torſiſſet Amazon
Spicula, ſic telo rueret: potuitque timendis
Figere virgo armis, manibuſque imbellibus Agnes?
Non te nate ferit muliebribus illa ſagittis,
Dedecorant nec tela necem; ſed fulmine foto
Vix bene dejecit te Juppiter, o mihi ſi quis
Gaudia reſtituat, ſi quis tibi lumina vitæ,
Deleat & flammas, & hiantia vulnera ſanet!
Tu forte ignotas laudata puella per artes,
O Agnes prohibere necem, tu munera lucis
Ferre vales, raptamque patri, natoque ſalutem.
Audierat gemitus Agnes, vocemque dolentis
Et tacitis egreſſa adytis ante ora Quiritum
Aſtitit, ut tenero naſcens e ceſpite fulget,
Atque inter virides flos pulchrior emicat herbas:
Ut quondam in tenebris lucem veſtire pyropus:
Aut matutinas albeſcere viſa per umbras
Roriferis Aurora comis, & Solis ad ortum
Spargere inaurato radiata roſaria Cœlo;
Veſtibus haud aliter niveis, oculiſque refulſit,
Et circum ſuperos Agnes afflavit odores.
Veſtis erat, quam ſtelliferis advexerat oris
Carbaſa vincentem tenui pellucida textu
Sidereus Princeps, habilemque, ultroque ferendam
Obtulit. Illa gerens Divas imitatur euntes
Inceſſum ſimilis, lucemque, & ſidera frontis.
Ut ſtetit ante viros, miſerandaque Conſulis ora:
Quæ tu dira Jovis memoras? quæ ſpicula, dixit,
Imbelli contorta manu? Dux arma coruſcat
Maximus aligerum, quorum ſublime ſedentem
Agmi-

Agmina mille Deum radiis velata coronant.
Ille manu fulmen torsit, rursumque tremenda
Tela manu mittet custos meus; aurea si quis
Jura velit contra casti violare pudoris:
Ille quoque amissæ redeuntem ad limina vitæ,
Ereptumque imis natum revocabit Avernis;
Mors ubi viventem pascit, morsuque cruento
Heu perit æternos numquam periturus ad ignes.
Vix ea: cum lacrimans Pater, oblitusque minarum,
Hærebat supplex genibus, natumque petebat:
Natum omnes circum fremere, & clamoribus altis
Ingeminare preces, mœsta & lamenta Quirites.
Diva autem populos non aspernata precantes,
Cœlicolæ promissa dabat, votisque ciebat,
Spondebatque Deo reducis pro munere vitæ
Romulidum ingentem venturam ad sidera prolem,
Et quondam sacris moturam fascibus orbem.
Jamque dedit signa Omnipotens: monitusque Tonantis
Audit, & exanimo vitalia munera portat
Aliger, extemplo celeri per inane volatu
Carpit iter, tacitisque umbrarum allabitur oris.
Extremo subeunda patet spelunca Baratro,
Qua non ulla magis regnis demissa profundis
Pascit in æternas flammarum incendia pœnas.
Sulphureos alit unda lacus, atque ignibus atris
Unda alitur glaciem juxta, resonantia juxta
Fluctibus allisis, vastaque voragine saxa.
Luctus ibi, fluctusque virum, gemitusque nocentum
Verberaque ingeminant, quassatque immane cavernas
Horror, & ora dolor redeuntibus obsidet alis.
Huc immersi omnes quicumque ferocibus ausis
Bella sacris fecere, jacentque, dolentque Nerones
Corpora tercentum rigidis percussa catenis
Perpetuis ardere rogis, clavaque sonare
Centauros, fremere & spiris religantibus Hydras.
Huc etiam trifidæ confossum cuspide cornus
Romanum juvenem nexis in vincla catenis
Traxerat Alecto, piceisque immerserat undis.

Cum ſubito nitidis effulſit ab æthere pennis
Aliger, ereptumque rogis ſtridente Megæra
Ad Zephyros iterum, notaſque reduxit ad auras:
Et venienti animæ deſertos reddidit artus.
Reſtitit attonitus juvenis: ſtupuere Quirites,
Et pavida innumeræ tenuere ſilentia voces.
Ille autem liquidos Cœli converſus ad orbes
Te Genitor, dixit, ſævis, qui mergis Avernis
Ponentes delubra Jovi, vetitiſque colentes
Sacrilegas donis Acherontia monſtra per aras,
Agnoſco, veneror que Deum, tu juſta recondis
Supplicia, & diram ſceleri per triſtia noctem
Tartara. Proh cæcas mentes! vidi Infera, vidi
Tænarios ignes, & caligantia latè
Regna, faceſque tuli, Scyllas perpeſſus, & angues,
Et centum gemino furialia verbera ferro.
Tu Stygio metuenda lacu, gratiſſima Cœlo
Eripis, o Agnes, patrio me reddis olympo.
Ecce ſequor quocumque vocas, veſtigia Conſul
Jam nati ſequere, & Numen cognoſcite gentes.

Lacrimæ Sanctæ Mariæ Magdalenæ ad Chriſti Tumulum.

Ergo iterum periit? bifidæ modo robore quercus,
Cum periit duræ Mors quoque fixa trabi.
Nunc etiam tumulo tenebroſi conditus antri
Occidit; exanimo dant fera ſaxa necem.
Tunc equidem vidi ſtellas occumbere cœlo,
Et cadere in medium ſigna refixa diem.
Sed ſine Sole diem, atque umbras ſine nocte videbam;
Mutuaque adverſis manſit utriſque fides.
Nunc mihi ſole peris Amor o, raptuſque ſepulchro
Me fugis, & ſolam me quoque vita fugit.
Sed neque vita fugit; raptos modo perdidit annos,
Cum fera divinum ruperet haſta latus.
Nonne meum verſo violavit vulnere pectus,
Quæ lateri incluſas cuſpide ſenſit aquas?

Omnis at ære rigor, ferro quoque fluxerat omnis;
  Vix pupugit nostrum mollior hasta latus
Ast ego jam bifida super arbore fixa peribam,
  Et satis exanimis illa duobus erat.
Me dolor hic ferro defixerat: hunc ego sensi
  Carnificem, ut Regi victima juncta forem.
Et potui spectare, nigris cum victor Avernis
  Igne catenati stringeret ora Ducis.
Et novus illudens tenebris Sol luce profundis
  Monstra per ardentes mergeret usta lacus,
Me miserum, tellus dubio discussa tumultu
  Ecce sepulchrales rupit aperta fores.
Migravere suis rediviva cadavera bustis,
  Sanctaque disiecto corpora missa rogo.
Tunc ego quid facerem vitali proxima ligno?
  Fugit, & invito corpore vita redit.
Tu quoque Tænariæ spoliis ornata Colubræ
  Fers necis exuvias arbor onusta meas;
Crux precor o nostris titulos incide trophæis,
  Quæ sine me vivit, me sine viva perit.
Fallor, adhuc totis non vixi partibus; & nunc
  Dimidium nostri qui jacet, ille tenet.
Mortua nec totis defeci languida membris,
  Ipse animæ partem corde coëgit amor.
O adsit quæsite meis dulcissime votis,
  Seu vivis, miseræ seu mihi morte peris.
Accipiam quodcumque subis, comes una subibo,
  Tota vel ut vivam, tota vel ut moriar.
Credo equidem, tu morte jaces. Lapis iste sepulchrum
  Monstrat; at exanimum non habet iste lapis.
Sunt juvenes intus gemini, queis vita colorat
  Purpureos vultus, nix tegit alba latus,
Forte alius fuerat, tumuli qui colle propinquo
  Scrupea deposito præbuit antra silex.
Obsignata fores claudebant saxa rigentes,
  Et specus obscuros condidit arte sinus.
Hic eadem sunt saxa loco; tamen ostia quisquam
  Rupit? an hæc juvenum robore fracta silex?

O

O mihi crudeles non uno vulnere dextras,
Rupiſtis vitæ ſi modò clauſtra meæ.
Hic Amor æternos mihi jam promiſerat annos,
Olim venturos & ſine labe dies.
Ille mihi Soles oriens feciſſet apricos,
Qui Solis moriens abſtulit axe jubar.
Nullaque in obſcuro ſe nox celaſſet amictu,
Sol ubi inextincto conderet igne faces.
Huc ego cum pingui duxem medicamina ligno,
Myrrheaque Aſſyriis illacrimata jugis:
Quæque Paleſtinis rorant Opobalſama ramis,
Quæque ab odorato ceſpite Nardus olet:
Cumque Onyches Arabos, & Eoa unguenta tuliſſem,
Clauſiſſem rigidas non adeunda fores.
Hic mihi non ullos dederant jam ſidera fines,
Una mihi exanimus cura fuiſſet Amor,
Illi ego turpatos ornaſſem fronte capillos,
Et coſto madidas, ambroſiaque comas:
Stillantes gaviſa globis componere cirros,
Et niveum intonſa cingere nube caput.
Cæſariemque ſuper textas renovare coronas,
Major ut exangui viveret ore decor;
Candida quin etiam crines per colla fluentes
Spargere, per læves aurea fila nives.
Jam facies Caſiam, facies ſpiraret Amomum,
Temporaque infuſos lactea rore Crocos.
Pinguia jam niveum ſudaret Balſama pectus,
Et Balani, & ſuccos, o Panacæa, tuos.
Quid, cum ſecreti medicata cubilia cordis
Tentarem cupida non abitura manu?
Huc gaudens plenis effundere Nardina conchis
Et Rhodina, & vacuis Cyprina verſa cadis,
Deſuper ipſa mei fudiſſem Balſama cordis:
Hic mihi præ cunctis purius halat Onyx.
Accipe, dixiſſem caræ medicamina vitæ;
Illa quibus vixi, nunc tibi corda fero,
Hoc quantus ſtat corde vigor, qui ſuſtinet artus;
Et quæ deſeruit diſſita membra regit;

Tuque erepte, meo numquam rapiende dolori,
  Forſitan hoc iterum vivere corde valet.
Vive precor, vitaque meos extingue dolores,
  Hic ego ſi peream, tu quoque forte gemes.
Si tamen hæc vitæ non ſufficit aura duobus;
  Solam lethiferas me ſine ferre vices.
Ecce tibi feſto mea claudam lumina ſomno,
  Talis devota Magdala morte redit.
Quam bene jam gelido deponam corpora ſaxo,
  Regis ubi magni corpora feſſa jacent:
Et video pariles conſpirant artubus artus,
  Æqua feret mira pondera forte lapis.
Tu quoque in extinctam ſuperos ſtillabis odores,
  Componeſque meis aurea ſerta comis.
Ipſa nec exangui requieſcam pallida vultu,
  Nec blandus gelido riſus ab ore cadet.
Hæc ſperanda mihi dederat, ſi conditus antro
  Inter ſaxa meus delituiſſet Amor.
Gaudia nunc fugient, tumulo rapuere jacentem;
  Ipſa aberam, & tumulo me ſimul eripiunt.
Reddite me mihi raptores, & reddite amanti.
  Quod ſcelus eſt furto ſic rapuiſſe duos?
Quis fuit immanis qui prima repagula ſaxi,
  Inviaque objectas rupit ad antra fores?
Saxeus ille fuit, duraſque imitantia rupes
  Traxit de rigido membra reſecta jugo.
Ferreus ille fuit, qui diſcidit oſtia ferro,
  Invictoque ferox tam bene Marte furit.
Qualis erat Sampſon ruptis cum limina portis,
  Egeſtoque ferox obiice clauſtra tulit.
Talis & hic duro rupit ſignata metallo,
  Abſtulit & forti marmora vulſa manu.
Miles erat contrà, ſumptiſque horrebat in armis
  Servabatque vigil clauſa ſepulchra cohors.
Ille ferox aditus ferro ſibi fecit apertos?
  Quæque hoſti tulerat vulnera, miles habet?
Ecce jacet totis legio conſtrata maniplis;
  Vel moritur, languens vel ſine morte perit.

Nec tamen apparet victor. Proh nomina quiſquam
Celat? & infandum cogit abeſſe caput?
Ite ſinus penetrate omnes, nemorumque latebras:
Si qua jugis, ſi qua eſt vallibus ima domus.
Quærite inaſpectis ergaſtula clauſa cavernis,
Et ſubter tacitis antra repoſta cavis.
Si qua procul virides Libani de culmine Cedros,
Carmelique undas proxima tecta vident.
Non locus, adverſis jaceat non lucus arenis;
Si qua procul fugiens antra recondit Arabs.
Pergite Erythreis gemmantia ad uſque lapillis
Æquora, qua rubro purpurat unda ſolo.
Ferte catenati tercentum pondera ferri;
Barbarus ultrices ſentiat ille manus.
Ære gravi, maniciſque audax, & compede nexus
Auſa latrocinii pendat iniqua ſui.
Cur volitet, ſpolia auguſti qui rapta ſepulchri
Nocte per abruptas traxit opima fores?
Supplicium, faxo, referret, vos ſidera teſtor,
Emeruit; prædas fur habet iſte meas.
Ipſa ego mox vindex adero, dabis improbe pœnas;
Nec vultus iterum nox teget atra tuos.
Non, ſi ferratis horrebunt ſquamea cruſtis
Pectora, ſi formet fortia membra ſilex.
Nec tibi profuerint lateri quæ tela coruſcant,
Hæc ſæpe imbellis tela retorquet amor.
Fulmineus me me armat amor, proh fulmina quantu
Ille meis oculis temperat imbre faber!
Scit Solyma, & lautis inſtrata ſedilia menſis,
Solaque tunc armis arma terenda meis.
Ipſe thoro aſtabat, qualiſque in nube tonanti
Aſſidet intorquens ignea tela Deus.
Noſtraque jam certo jaculatus fulmine corda
Quærebat gelido figere in ore faces.
Ipſa locum ſpeculata oculis, diſciſſaque crinem
Formavi auratis ſpicula longa comis.
Et ſimul aſtriferis ducebam vincula plantis:
Pectore figebam fortis & arma ſimul.

Ne-

Neve meis ardens ignis procul abforet armis,
  Fons geminus calidis ore fluebat aquis.
Unda dedit (mirum!) flammas; lacrimatus inarfit,
  Et jaculis junxit vulnera certa liquor.
Spicula jam fenfit, jam vincula: vincula plantis,
  Spicula corde, undis ignea facta Deus.
Et mihi [quis credat?] ceffit, ceffere potenti,
  Quas dabat ultrices ore, manuque faces.
Ex illo mihi victus adeft, meus ille per orbem
  Vivebat, moriens & fuit ille meus.
Sed fuit; heu fugit fubito, raptoque potitus
  Non bene poffeffas abdidit alter opes.
Et tamen addubitat mihi mens haud infcia veri,
  Nec potuiffe rapi mortua membra timet.
Appendit magni digitis qui pondera mundi,
  Cur gravis humanas non terat ille manus?
Torquere ante humeris ftellantem comminus axem,
  Tollere terreftres debuit ante globos,
Qui nocturna facro volvebat furta fepulchro,
  Expertus quantum pendeat Orbis onus.
Ergo quis eripuit? quis pondera viribus aufus
  Tollere, fed vires non habitura pares?
Magdala nocturnis plorans illuderis umbris,
  Nec potis es dubios condere luce metus.
Non hic, exanimos tumulus qui condidit artus;
  Hic procul, & vere fic modo rebar, abeft,
Signa tamen reftant, nec me certiffima fallent:
  Certa mihi fuerint, quæ mihi figna feram.
Ipfa ego me (memini) tumulo tunc claufa reliqui,
  Claufit divitias cum lapis ifte meas.
Afpiciam, tacitis incuftodita querelis
  Magdala fi tumulo condita forte gemam.
Hei mihi, non adfum; non his meus ergo fepulchris
  Defeffa emoriens membra locavit amor.
Dicite ubi pafcat, mediaque in luce recumbat
  Ille meus, noftras quo fugit ille preces,
Roriferum qua fronde caput, qua protegit umbra,
  Qua molli in fomnos fternitur herba thoro.

Dicite vos, ſumptis juvenes velociter alis,
  Qui modo inaſpectum fertis in antra jubar.
Sic vos, dum celeres deducitis æthere lapſus,
  Terga ſuper famulus tollat odora Notus:
Seu juvat immenſi decurrere mœnia cœli,
  Sol cum flammifero præbeat axe rotas.
Sive habitare ſolum, terræque immobilis Orbem,
  Vos emat imperiis terra fretumque ſuis.
Dicite vos miſeræ bona verba, quis abſtulit? & vos
  Quis putet ancipites fingere poſſe dolos?
Signa equidem noſtis, veſtri ſigna aurea Regis;
  At mihi, quas geſſit, dulce referre notas,
Candidus ille meus rubicundo pulcher in oſtro
  Ora vereccundis pingit eburna roſis.
Induitur gemmas, toto caput emicat auro,
  Sidereaque arcano fœdere juncta gerit.
Spiſſà coma, elatis veluti nova brachia Palmis,
  Et viridi frondes truditur aucta libro.
Non aliter teneris per amœna fluenta columbis
  Scintillant oculi, ſeque colorat apex:
Ut gemini radiant, oculorum lumina, Soles,
  Atque immortales dantque feruntque faces.
Purpureus malas vernantis tegmine veſtis
  Signat, & auratus floret in ore decor.
Non ſecus areolas flores, & aromata pingunt,
  Atque interſecta ſemita fronde viret.
Lilia odoratis redolent inſcripta labellis,
  Primaque ab his, veluti cortice, myrrha fluit.
Quærite opus tereti cives tornatile buxo,
  Candentes format lævior ille manus!
Hei mihi qualis erat: nexis quam pulcher in aſtris
  Omnia cum dominis jungeret aſtra comis;
Vos quoque cœlicolæ veniſtis ab æthere, tantum
  Fas foret ut pura cernere fronte jubar.
Tuque reſiſtentes frenaſti, Phœbe, jugales,
  Immotus radiis ut fruerere novis.
Diſcebaſque diem meliori fingere luce,
  Cum tot vidiſſes crinibus ire faces.

Qua-

Qualis erat, quam pulcher erat! modo condidit antris
At ſua quam turpi pallidus ora nece!
Longa flagellatum livebat verbere corpus,
Inque repercuſſo vulnere vulnus erat.
Et qui floriferas cingebat fronte coronas,
Dumoſos habuit, triſtia ſerta, rubos.
Pulvere fœdabat concretos ſanguine crines,
Sidere contextus decidit unde nitor.
Ipſe pedes ferro, palmas quoque fixus acuto,
Diſſita multiplici vulnere membra gerit.
Illi omnes rupto numeravi in pectore coſtas,
Vidi perque omnes oſſa refracta ſinus.
Non oculis, orique decus, fugit intus abactos
Lux oculos, nigras mors cavat atra genas.
Atque ideo paribus livent mihi corpora ſignis,
Et cecidere meis luxque colorque genis.
Sic unguenta caput, mollique e flore coronæ
Sic odor, atque decor deſtituere comas;
Et vos obtutu, juvenes, hæretis in uno,
Quod pallens, udas ſim quoque fuſca genas?
Ipſe coloravit mea Sol ſic pallidus ora,
Extincti refero Solis amica notas.
Pulchra fui, formoſa fui, dum luxit in orbem.
Occidit; exanimæ nox mihi juncta venit.
Tantum non rigido pariter ſum clauſa ſepulchro,
Sed tumuli cuſtos demoror ante fores.
Jam fulcite roſis, maliſque ornate cadentem;
Ecce recedenti lumine languet amans.
Seu potius rege, tu rector terræque mariſque,
Labentem, o tandem tu mihi ſolus ades.
Si dilecte fugis, lapides fuge victor avaros;
Par tibi, quo teneat, nil habet atra ſilex.
Surge veni expecto moriens: ni protinus adſis,
Jam rigeo, & durat frigida corda dolor.
Forſitan optabis noſtro requieſcere corde,
Si rigor, & tumuli frigida ſaxa juvant.
Si neque corda placent, venias, vox ſcilicet una
Hæc ſeu viventis, ſeu morientis erit.



CÆSARIS DUCCHI

BRIXIANI.



In mortem Liviæ Calinæ.

TYndaridem forma insigni, superansque pudicam
  Romanam, interiit Livia pulchra, decens.
Imo erat & Veneri formâ, & par mente Minervæ,
  Et tamen, heu, talem mors rigida eripuit.
Credebam Divos haud fati sceptra timere:
  Diva tamen quamvis hæc foret, occubuit.
Sed major Dea facta nitet, sed gaudet olympo,
  Qui patet excelsis, nobilibusque animis
Æternum vale Diva potens, sidusque benignum;
  Fumentque ad tumulum tura Sabæa tuum.
Spargat odoratos flores, & cinnama virgo,
  Teque canat versu docta Thalia gravi:
Clarior ut morte invita tua fama resurgat;
  Milleque post hominum sæcula vivat adhuc;
Adque sacros Phœbi postes tua nomina cycnus
  Deferat, ad Stygias non abitura plagas.
I modo, pulchra tuum mox amplexura maritum;
  Æternumque simul vivite in Elysiis.

Ad Cynthiam, & Sabellam.

Impatiens miratur Amor, quod, Cynthia, nobis
  Es cordi, & quod te, pulchra Sabella, colo.
At verum expertus dico, fateorque, quod unquam
  Divisus dulcis non erit ullus amor.
Vos quod amo simul, hæc caussa est (ni fallor) honesta;
  Cynthia namque anima es, corque, Sabella, meum.

Ut

Ut ſine corde nequit corpus mortale vigere:
Sic animâ ereptâ corpus inane perit.
Vivam igitur longum ut ſæclum, vos ſtamina noſtræ
Vitæ, oculis animam, corque vovete ſinu.

Epitaphium Jul. G.

Hæc quæ nuper erat pulcherrima conditur, inque hoc
Conduntur tumulo Juno, Minerva, Venus.
Hic tela, hic ignes, arcuſque Cupidinis, ingens
Et decus, & ſanctæ norma pudicitiæ.
Advena qui tranſis luge, & ſimul adſpice, namque
Quæ nihil eſt, Orbis gloria nuper erat.


Tityrus.

Tityrus ardet amans, pecudes dum gramina tondent,
Et texit rutilis lilia verna roſis.
Bacchaturque modo, dum fallere quærit amorem,
Et valles Pæan, & nemus omne ſonat.
Interdum querulâ modulatur carmina voce,
Et tacita accipiunt verba dolentis aves.
Spernis, Hyella, tuum crudelis Tityron? ecce
Nunc mihi mille greges paſcua læta tenent.
Ecce ferunt calathis plenis tibi dona Napeæ,
Serpillum, & violas, munera noſtra tamen.
Sed mihi quid volui? mea ruſtica deſpicit, eheu,
Verba diu, ſequitur dum Corydona ſuum.
Spernat, & illa licet, jam non minus uret amantem,
Nec revocare gradum jacta ſagitta poteſt.


Epitaphium Amoris.

Cum pharetrâ extinctus jacet hic, teliſque Cupido,
Et ſobolem hæc Paphiæ continet urna Deæ.
Nam dum blanditur, faciliſque indulget, ut Ægle
Marmoreâ tangat noxia tela manu;
Illa animo verſans, quâ poſſet tuta triumphum
Magnificum titulis addere fraude ſuis;

Incautum adgreditur puerum, ac nil tale timentem,
Et ſtatim ex humeris abſtulit arma Dei.
Mox arcum intorquens curvatum cominus illi,
Tu qui nuper eras imperioſus Amor;
Otia qui Divum toties hominumque revolvens,
Duxiſti ante aras clara trophæa tuas:
I modo, dixit, inops vivas, & ſceptra peroſus,
Vincula, & imperium diſce ſubire meum,
Et ſævo tenerum trajecit vulnere pectus,
Vulnere quo tacti tot periere homines.
Inſolitum ardorem tunc ipſæ hauſere medullæ,
Et fuit igne ſuo pulcher aduſtus Amor:
Ignoranſque locum, cui ſe committere poſſet,
Virginis in tenero delituit gremio:
Et velut in tutâ requievit conditus arce,
Atque Dei reliquum nil niſi nomen erat.
Hæc vero in miſeros contorquens ſpicula amantes,
Illa Amor, illa fuit maxima in orbe Dea.
Juppiter at regnum ereptum indignatus Amori,
Deceptam Veneris progeniemque dolo;
Æthere ab ardenti telum demiſit, & illâ
Percuſsâ (miſerum!) cæſus uterque ruit.
Occultum puerum occidit nam fulmen hiulcum,
Ægles dum properans pectora pulchra petit.
Et facile hoc potuit miſero contingere, qui tunc
Sorte puer, nudus, cæcus, inermis erat
Flos velut a valido is periit proſciſſus aratro,
Hæc velut a rapidis fracta carina Notis.
Irato hæc cecidit Jove, regnum perdidit ille,
Igne ſuo vitam perdidit igne Jovis.
Nec tamen hunc rapuit, mortales quæ rapit omnes;
Sed propriâ extinxit Juppiter ipſe manu.



JANI ETRUSCI.



Cur Poëtæ hac ætate in pretio non sint.

QUod contempta jacet per tempora nostra Poësis,
 Resque sit in pretio carmine nulla minus,
Ediderint plures cum sæcula nulla poëtas,
 Quam quos calchographi cura subinde parit:
Conqueritur vatum celeberrima turba, reverti
 Vatibus Augusti sæcla benigna vovens.
Ut tamen hæc redeant, Mecœnas, Cæsar & ipse:
 Munificos nostris vatibus esse putem?
Mævius, atque comes Bavii cum plurimus Anser
 Obtineant Flacci, Virgiliique locum?

Ad Jacobum Pseudopoëtam.

Terve, quaterve tuo cum sint Epigrammata centum,
 Pagina tam magno vix tamen ulla libro est,
Qua non detractor, vel Zoilus ipse minaces
 Excipiat morsus, sed sine dente, tuos.
Infima, si nescis, non umquam dente lacessit
 Invidia, at summo qua videt esse gradu.
Ipse adeone malum quemquam, Jacobe, Poëtam
 Reris, ut invideat versibus ille tuis?

In Tymbogerontem.

Decrepitus cernens civili Marte peremptum
 Jam mortale genus, fatiferaque lue,
Uxorem duxit juvenem, quo gentibus orbum
 Orbem fœcundâ sic reparet sobole

Ad


Aſt opus eſt viſo, ne qui nunc tradere vitam
  Vult aliis, ſubeat pro thalamo tumulum.

De Anchialo Medico, ad Gallum.


Exactas poſt quinque ſibi, deciesque novenas
  Meſſes, vivit adhuc clinicus Anchialus.
In tam longa putas protractam tempora vitam,
  Dum ſe, Galle, ſuis artibus ipſe juvat?
Falleris. Anchiali nihil eſt funeſtius arte,
  Pharmaca dum miſcet, miſcet, & ille necem.
Hæc igitur cum mille animas demittat ad Orcum
  Anchiali indoctas quæ ſubiere manus.
Quid mirum eſt illi violentam parcere mortem,
  Quem ſibi pro centum falcibus eſſe videt?

Ad Philoſophum Platonicum.

O ſancti quem nulla latent abſtruſa Platonis
  Dogmata, queis pueri tela, faceſque regit,
Cur me, cum placido meus ignis lumina vultu
  Vertit, & obtutu proſperiore beat:
Cum videor ſortem potiorem ſorte deorum
  Nactus, & æterni delicias animi,
Non, animi dum clauſtra mei ſic dulcia laxant
  Gaudia, vita plagas exit in æthereas?
Cur iterum aſpectu cum nubila lumina torvo
  Iratæ faciunt indicium dominæ,
Dum ſic arctantur valido mihi corda dolore
  Non interſtinguit tam fera vis animam?
An quod noſtra nimis lætantia corda coërcet
  Feminea certus de levitate timor?
Rurſus &, irarum quamvis pæne obruta fluctu,
  Spes tamen exanimum credula pectus alit?
O nimium crudelis Amor, cui ſemper amantes.
  Ut pereant, mors eſt unica viſa parum!



JO: BAPT. EVANGELISTÆ



Silvanus ad Silviam.

SIc formosa meis placuisti, Silvia, ocellis;
 Sic nostra immitis pectora carpit Amor,
Ut dumeta placent nostris, salicesque capellis:
 Ut cupida, & mollis gramina carpit ovis.
Sic os, sic oculi fures, sic dulce labellum,
 Sic dens candidulus, sic gena pulchra capit:
Ut viscum turdos, ut lenti retia casses
 Et captant volucres, decipiuntque feras.
Sic animum incautum facies spectata fefellit,
 Sic forma est oculis insidiata meis.
Ut turmas avium, incautas mala fistula fallit,
 Ut lupus impatiens insidiatur ovi;
Sic facibus sævis utuntur pectora amoris,
 Sic cor missilibus tunditur usque meum.
Ut vidi stipulas flammis crepitantibus uri,
 Atque humiles tundi grandine sæpe casas.

Ad Amorem.

En morior, torquere faces, torquere sagittas
 Nil opus est: Veneris desine sæve Puer.
Desine; namque àrdens tua fax mea corda peredit:
 Ecce vomunt flammas pectora adusta novas.
Non est, quo immitis crudas jaculere sagittas;
 Concedunt nullum vulnera prisca locum.

In Amorem.

Quid lacerum laceras pectus? quid corda ſagittis
Improbe contundens ſaucia vellis Amor?
Quid pœnam pœna, cumulaſque dolore dolorem?
Quid flammas flammis, vulnera vulneribus?
Quid geminas ictus? quid tela, volantia torques?
Deſine, jam morior, deſine ſæve Puer.
Quæ modo multa facis, ſunt irrita vulnera, nullum
Inveniunt vacuum tela faceſque locum.
Te ſequimur, tua præda ſumus, depone ſagittas:
Servaſſe inſontem gloria major erit.

Ad eundem.

Ad veteres igitur plagas, flammaſque vetuſtas
Sæve Amor adiicies tela faceſque novas?
Urebat Phyllis, Caſſandra urebat amantem;
Lucia nunc miſerum tertius urit Amor.
Saucia cædebat Caſſandra, & pectora Phyllis:
Impia nunc cædit Lucia corda recens.
Luminibus Phyllis cœpit, Caſſandra capillis:
Lucia formoſo pulchrior ore capit.
Non novus antiquos potis eſt detrudere amores:
Non tollit priſcas, ſed nova flamma facit.
Hanc cupio; opto illas, pariter cruciatque necatque;
Delectant pariter, proh pariterque placent.
Vulnere ſic triplici, triplici ſic igne petitus,
Unus ero infelix apta rapina trium.

Eidem.

Dum me unum, crudelis Amor, petis, omnia in unum
Spicula contorques, & fera tela jacis:
Quæ gravis ante fuit pharetra eſt exhauſta ſagittis,
Contentuſque diu redditus arcus iners.
Queis poſt hac feries armis? invicta, potenſque
Dextera, ni ceſſes, nuda, & inermis erit.

Vin-

Vincere ſcis; victis ſed victor parcere neſcis,
  Sævitia invicti geſta minora facit.
Sit viciſſe ſatis, victumque ligaſſe catenis:
  Factus mancipii ſum miſer ecce tui,
Quid crucias, perdiſque tuos, Puer improbe, ſervos?
  Devotoſque tuos quid, male ſane, necas?
Nonne pudet metuenda Jovi maculare cruore
  Servili dominum tela ſuperba Deum?
Tolle tuos; ſolus vacua regnabis in aula:
  Tolle tuos; nullo ſuſpicieris, Amor.
Es Puer; innumeros leſiſti hominesſque, Deoſque,
  Indiget auxilio, conſilioque Puer.
Fortis es; at fortes, & magni utuntur, egentque
  Mancipiis Reges, militibuſque Duces.
Parce tuis ſervis; levibus quoque parce ſagittis,
  Ne deſint valido miles, & arma Deo.
Cæde repugnantes, hoſtiles ſterne catervas;
  Atque male acceptas ignibus ure tuis,
At mihi, cui notæ vires, clementia tandem
  Fac, precor, ut miſero ſit quoque nota tua.

Ad Dianam Melioratam.

Deſpiciens terras ſummi moderator olympi,
  Magnus ad Adriacas lumina vertit aquas:
Cum tua ſtrata ſolo, curvati littoris Ancon,
  Vidit Acidaliæ templa ſuperba Deæ.
En collapſa jacent pulchræ delubra Erycinæ:
  Urbs, ait, an majus Dorica numen habet?
Dixerat; atque oculos dum curva ad mœnia torquet,
  Occurrit ſummo pulchra Diana Jovi.
Tres illam Charites, totidem Nymphæ, atque Cupido
  Quod ſequitur; dubitat, ſitne Diana Venus.
Percuſſus forma ingenti miratur, & ardet,
  Et cupit, & dignam, quæ colat aſtra, putat.
Iſta Diana Venus, Venus iſta Diana videtur:
  An neutra eſt, quoniam major utraque Dea eſt?
Ornabis noſtros formoſa, & caſta penates;
  Non es mortali femina digna toro.

Sic

Sic ait; & raptam complexus ad æthera velox
Evehit, & magnam tum jubet esse Deam.

De Victoria contra Turcas.

Cantemus victas pueri, innuptæque puellæ
Eoas acies, Threiciasque rates.
Cantemus captos reges, populosque superbos:
Barbaraque invicta signa zelata manu.
Fronde sacra, & violis victricem cinge Columnam
Roma: triumphantem suscipe læta ducem.
Non tam Scipiadas veteres coluere Quirites,
Quam debet cunctis alta Columna coli.


De eadem.

Quod conjurati veniant ad classica venti:
Et faveat Petri pontus, & aura rati:
Quod victas classes, & barbara signa referre
Cernamus nostros ad pia templa duces;
Quodque catenatas acies, regesque superbos
Cernas, Roma, tuo subdere colla jugo;
Quod duplices uno populi Pastore regentur,
Quodque unum geminum claudet ovile gregem:
Fit superum studio, fit certo numine divum;
Fit prece Romani, Pontificisque Pii.



GABRIELIS FAERNI

CREMONENSIS.



Ollæ duæ, Ænea, & Fictilis.

DUas trahebat amnis ollas, æneam
Unam, alteram autem fictilem.
Sed ahena, proprio prægravata pondere,
Sibique porro præcavens,
Suadere cœpit anteeunti fictili,
Conjungi uti vellet sibi;
Quo rapidum aquarum sustinerent impetum,
Junctis utrimque viribus.
Cui fictilis: tua mihi, ait, vicinitas
Non admodum placet, soror:
Nam sive te mihi unda, sive me tibi
Prope adnatantem illiserit,
Ut sospitem te dura præstabit cutis,
Fragilem meam sic conteret.

Potentiorum semper est vicinitas
Vitanda tenujoribus.

Juppiter, & Minerva.

Legere proprias Dii sibi quondam arbores,
Quam quisque vellet esse tutelâ in suâ:
Quercum supremus Juppiter, mirtum Venus,
Pinum humidi tridentifer Rector sali;
Apollo laurum, populum excelsam Hercules.
Mirata enimvero est, Minerva cur ita

In-

Infructuosas legere voluissent, quibus
Tantum ad manum esset fructuosarum arborum.
Cui Juppiter caussam hac roganti reddidit:
Ne existimemur fructu honorem vendere.
Tum Pallas: At vos facite quod vobis lubet:
Ego, inquit oleam fructuum caussâ lego.
Exosculatus filiam tum Juppiter:
O nata dixit, jure sapiens omnibus
Dicere sæclis: jure tu capitis mei
Propago, nam *quod facimus, id nisi utile est,*
Stulta omnis, atque inanis inde est gloria.

Leo, Asinus, & Vulpes.

Inita societate asinus, & leo ac vulpes,
Venatum ière, quumque præda jam multa
Facta esset, atque hanc tres asellus in partes
Dividere jussus, ex bono esset atque æquo
Partitus, ira leo superbus exarsit:
Miserumque divisorem atrociter sane
Doli mali, atque iniquitatis accusans,
Discerptum, hianti condidit vorax alvo.
Rictu cruento deinde versus ad vulpem,
Ut faceret æquas sedulo innuit partes.
Ea ferme ab una parte cuncta secrevit
Leoni: ab altera id sibi quod a tanta
Pauxillulum detractione restabat.
Tum gestiens leo: unde, ait, soror vulpes,
Es dividundo tam erudita communi?
Asini calamitas, exitusque lugubris
Me fecit, inquit illa, jureconsultam.

Aliena sunt pericla cautio nostra.

Asinus, & Lupus.

Calcatus asino clavus, in pede hæserat:
Quem lupus acutâ fretus acie dentium,
Medicum professus, atque pactus præmium,

Ex-

Extraxit: itaque exigere mercedem inſtitit.
Obverſus aſinus, graviter os improvidi
Lupi, atque mediam calce frontem perculit.
Ibi lupus: jure, inquit, hoc mihi accidit,
Neque enim coquus qui ſum, agere medicum debui.

Quam quiſque novit artem, in hac ſe exerceat.

Leo mente captus, & Caprea.

Percitum atra bile caprea cum leonem cerneret,
Pervagantem lata campi ſpatia veſanis modis:
O ferarum triſte fatum, dixit, ac miſerrimum!
Nam leo ſi compos animi, non erat ferri potis,
Nunc ubi inſanire cœpit, quam erit atrox, & impotens!

Fulmen eſt, ubi cum poteſtate habitat iracundia.

Aſini duo.

Aſini duo una forte faciebant iter,
Onuſtus alter ſpongiis, alter ſale.
Quumque hic vadoſo in profluentis tranſitu
Sub prægravante lapſus eſſet ſarcina;
Contacto aqua ſale, inque tabem liquidam
Soluto, ab omni liber onere, & geſtiens
Evaſit undis. Spongias alter ferens,
Hoc viſo, & ipſe ſarcina ſe ſe ut ſua
Levaret. alto ſponte procubuit vado:
Sed ſpongiis aquam uſque combibentibus
Depreſſus, imo merſus hæſit flumine.

Non una agendi ratio cunctis congruit.

Formica, & Cicada.

Hiberno exponunt dum frumenta humida ſoli
Formicæ confecta fame, & moribunda cicada
Auxilium rebus ſupplex orabat egenis.
Hanc formica anus, & multo uſu docta rogavit,
Quid rerum æſtate egiſſet: quumque illa, ſonoro

Se membranarum pulſu, & crepitantibus àlis,
Diceret æſtivos hominum leniſſe labores;
Formica excipiens: ſi tunc, inquit ceciniſti
Imprudens animi, vacuo nunc corpore ſalta.

Ætatis dum ver agitur, tum conſule brumæ.

Turdi.

Ex maximo cum ſore turdorum globo,
Ad præcoces vindemias qui Galliæ
Togatæ Etruſcis devolarant montibus,
Exigua ſane pars revertiſſent domum,
Sed hi ſagina craſſi, obeſi, prægraves:
Hos conſpicati qui domi remanſerant,
Livore tacti, ſe ſuamque peſſimam
Cœpere ſortem conqueri; quod cum iis ſimul
Ad tam beatas non profecti eſſent dapes.
Quibus unus ex iis qui reverſi erant, ait:
O inſcientes, atque rerum improvidi!
An non videtis, ex tot ante millibus,
Qui exiveramus ſpe ſaginæ, & crapulæ,
Ad quam redacti paucitatem nunc ſumus?
Fœdo exitu deſideratis ceteris,
Captis, necatis, ſub corona venditis?
Quod ſi miſerias, ſi pericla, ſi metus,
Si cuncta quæ nos, qui ſuperſumus, mala
Pertulimus, æſtimetis, & caſus graves;
Næ hæc ſtulta vobis jam libido fugerit
Externa conquiſitum eundi pabula.

Paucos beavit aula, plures perdidit:
Sed & hos quoque ipſos, quos beavit, perdidit.

Sus, & Canis.

Magna invicem contentione exarſerant
Sus, & canis; magnamque voce diſſona
Rixam ciebant, atque acerba jurgia.
Tandem ſuperbis exacerbatus minis

Sus, per Venerem, ait, si mihi pertrexeris
Molestus esse, dente te transfodero.
Tum canis amaris salibus aspergens suem:
Bene, inquit, atque apposite eam juras Deam,
Quæ te odit adeo, ut, qui ex tua impurissima
Carne ederit, eum illa arceat templo suo.
Immo potes, sus inquit, hinc dignoscere,
Quam diligat me Diva, quæ hunc, qui læserit
Me, quique carnes dente violarit meas,
Eum ut profanum nolit ad se admittere.

Prudens vir ea, quæ exprobrat adversarius,
Ipse in suam torquere novit gloriam.

Senex, & Mors.

Lignatum egressus nemorosi ad culmina montis
Confecto sub fasce senex sese inde ferebat:
Quumque labore viæ, atque injusto pondere pressus
Abjecisset onus, solis deprensus in arvis
Mortem implorabat, mortem sæpe ore ciebat.
Ecce autem huic diræ species se pallida mortis
Obtulit, &, si quid vellet, præsto esse professa est.
Ille metu sudans, atque in contraria versus
Vota; Juva me, inquit, tergo hunc imponere fascem.

Multi absentem audent mortem contemnere, quæ mox
Terret eos, veris repræsentata periclis.

Mergus, Rubus, Vespertilio.

Mercaturæ olim socii, vasa ænea mergus,
Vestimenta rubus, argentum fœnore sumptum
Bestia, quæ mures inter, volucresque locatur,
Contulerant; atque his onerata mercibus alno,
Vela dabant læti minuente pericula lucro;
Quum subito miseros immanis adorta procella
Vorticibus rapidis navim cum mercibus hausit.
Ipsi udi, atque inopes, vix fluctibus evaserunt.
Ex illo mergus spumosa ad littora servat,

Si qua unda allidens, sua reddat ab æquore vasa,
Obvia vestimenta rubus per rura vagantum,
Si sua forte recognoscat, scabro ungue retentat.
At vespertilio, longo quæ tempore debet
Argenti summam, spatiis fœnebribus auctam,
Luce appellari metuens, clam nocte vagatur.

Sponte revertuntur vitia intermissa; maleque
Invitos aufert nos consuetudinis æstus.

Cornix, et Canis.

Cornix Minervæ sacrificans, epulis canem
Convivam adhibuit, ille amice eam monens:
O bona, quid opus est tam tibi iratæ Deæ
Te sacra facere? perdis, inquit, victimas.
Abjecit illa te, & peculiaribus
Omnem fidem abrogavit auguriis tuis.
Tu cetera ex hoc conjice, & dijudica.
Tum magnum ab alto corde agens suspirium
Cornix: Scio, inquit, quæ refers de odio Deæ;
Ego tamen neutiquam animum despondeo:
Quin potius id ago, ut sacrificando, & munera
Crebro offerendo, mitigem iratam Deam,
Offensionemque obsequela leniam.

Qui vincere adversarium ex tuto cupit,
Beneficiis, & gratia certet bona.

Corvus, & Mater.

Destitutus corvus æger mortis in periculo,
Anxius matrem rogabat, ut salute pro sua
Vota Diis concepta supplex, & preces effunderet:
Nate mi quid vota pro te, mater inquit, proderunt,
Qui tibi omnes reddidisti semper infensos Deos?
Nam quis obsecro, est eorum, cujus ex altaribus
Exta tu non involaris, sacra non turbaveris?
Impotenter qui nocere ceteris assueverit,
Nullus illum sublevatum in rebus adversis volet.

Musca.

In carnium ollam musca quondam decidit:
Ubi quum cibo, potuque distenta, ac madens,
Paullatim in alto jure se se cerneret
Pessum ire, mortemque imminere jam sibi,
Interrito, atque composito animo oppetens:
Ego tantum, ait, bibi, & comedi, & lavi, ut hunc
Satura exitum ferre haud moleste debeam.

Id, quod necesse est, fer, bonique consule.

Rusticus, & Eques.

Venalem tergo leporem quum ferret ad urbem
Rusticus, inserto vincta inter crura bacillo,
Obvius huic eques, emturi sub imagine sumpsit,
Libravitque manu leporem; quantique, rogavit:
Protinus & vafram referens per rura rapinam
Admisso discessit equo, cui rusticus, Heus tu,
Inquit, eum dono leporem tibi: vescere gratis,
Vescere læto animo, & memori donantis amici.

Ridicule hæc homines, nequeunt quæ vendere, donant.

Equus, & Asinus.

Equus, atque asellus, servientes uni hero,
Uterque propria onustus ibat sarcina:
Sed asellus adeo jam gravabatur sua,
Ut cogeretur partis alicujus sibi
Supplex levamen ab sodali exposcere;
Quo denegante, præ labore concidens
Miser supremum asellus egit halitum.
Tum vero, ut asini sarcina, & corium insuper
Equo ad priorem sarcinam sunt addita,
Miserum ille se vocabat, atque perditum:
Nam qui levare contubernalem meum
Parte oneris, inquit, nolui, nunc omnia

Gesto, atque corium, tertiæ instar sarcinæ.

Si tenuiorem juverit potentior,
Utrique melius fuerit, & prolixius.

Vulpes, & Erinaceus.

Tranarat alti fluminis vulpes vadum:
Sed ripa in ipsa, & udo aquarum margine,
Voraginoso crura defigens luto,
Muscarum acuto obnoxia hæsit morsui.
Quam destitutæ vulpis ærumnam dolens,
Qui forte eo devenerat erinaceus,
Amanter, atque sedulo officium suum,
Si qua in re eam juvare posset, obtulit.
Atque adeo, quando eripere te instinc non queo,
Vis, inquit, istas ut abigam muscas tibi,
Quæ te exedunt? Minime, ait illa, gentium:
Nam si hæ recedant, quæ repletæ, ac turgidæ
Non admodum nocere jam nobis queunt,
Aliæ illico successerint famelicæ,
Quæ relliquum omnem sanguinem exsugant mihi.

Qui res novari, & regna mutari expetunt,
Quid aliud hi, quam majus accersunt malum?

Leo, & Vulpes.

Horrenda primum cùm leonis efferi
Adspexit ora, præ metu vulpes ferè
Animam reliquit: viso eo rursum obvìo
Timuit quidem illa, sed minus multò tamen:
Denique datum in conspectum eum jam tertiò,
Contempsit adeò, ut non adire sit modò,
Sed adloqui quoque ausa familiariter.

Quæ terribilia sunt ab insolentia,
Ea reddit adsuetudo blanda & mollia.

Vul-

Vulpes, & Uva.

Vulpes esuriens, alta de vite racemos
Pendentes nulla quum prensare arte valeret,
Nec pedibus tantum, aut agili se tollere saltu,
Re infecta abscedens, hæc secum, Age desine, dixit;
Immatura uva est, gustuque insuavis acerbo.

Consuevere homines, eventu si qua sinistro
Vota cadunt, iis sese alienos velle videri.

Corvus, & Vulpes.

Insedit altæ corvus olim quercui,
Rostro rapaci casei frustum tenens;
Quem vafra blando adgressa sic vulpes dolo est:
Quam pulchram avem, quàm splendidè cultam intuor
Pennis decoris, atque versicoloribus!
Salve, inquit, ô generosa: quod si prædita
Cantu fuisses, summi eras aves Jovis.
His ille, magnæ inductus in spem gloriæ,
Cantu indecoro rauca solvit guttura.
Tum versipellis decidente caseo
Vulpes potita: corve tu, inquit, omnia
Habes abunde; mente duntaxat cares.

Qui coram in os te laudat, insidias struit:
Qui laude ficta ducitur, cor non habet.

Dies Festus, & Profestus.

Festum in diem profestus insurrexerat,
Odiosa magno probra clamore ingerens:
Quid te, inquit, ignave, esse tandem existimas,
Qui tam otiose, delicatam. ac splendidam,
Sine opere, sine labore, vitam ductites,
Sudore parta prodigens meo bona?
Olli renidens leniter festus dies:
Et merito alis, ait, sortis auctorem tuæ:

Etenim quid esses, stulte, sine me? nam, nisi
Ego festus essem, tu profestus non fores.

Ordo optimatum, plebis haud dubie est salus.

Pavo, & Monedula.

Regi creando quum comitia avium forent,
Blando petebat pavo prensans ambitu,
Suas opes, suamque pulchritudinem
Jactans, & admirandum honorem corporis:
Et jam prope una mente centuriæ alitum
In gratiam pavonis inclinaverant:
Suffragia inhibens quum monedula: heus tu, ait,
Formose, si, te rege, nos aquila impetat,
Quo pacto opem ferre, aut tueri nos putes?

In deligendo rege, multo impensius
Animi bona spectanda sunt, quam corporis.

Cervus, & Hinnulus.

Cervo hinnulus olim filius dixit patri:
Et major es tu canibus, & velocior,
Et ardua alacri fronte gestas cornua:
Cur ergo quæso, tam times eos, pater?
Cui cervus. hæc, quæ de me, ait, fili, refers,
Sunt vera fateor; multa nobis contulit
Natura, multis provida instruxit bonis;
Sed ego latratum canis ubi primum audio,
Tum, vi abdita quadam, in pavorem, & in fugam
Agor, inque pedibus omne præsidium est mihi.

Timidi & fugacis ingenii qui sunt, eos
Nulla arma, nulla texerint sat mœnia.

Corvus, & Serpens.

Serpentem aprico conspicatus in loco
Somno gravatum corvus, escam quæritans
Allapsus, uncis occuparat unguibus;

Quum-

Quumque ille vertens ſe, inque gyrum colligens
Hunc dente perculiſſet irritabili,
Moribundus & flens corvus: en cujuſmodi
Reperi lucrum, inquit, quo miſer me perdidi.

Infauſta multis ſunt ſua ipſorum lucra.

Cycnus, & Anſer.

Duas opima cors alebat alites,
  Cycnum, anſeremque candidum;
Ut ille dulce ferret auribus melos,
  At hic obeſa viſcera
Gulæ exhiberet Ergo ut hunc hero in cibum
  Parare juſſus eſt coquus,
Loco anſeris cycnum inſcius prehenderat,
  Colore falſus alitum.
At ille funus, ut ſolent cycni, in ſuum
  Suave carmen ordiens,
Ita agnitus, gravique mortis impiæ
  Solutus eſt periculo.

Pericla ſæpe, ſæpe proximam necem
  Repellit eloquentia.

Puer, & Scorpius.

Captabat agiles forte locuſtas puer,
Modo hanc, modo illam ſaltitantem perſequens,
Quas inter atro ſcorpius viro tumens
Errabat, hunc locuſtam opinatus puer,
Dextram admovere cœpit, ille ſubrigens
Caudam minacem, ſeque ad ictum comparans:
Manum abſtine, inquit, inſciens; aliter malo
Cogere veras quoque locuſtas mittere.

Tunc civitates ruere conſuerunt, ubi
Nequeunt probos ab improbis diſcernere.


Anguilla, & Serpens.

Unanimem quondam ſerpentem anguilla rogavit,
Cur anguillarum generi omnia plena periclis,
Plena dolis hominum, atque inimicis fraudibus eſſent:
At tu, inquit, mihi quum ſimilis quum pæne gemellus
Cetera ſis, nullis obnoxius inſidiis es;
Securoſque dies pacati tranſigis ævi.
Cui ſerpens: Nimirum, inquit, quia qui mea turbat
Otia, & infeſtam mihi vim temerarius affert,
Non impune refert; nec inulta injuria reſtat.

Canis, & Lupus.

Canem ante ſtabuli dormientem januam
Lupus irruens, quum devoraturus foret,
Ille ejulans vóceſque flebiles ciens,
Ne ſe comeſſet, deprecabatur lupum:
Aut certe, ait (nam & tenuis alioqui, ut vides,
Macerque ſum) da mi, obſecro, brevem moram;
Domi enim meæ cras ſunt futuræ nuptiæ;
Ubi, ad affluentes pinguis effectus dapes,
Opimior tibi eſca ero, ac jucundior.
Perſuaſus his, dimiſit incolumem canem
Lupus, revertens inde poſt aliquot dies,
Eum, cubantem parte in excelſa domus,
Quum inferne clamans excitaviſſet, datæ
Fidei admonebat, atque pacti fœderis,
Ibi tum ille ridens ſubdole: ſi me o lupe,
Umquam ante ſtabulum dormientem inveneris,
Ne nuptias dehinc, inquit, exſpectaveris.

Quæ quis pericla eſt paſſus, hoc lucri hinc habet,
In poſterum vitare ut illa noverit.



Ca-

Canis, Gallus, & Vulpes.

Canis, atque gallus longum iter quondam ſimul
Ingreſſi, opaco jam appetente veſpere,
Nacti arborem, ubi quieſcerent, gallus quidem
Faſtigia alta frondeæ aſcendit domus,
Canis excavatum in caudicem ſe condidit.
Quum vero, ut adventante conſuevit die,
Cantum edidiſſet gallus; accurrens eo
Vulpes, eum rogabat enixiſſime,
Deſcenderet, ſuique faceret copiam:
Geſtire ſe, animal tam canorum, & muſicum
Amplecti, & oſculari, & os agnoſcere.
Tum fraude gallus cognita: Cupio tibi,
Quæcumque poſſum, commodare, & obſequi,
Et eſſe tecum: ſed tu, ait, quæſo, hunc prius,
Qui dormit infra, janitorem ſuſcita,
Fores mihi ut recludat, unde ad te exeam.
Vocante vulpe janitorem, prodiit
Canis; agnitamque adortus adverſariam,
Nil tale veritam, dente laniavit truci.

Qui fraude agit, jure ipſe fraude fallitur.

Mulus.

Laſcivientem plurimo hordeo mulum
Quondam hæc ſuperba cogitatio inceſſit:
Ego pulcher, inquit, ego celerrimus curſor,
Patrem habui equum, qui aurata frena mandebat.
Hæc ille: ſed mox, incidente currendi
Neceſſitudine, impeditus, atque hærens,
Ad prima campi ſpatia reſtitit laſſus;
Aſinique patris eſt ſtatim recordatus.

Secunda nos fortuna neſcios noſtri
Facit: ſiniſtra noſmet indicat nobis.

Juvenes duo, & Coquus.

Duo olim juvenes coquo aſſidebant:
Quorum quum rapuiſſet alter offam
Carnis, obtulit alteri occulendam:
Sed coquo hanc repetente ab iis, uti qui
Soli tempore furti ibi affuiſſent,
Is, qui habebat eam, involaſſe ſe ſe,
Qui involarat, habere ſe negabat,
Sancte per Jovem uterque dejerantes,
Queis amaro animo coquus renidens:
Veſtro me quidem, ait, poteſtis apte
Circumſcribere jure pejerato:

Deum, cuncta ſcientem, & intuentem,
Circumſcribere fraude non poteſtis.

Cochleæ.

Impoſitas prunis cochleas intentus, & hærens
Filius agricolæ circumfuſo igne coquebat.
Illæ humore graves, & ſucco obſtante calori,
Edebant raucum tenui ſtridore ſonorem.
Tum puer irridens: o ſtulta animantia, dixit,
Nunc canitis, veſtræ quum flagrant ignibus ædes?

Damnantur quæcumque alieno tempore fiunt.

Cornix, & Hirundo.

De pulchritudine, atque honore corporis
Hirundine, & cornice contendentibus,
Poſt multa utrimque dicta, ita adverſariam
Cornix retudit: quanti, ait, tandem tua eſt
Faciendi pulchritudo, quæ prima modo
Æſtate floret, præ mea, quæ hjeme quoque?

Diuturna fluxis præferenda ſunt bona.

Mer-

Mercurius, & Statuarius.

Visurus olim, quanti apud homines foret
Mercurius, ora versus in mortalia,
Se se in tabernam contulit statuarii:
Inspecta ubi tonantis effigie Jovis,
Quanti, rogavit: utque drachma comperit,
Clam vilitatem patris irrisit sui.
Inspecta item Junonis, aliquanto amplius
Pretium ejus esse, quam prioris, audiit.
Postremo contemplatus & statuam suam,
Existimansque se esse longe maximi,
Quod lucra præstet, quod sit interpres Deum,
Pretium indicari petiit & sui sibi.
Statuarius tum dixit: hasce si emeris,
Et hanc tibi, hospes, additamentum dabo.

Plerumque nihili est, qui ipse se magni æstimat.

Pater, & Filii.

Moriens pater lecto assidentes filios
Admonuit, auri maximam se in vinea
Vim condidisse, proinde post obitum suum
Id excavato penitus eruerent solo.
Hæc ille, sed mox liberis rogantibus
Uti ederet, qua parte tandem vineæ
Aurum lateret; nil locutus amplius,
Desiderati liquit incertos loci.
Illi, peracto protinus busto patris,
Versare duris vineam ligonibus,
Et hic & illic scrobibus effossis humum
Cœpere glebas in minutas frangere:
Frustra: nil enim fuerat auri conditum:
Illo subacta sed labore vinea,
Uberrima ditavit hos vindemia.
Tum primus horum, hic ille nimirum, refert,

The-

Thesaurus est, quem sedulus nobis pater
Moriens reliquit, noster, o fratres, labor.

Sua cuique vitæ industria instar est opum.

Simius, & Delphus.

Mos navigantum est, prisco ab usque tempore,
Ut navigationis in solatium
Secum catellos, simiosve deferant.
Quidam igitur oram forte præter Atticam
Cum morione navigabat simio.
Ecce autem atroci concitata turbine
Maris procella, Sunium circa, Atticæ
Insigne promontorium, evertit ratem.
Ibi inter alios naufragos & simio
Natante, quidam Delphus accurrens, eum
Hominem ratus, manu ex propinquo præbita
Undis levatum, an civis esset Atticus,
Rogavit, ille se esse vero, & nobili
Sane, atque claro genere dixit editum.
Quum deinde, & in Piræcum una issent simul,
Notissimum navale Atheniensium,
Ibi sciscitatus Delphus est ab simio,
Nosset ne Piræum? arbitratus simius
Eum rogare de homine claro quopiam,
Et nosse dixit, & sodalem esse hunc suum.
Quam ob vanitatem Delphus ira percitus,
Tum denique illum bestiam agnoscens, truci
Salo hauriendum, fluctibusque reddidit.

Qui mentiuntur impudenter, hi suis
Refellere ipsi se solent mendaciis.

Ranæ duæ sitientes.

In siccitate, & summa aquæ penuria,
Ranæ vagabantur duæ,
Sicubi profundis invenirent vallibus
Aliquid liquoris abditi.

Tan-

Tandem, reperto puteo aqua pleno, altera
Suadere descensum institit.
Prudentior sed altera, & consultior:
Si nos eo demittimus,
Et ibi quoque, inquit, unda nos defecerit;
Quonam modo inde exibimus?

Negotiorum jubeo spectari exitum
Iis, qui incboare quid volunt.

Ranæ duæ vicinæ.

Ranæ duæ inter se propinquis sedibus
Ætatem agebant, altera in via obtinens
Parvam lacunam, devium stagnum altera.
Sed in æstuosa solis impotentia,
Tum quum arva radiis, orbitæ fervent rotis,
Admonuit hæc vicinam, ut illum deserens
Periculosum plane, & infestum locum,
Domicilium transferret in stagnum suum.
Illa asserens, sese unica dulcedine
Ejus teneri, ubi egerat vitam, loci,
Migrare renuit: donec illam transiens
Gravis sonante currus obtrivit rota.

Homines malos plerumque mors ante occupat,
Quam criminum vitæque penitentiæ.

Auceps, & Cassita.

Alitibus laqueos auceps quum tenderet, alta
Hunc conspicata ab arbore
Quidnam ageret, simplex animi cassita rogavit:
Condo, inquit auceps, oppidum.
Deinde per insidias, procul inter opaca resedit
Dumeta, & umbras arborum.
Illa, fide verbis habita, ut nova comminus urbis
Consideraret mœnia
Accedens illuc, laqueis fallacibus hæsit.
Redeunte tum ad prædam aucupe:

Heus,

Heus, inquit, bone vir, si talem exstruxeris urbem
Paucos habebis incolas.

Principum avaritia, cæcaque libidine læsis
Vastantur urbes civibus.

Deceptor, & Apollo.

Quidam olim, ut ipse sibi videbatur, catus
Absconditum passerculum manu tenens,
Ad Delphicum profectus est oraculum.
Hac sciscitatione lusurus Deum:
O Apollo, passer, quem manu teneo mea,
Dic se ulo, oro, vivus est, an mortuus?
Si Apollo re pondisset, illum vivere;
Compressa eum elisurus ipse erat manu,
Statimque prolaturus illi mortuum:
Sin mortuum dixisset, ipse dextera
Proferre laxa vivum eum decreverat.
Sed Apollo prudens: Passer, inquit, hic tuus,
Ut tute vis, & vivus est, & mortuus.

Mortalium tanta est malitia, ut se Deum
Ipsum arbitrentur posse circumscribere.

Uxor summersa, & Vir.

Vir mersæ uxoris rapido torrente cadaver
Adversa quærebat aqua: quem turba monere
Institit accurrens, ut quæreret amne secundo.
Nequaquam, ille inquit: mea enim dum viveret uxor,
Tam morosa fuit, tam aliorum semper abhorrens
Moribus, ac factis, ut nunc quoque mortua labi
Debeat haud aliter, quam adversa fluminis unda.

Morosa, & discors vel mortua litigat uxor.

Feles, & Gallus.

Comprensum feles gallum quum tradere ventri

Jejuno vellet, jure ut fecisse videri
Posset, & hanc noxam specie velaret honesti,
Accusabat eum, quod pervigili, atque molesto
Turbaret nocturnam hominum clamore quietem.
Defendente illo, sese utilitatis eorum
Id caussa facere, ut moniti adventantis Eoi
Ad sua quisque operum studia exercenda redirent.
Hunc rursum is naturæ hostem, infandoque sororum
Concubitu, & matris fœdum, incestumque vocabat.
Ille excusabat scelus utilitate, suamque
Hinc multis dicebat heram ditarier ovis.
Tum feles tandem perfricta fronte: sed etsi
Argumenta tuam defendunt plurima caussam,
Impastus tamen, inquit, ego hinc discedere nolo.

Vim qui inferre parat, cupidus, certusque nocendi,
Frustra illum ratione premas, aut jure refellas.

Asinus, Simius, & Talpa,

Asinum querentem quod careret cornibus,
Et simium, quod caudæ honore, hoc arguit
Sermone talpa: quî potestis, hanc meam
Miseram intuentes cæcitatem, hæc conqueri?

Aliena si æstimaris infortunia,
Tunc æquiore mente perferes tua.

Vulpes vota mutans.

Initura vulpes cortem opimam divitis
Pingui refertam genere gallinaceo,
Foramen id, qua transeundum erat sibi,
Cupiebat in penetrando dilatarier.
Rursum inde subreptam ore gallinam efferens
Quum jam imminentem horreret a tergo canem,
Ne se ille posset insequi, orabat Deos,
Uti foramen redderent quam artissimum.

Pro commodis mutare vota homines solent,
Sententiam alternante nunc spe, nunc metu.

Musca, & Quadrigæ.

Starent quadrigæ quum paratæ cursui,
Musca advolans, temoni earum insederat.
Misso ergo signo, illisque procurrentibus,
Pulsu rotarum, & quadrupedantis ungulæ
Pulverea nubes mota opacavit diem.
Tum in se ipsa musca gestiens: Dii magni, ait,
Quantam profundi vim excitavi pulveris!

Ridiculus est, qui laudis alienæ decus
Sibi vindicare gloriando nititur.

Pica, & Aves.

Cuculum opacis frondium umbris abditum
Intuita limis pica, & accipitrem rata,
Aëria celeri spatia tranabat fuga,
Quam conspicatæ, quæ assidebant, alites,
Vanum illius terrorem, & insanos metus
Cœpere salibus, atque risu prosequi:
Quibus illa, ego riderier vobis, ait,
Malo, quam amicis ac propinquis flerier.

Fertur facilius quod pudet, quam quod piget.

Mures.

Coactus olim quum senatus murium
Deliberaret, sæva quo possent modo
Cavere felis furta, & insidias graves,
Decrevit unus, collo ut adversarii
Suspenderent ex ære tintinnabulum,
Cujus sono illum adesse persentiscerent.
Probare pro se quisque consilium; & statim
Cœpere pedibus ire in hanc sententiam.
Tum ab sede surgens unus ex primoribus,
Cui cana vetulas barba velabat genas,

Ma-

Manu ſilentium imperans, mihi quoque
Probatur, ut cui maxime, hæc ſententia:
Sed oro vos quis, inquit, ex nobis, patres,
Feli auſit alligare tintinnabulum?

Carent periculoſa conſilia exitu.

Avarus.

Avarus auri maſſam humi defoderat,
Quam quum anxius quotidie iret viſere,
Vicinus obſervavit, & clam ſuſtulit.
Reverſus ille, offendit ut vacuum locum,
Flere acriter, barbam, & capillum vellere,
Vocare ſe mortalium miſerrimum.
Cauſſa doloris cui viator cognita:
Deſiſte, ait, te affligere; inque auri locum
Saxum repone; & id tibi eſſe aurum puta:
Etenim, ut video, ne tum quidem aurum habere te,
Aurum quum habebas, jure poteras dicere.

Tam deeſt avaro, quod habet, quam quod non habet.

Vulpes, & Lupus.

In Puteum ab alto lapſa vulpes margine,
Jam jam profundis haurienda aquis erat.
Miſera ergo ab adventante forte illuc Lupo
Supplex petivit, fune demiſſo extrahi.
Ille otioſi more, quærere inſtitit,
Quo lapſa pacto, quo fuiſſet tempore:
Prius eripe hinc me, dum licet, vulpes ait,
Deinde audies omne ordine, ut factum fiet.

In re arta amici ne eſſe cunctator velis.

Canna, & oliva.

De honore firmitatis, atque virium
Canna, atque oliva litigantes, invicem
Graviſſimas dixere contumelias:

Atque adeo, tu ne, inepta, te preponere
Audes mihi, aut certare mecum? oliva ait:
Ego ſtipite inconcuſſa robuſtiſſimo,
Telluris in profunda radices ago:
Tu caule lento, tamquam olus, ſummo in ſolo
Hæres, & omni obnoxia auræ fluctuas.
Hæc illa quum jactaret inſolentius,
Tandem immodeſtis canna parcens litibus,
Silentium egit, tempus expectans ſuum.
Ecce autem atroci turbine Eurus impotens
Incubuit arvis; cui quum oliva improvide
Obniteretur, fracta procubuit ſolo.
At canna cedens ultro, & huc illuc levi
Inflexa declinatione ſpiritus,
Incolumis, & ſuperſtes adverſariæ,
Gravem ejus olim riſit inſolentiam.

Potentiori non reluctari expedit,

Aſini, & Juppiter.

Pertæſa gens aſinina duras ſarcinas,
Legationem miſit ad ſummum Jovem,
Aliquando ut a tam exercita vita ſibi
Tandem quietem, & otium concederet.
Quibus volens denunciare Juppiter,
Fieri id nequire, tum quieturos eos
Reſpondit, ubi tantum univerſi mejerent,
Uti perenne flumen inde exſiſteret.
Ex illo aſini, eum exiſtimantes ſerio
Hæc elocutum, ubi alter alterius vident
Urinam, ibi inſuevere vulgo mejere.

Herus, & canis.

Canem habuit olim quidam, is illum paſcere
Quum vellet, id manu ipſe faciebat ſua.
Quum vero verberare eum decreverat,
Servo ſuo mandabat illud muneris.

Per-

Pertesus ejus vitæ ad extremum canis
Aufugit. Herus huic postea casu obvius
Convicium ingens fecit, oneravit probris,
Et bestiam appellavit ingratissimam,
Quod semper ab se pastus, atque habitus bene,
Nec verberatus umquam, herum tam amabilem
Relinquere induxisset in animum suum:
Tu tu ipse, tu me verberasti, inquit canis,
Tibi depilatum tergus hoc miserum, tibi
Accepta refero facta flagris ulcera.
Etenim quod, imperante te, servus tuus
Faciebat, abs te id esse factum existimo.

Æque est nocens, qui mandat, atque is, qui facit.

Canis, & Caro.

Canis, ore frustum carnium ferens, vado
Transibat amnem; quumque contemplanti aquam,
Speciem ampliorem carnium illa redderet,
Verum atque certum obsonium de faucibus
Amisit inhians illi imaginario.
Delusus ergo, speque frustratus sua:
O me pecudem, ait, quanta ego imprudentia
Id, quod tenebam, amisi, ut id, quod non erat,
Captarem, & umbram corpori amens prætuli!

Ne incerta certis anteponantur, veto.

Asinus, & Aper.

Magnanimum quum segnis aprum rideret asellus,
Ille premens iram, & sedata mente renidens:
Perge, inquit: nam te tua tutum ignavia præstat.
Nec tu umquam tantis potis es me incessere probris,
Tam vili ut digner generosum sanguine dentem.
Nam quamvis noxam meritus, dignusque malo tu,
Nostra indigna tamen sese huc demittere virtus.
Virtutem ne forte tuam contemptior hostis
Inquinet, ultrices moderare potentior iras.

Pullus Asini, & Lupus.

Morbo asinus olim quum laboraret gravi,
Ut adesse mortem rumor increbesceret,
Lupus ore ficto accessit illum visere.
Quem pullus asini, qui assidens erat patri,
Per obseratæ januæ rimam agnitum
Admittere intro noluit, sed enim lupus,
Quonam modo se haberet æger, institit
Rogare: Melius, ille ait, quam tu velis.

Suspecta merito sunt & obsequia hostium.

Lupus, & Grus.

Ovem lupo voranti os in gula hæserat,
Medicam ut necesse fuerit accersi gruem.
Ea pacta pretium, penitus in gulam lupi
Collo suo immisso, os molestum sustulit.
De præmio appellante tum lupum grue:
Abi, inquit ille, abi impudens: sat præmii est,
Collum e lupi quod faucibus salvum refers.

Homines mali beneficium se existimant
Illis tribuere, in quos maleficio abstinent.

Juppiter & Cochlea.

Regens creatis bestiis Divum pater,
Quod quæque primum postulavisset, dabat.
Tum cochlea impetravit, ut suam sibi
Domum liceret ferre junctam corpori.
Interrogata cur onus tam incommodum
Pro munere expetisset: hoc incommodi
Perferre, dixit, malo, quam arbitrii mei
Non esse, devitare vicinos malos.

Vicinitas mala instar infortunii est.

Satyrus, & Homo.

Satyrus atque homo fuerunt olim amici maximi:
Quorum amorem, gratiamque casus hic scidit repens.
Sæviente aliquando bruma, quum manus gelidas homo
Crebro ad os suum admoveret, calidum agens anhelitum,
Satyrus aspirationis caussam ab illo quæsiit:
Frigidas, respondit ille, sic calefacio manus.
Postea, cenante utroque, ut sæpe consuerant, simul,
Forte quum venisset illuc ferculum ferventius,
Atque homo afflavisset offæ: quam sibi desumserat,
Denuo caussam rogatus hujus afflatus sui,
Hoc modo refrigeravi, dixit, escam fervidam.
Satyrus hic ira incitatus: dehinc, ait, tecum mihi
Nulla consuetudo fuerit, nulla amicitiæ fides,
Qui mihi uno eodemque fundis ore calidum, & frigidum.

Quem bilinguem nosti, amicum ne tibi hunc adsciscito.

Mures, & Feles.

Murium vis magna in unis ævum agebat ædibus;
Qui videntes felis astu se in dies absumier,
Hoc suis cœpere rebus remedi, ut excelsissimam
Ædium partem tenerent hosti inaccessam suo.
Quod salubre constitutum muribus servantibus,
Hunc vicissim excogitavit callidus feles dolum,
Ut tigillo prominenti pariete ex domestico,
Applicans pedes supinos, capite deorsum pendulo,
Mortuum simularet, hunc sic pendulum unus murium
Tecto ab alto conspicatus: nec si, ait, tam mortuum
Te viderem, ut follis ex te fieret, umquam fiderem.

Qui cavet ne decipiatur, vix cavet, quum etiam cavet
Etiam quum cavisse ratus est, sepe is cautor captus est.

Vulpes, & Aquila.

Vulpes, & aquila, amore junctæ mutuo,

Ut amicitia adolesceret vicinia,
Habitare decrevere junctis sedibus.
Et hæc quidem locavit alta in arbore
Nidum, illa vero in concavo ejus caudice.
Ita deinde fætus utraque edidit suos.
Sed enim, profecta vulpe quondam ad pabulum,
Aquila fame incitata, nido devolans
In lustra vulpis, illius natos sibi
Suisque dulcem rettulit pullis cibum.
Reversa vulpes, fœditate cognita
Rei, atque rupti idignitate fœderis,
Quantum doloris, atque luctus cœperit,
Quamque impotenti incendio irarum arserit,
Reputare quivis de suo sensu potest.
Nec vero acerba tam suorum liberum
Dolebat illa morte, quam quod aliti,
Terrestris ipsa, non videbatur fere
Umquam nocere posse, nec par reddere.
Quod ergo misera poterat, illud scilicet
Faciebat, ut superbam in adversariam
Probra, atque inanes rabida jactaret minas.
Sed non die est lætata ruptrix fœderis
Sua insolenti injuria: nam rusticis
Capella in agro forte sacrificantibus,
Illa advolans, frustum involavit carnium,
Cui carbo candens e foco sacro hæserat:
Quod quum intulisset nido, is occultum aridus
Concepit ignem: dein coorto commodum
Vento excitata flamma, in aquilæ filios
Teneros adhuc, & involucres sæviit;
Quos ustulatos decidentes arbore,
Spectante matre, & flente natorum vicem,
Duplici voravit læta vulpes gaudio.

Qui tenuem amicum lædit, huic si humanitus
Impune fuerit, imminet vindex Deus.

Vul-

Vulpes.

Comprensa laqueo in sæpe vulpes abdito,
Implexam in evadendo caudam perdidit.
Id ei, molestiæ, ac pudori tanto erat,
Uti sibi esse vitam acerbam duceret.
Tandem hoc remedii excogitavit, ceteris
Ut vulpibus suaderet, ut caudas sibi,
Onus molestum, incommodumque abscinderent;
Ita publico dedecore tectum iri suum.
Ergo advocata concione vulpium,
Hortari ad id vehementer illas institit.
Cui tum renidens una de popularibus,
An tu, quia istud expedit, soror, tibi,
Idcirco, ait, das ceteris hoc consilj?

In publicis deliberationibus
Plerique tantum commodis suis studens.

Lignator, & Mercurius.

Propter amnem ligna cædens, quum securim rusticus
Forte lapsam perdidisset in profundo gurgite,
Lacrimans suum dolere cœpit infortunium,
Cui benignam opem misertus obtulit Cyllenius.
Et statim urinatus, imo ab usque fundo fluminis
Auream efferens securim, num ejus esset, quæsiit.
Ille enimvero negavit: proinde rursus quæreret.
Tum Deus reversus alti stagna in amnis infima,
Alteramque emersus inde proferens argenteam,
Id quod ante sciscitatus, id quod antea audiit.
Ferream demum securim sedulo expiscatus est.
Quam recepit ille lætus, atque gratias agens.
At Deus, viri probata integritate simplicis,
Auream huic, argenteamque muneri ultro tradidit.
Quæ suis quum deinde amicis rettulisset rusticus,
Unus ex iis cogitavit per dolum ditare se;
Atque eumdemmet profectus in locum, quod fecerat

For-

Fortuito homo ille ſimplex, ut ſecurim amitte[illegible],
Id ſuapte ſponte fecit ipſe per fallaciam.
Huic item Deus querenti de ſecuri perdita,
Atque flenti, & ejulanti ſe repertorem offerens,
Quum ſecurim in amne merſus extuliſſet auream,
Hæccine eſt tua, amice? dixit, tum ille totus geſtiens,
Hæc mea ipſa, ait, profecto eſt; hæc mea ipſa ipſiſſima,
Hanc Deus tantam peroſus hominis impudentiam,
Tradere auream ſecurim non recuſavit modo,
Ferream ſed reddere illi propriam ejus noluit.

Qui bonum colunt, & æquum, ſæpe ditat hos Deus;
Fraudulentos, improboſque ſæpe contra pauperat.

Fullo, & Carbonarius.

Fulloni inſtaret quum carbonarius olim,
Viveret ut ſecum, atque habitaret in ædibus iisdem:
Quonam, ait, ille modo, genere in tam diſpare quæſtus
Tecum habitare queam? nam quæ ipſe a ſordibus alba
Reddidero, tu rurſum atra fuligine tinges.

Ingenii tibi diſſimilis conſortia vita.

Jactator.

Quidam a peregrinatione longinqua
Domum reverſus, multa ſtrenue facta
Ab ſe in peregrinatione, jactabat.
Inter quæ, eum ſaltaſſe ſe Rhodi ſaltum,
Quem æquare nullus ex ea urbe quiviſſet:
Hujuſque teſtes facti habere ſe multos
Sane graves idoneoſque dicebat.
Cui tum ex corona quidam: Amice, quid teſtes
Adducis, inquit, quum probare re poſſis?
Nam ſi utique verum eſt, quod refers; fidem nobis
Res ipſa faciat; en Rhodus tibi, en ſaltus.

Ubi rebus opus eſt, verba inaniter jactes.

Vulpes, & Rubus.

Excelſam vulpes ſepem conſcenderat horti:
Unde gradu inſtabili, & titubante per ardua planta,
Apprendit caſura rubum, ille infeſtus acutis
Sentibus incautæ pupugit veſtigia vulpis.
Quæ male multata, & plantas laniata cruentas,
Incuſare rubum, probriſque inceſſere cœpit;
Quod ſibi, ad ejus opem quæ confugiſſet in artis
Rebus, inhumano nocuiſſet barbarus auſu
Cui rubus, immo, ait, imprudens plane ipſa fuiſti
Me apprendendo, alios omnes qui apprendere ſuevi.

Stulti adeo ſunt ſæpe homines, ut rebus in artis
Confugiant ad eos, quibus ultro lædere mos eſt.

Vulpes, & Larva.

Mimi ingreſſa domum vulpes, dum ſingula rerum
Viſendi ſtudio, ſcænæ inſtrumenta revolvit,
Formoſi larvam ſimulacrum repperit oris,
Inque manus ſumens, animoque, & lumine luſtrans,
O quam inſigne caput, ſpecie quam, dixit, honeſta:
Sed rationis inops, caſſoque informe cerebro!

Sordet honos formæ, niſi cui ſapientia juncta eſt.

Canes duo.

Canis fuit, qui tempore pluvio domi
Se continebat, nec pedem umquam e limine.
Interrogatus hic ab æquali ſuo,
Cur id faceret: ego, inquit, alias fervida
Perfuſus unda, timeo nunc & frigidam.

Timet innocentem, qui nocentem pertulit.

Mulier, & Medicus

Lippa olim mulier medico perſolvere certam
Mer-

Mercedem pacta eſt depulſo denique morbo.
Is caligantem quoties curaverat ægram,
Tempore quo nihil uti oculis ea quibat inunctis,
Obvia quæque domo rapiens, exibat onuſtus.
Jamque exportatis ſpoliaverat omnibus illam,
Quum bene habere oculi, ſolitamque admittere lucem
Cœperunt, tum demum operæ, remedique ſalubris
Mercedem medicus quum poſceret, illa recuſans:
Deterior nunc eſt viſus mihi, quam fuit ante;
Quippe domi congeſta prius quæ multa videbam,
Nunc quocumque oculos verto, nil conſpicior, inquit.

Corrumpunt multi, atque hominum de pectore delent
Offenſis ſua ſæpe novis benefacta priora.

Aſinus Dominos mutans.

Olitori aſellus ſerviens, quod pabuli
Quam minimum haberet, quod laboris plurimum,
Jovem eſt precatus, ut ſibi alium herum daret.
Dedit ille figulum: cui lutum aſſidue ferens,
Duroſque lateres, tegulaſque prægraves,
Iniquiore ſorte multo quam prius
Agebat, ergo denuo dominum ſibi
Mutare uti liceret, oravit Jovem.
Quo aſſentiente, venditus coriario.
Ibi vero acerbam, luctuoſam, & perditam
Miſer trahebat vitam, onuſtus fœtidis
Fratrum ſuorum, affiniumque pellibus.
Tum triſte rudens: ah quam, ait, ſatius fuit
Servire ſervitutem heris prioribus.
Hic enim, ut video, ubi me labore occiderit,
Corium quoque exercere perget mortui.

Mutare dominum non niſi in pejus datur.

Cerva, & Vitis.

Vim venatorum fugeret quum cerva ſequentum,
Frondea ramoſæ ſubiens umbracula vitis

De-

Delituit: donec, jam discendentibus illis,
Se rata jam tutam, defunctamque esse periclo,
Ipsa suas ausa est morsu exagitare latebras,
Et sibi prætentas avide decerpere frondes.
Quem motum ramorum, agitataque vitea tecta
Conversi venatores quum forte viderent,
Illud opinati quod erat, sub fronde latentem
Esse feram, certis miseram fixere sagittis.
Quæ moriens, calidoque animam cum sanguine fundens:
Jure, ait, hoc patior: neque enim umquā lædere, quæ me
Servarat, debebam, aut tales reddere grates.

Divina ignaros homines ulciscitur ira.

Latro, & Mater.

Damnatus morti latro ducebatur acerbæ,
Digna recepturus sceleratæ præmia vitæ.
Cui se in conspectum mater quum mœsta dedisset,
Ingeminans tristi miserandas voce querelas,
Ille ut eam affari est permissus, & oscula ferre,
Maternos morsu in vultus invasit acuto;
Totaque fœdavit laceratis naribus ora.
Detestari hominem plebs circumfusa, vocare
Immanem parricidam, atrocissima quæque
Dicere supplicia, & pœnarum exempla mereri:
Audite, ille inquit, cives: neu crimine tanto
Indicta caussa immeritum damnare velitis.
Exitii mihi namque caput, pestisque nefandæ
Caussa, hæc sola fuit: mater mihi caussa mali omnis
Sola fuit, fœdæque hujus mihi mortis origo,
Jam inde usque ab studiis, atque a puerilibus annis.
Tempore quo subreptum æqualis forte libellum,
Rerum ignarus adhuc, & honesti nescius, ipsi
Exhibui: læta, atque alacri, quæ fronte renidens,
Dulcibus excepit furtivam blanditiis rem.
Inde aliis porro, atque aliis per tempora furtis
Succedentia grassatus huic scilicet arti,
Huic vitæ generi assuevi, cui triste videtis

Sup-

Supplicium, sævæque crucis tormenta parari:
Quæ facile vitare mihi licuisset, & esse
Incolumi, ad mores conversa mente probatos,
Si me hæc materno imperio, flagroque salubri
Peccantem teneris castigavisset in annis.

Exitium natis parit indulgentia patrum.

Vates.

In populi cœtu, medio privata canebat
Vates fata foro, & quæ quemque eventa manerent.
Ecce superveniens securo nuncius illi
Exposuit, fures per apertas forte fenestras
Illius penetrasse domum, quæque intus erat rem
Asportasse omnem, & vacuos liquisse penates.
Ille gemens, mistoque ciens suspiria fletu,
Visurus sua damna, gradu sese inde citato
Proripuit, cui tum media de plebe facetus,
Cur tu aliis, inquit, predicere fata professus,
Non hæc ipse tibi cecinisti instantia damna?

Qui sibi non sapit, hic sapiens mihi non erit umquam.

Astrologus.

Obscura astrologus graditur dum noctis in umbra
Intentus cœlo, & tacite labentibus astris,
Decidit in puteum: casuque afflictus iniquo
Implorabat opem, Divosque hominesque ciebat.
Excitus accessit putei vicinus ad oras
Salsus homo, &: Quænam hæc tua tam præpostera, dixit,
Est ratio? nam qui ante pedes quæ sunt sita nescis,
Dissita tam longe profiteris sidera nosse.

Quid rerum caussas, naturæque abdita quæris,
Ipse tui ipsius, propriæque oblite salutis?

Leo,

Leo, & Vulpes.

Confectus ſenio leo, quum jam quærere victum
Venatu ut quondam juvenis, non poſſet, id aſtu
Decrevit facere, atque artes tentare doloſas.
Morbum ergo ſimulans, in opaci faucibus antri
Procubuit, gemituſque dedit, quumque undique ad ægrũ
Quadrupedes viſendum irent, ut protinus illi
Quæque propinquarat, rictu hanc inhiante vorabat.
Hac demum multis animantibus arte peremtis,
Viſendi cauſſa, & vulpes acceſſit ad antrum;
Atque a veſtibulo ægrotum clamore ſalutans,
Quo modo haberet, eum caute officioſa rogavit.
Reſpondente illo, ſe vero peſſime eamque
Percunctante, aulæ cur non penetrale ſubiret;
Suſcepit vulpes, quia me veſtigia terrent
Omnia te adverſum ſpectantia, nulla retrorſum.

Magna mala ex levibus vitat mens provida ſignis.

Armentarius.

Per confragoſos forte ſaltus devium
Quærens juvencum errabat armentarius.
Quem quum irrepertum ab aliquo abactum crederet,
Hædum tibi mactare vovit, Juppiter,
Reperire furem ſi ſibi concederes.
Ingreſſus inde proximam ſilvam, videt
Juvencum ibi ab leone lacerari ſuum.
Tum vero egenus conſili, ac tremens metu,
Supplex ſupinas ſuſtulit cœlo manus;
Tibique, inquit, hædum voveram, alme Juppiter,
Si repperiſſem furem: opimum nunc bovem
Polliceor, ejus ſi manus evaſero.

Humana mens, ignara ſortis abditæ,
Nocitura ſæpe pro ſalubribus petit.

Lupus, & Mulier.

Arva quum jejunus olim pervagaretur lupus,
Ad tugurium venit, unde vagiente puerculum,
Huicque matrem comminantem ſane acerbe exaudiit,
Flere ni deſineret, illum tradituram ſe lupo.
Serio iſtæc elocutam mulierem ratus lupus,
Jam ſibi exſpectabat obici contumacem puerculum.
Multam in horam ſic moratus, rurſus audit mulierem
Voce blanda, & ad ſoporem provocandum tinnula
Dicere infanti: Bono animo es, nate mi dulciſſime:
Nam lupum, ſi raptor ille huc venerit, mactabimus.
Hic lupus tum denique omni deſtitutus ſpe ſua
Triſtis in ſilvas recedens: pro ſupreme Juppiter,
Alia dicunt, alia faciunt hice mortales, ait.

Veſpertilio, & Muſtella.

Lapſam ex aëre avem, cui ſero ab veſpere nomen,
Quum muſtella rapax laniare infenſa pararet,
Hæc vitæ uſuram ſupplex, veniamque petebat.
Olli muſtella ſe parcere poſſe negante,
Quod cunctis natura inimica volucribus eſſet,
Illa implumem alvum, lactantiaque ubera pandens,
Atque ita non volucrem, ſed murem ſe eſſe profeſſa,
Dimiſſa eſt ſoſpes, & aperto reddita cœlo.
Hæc eadem in rapidos paullo poſt incidit ungues
Alterius muſtellæ: & ab hac quoque mittier orans
Audiit æternum cum muribus eſſe duellum
Muſtellis, proin ſpem veniæ deponeret omnem.
Illa ſed oſtentans tenues, pennæ alitis inſtar,
Membranas tergo hærentes, ſeſe eſſe volucrem,
Non murem aſſeruit: dimiſſaque rurſus in auras,
Sic commutato bis nomine nacta ſalutem eſt.

Non unam ſemper rationem inſiſtat agendi,
Qui vitare cupis varii diſcrimina caſus.

Aper,

Aper, & Vulpes.

Dentes retusos arbore exacuens aper
Satagebat: atque hunc forte prætericns via
Vulpes rogavit, cur sine ulla prœlii
Necessitate acuere dentes tenderet.
Non abs re ego, inquit ille, sic facio, o bona:
Nam quum ingruit periclum, & adversarius
Ad sanguinis, vitæque discrimen vocat,
Haud sane acuere tum vacat dentes mihi.
Itaque otii, & securitatis tempore
Arma apparo, stringenda quum usus venerit.

Paratus animo contra iniqua casuum,
Aut vincet illa, aut fortius certe feret.

Gallina, & Hirundo.

Gallina quum serpentis ova nacta esset,
Ea diligenter fovit, atque ab iis fætus
Exclusit, id prætervolans ea forte
Hirundo conspicata: cur, ait, demens
Hos alere tendis, qui ubi adoleverint, abs te,
Tuoque capite injuriam auspicabuntur?

Hominem improbum promoris, ipse te evertet.

Canes duo, & Coquus.

Quidam hospitem accepturus, huic convivium
Lautum profusis apparabat ferculis.
Canis quoque ejus, quum suum æqualem canem
Vocasset, in culinam herilem subsequi
Se jussit, is tam splendidas spectans dapes:
Papæ, quot, inquit, hic voluptates novæ!
Quantum repente gaudii oblatum est mihi!
Quam multa video, quamque opima fercula!
Quorum omnium jam implebor; & pulchre satur

Famem univerſo hoc triduo non ſentiam.
Hæc quum ille ſecum agitaret, & caudam ſimul
Motaret alacrem ludibundus, utpote
Favore fidens qui vocatoris ſui,
Jam delicatas ſpe voraviſſet dapes;
Coquus hunc repente pedibus arreptum, gravi
Emiſit altas per feneſtras impetu
Qui afflictus, atque perditus, flens ejulans
Quum abiret inde, huic alius occurrens canis,
Ut opipare cenatus eſſet, quæſiit:
Sane, inquit ille, tam madens, atque ebrius
Revertor, ac diſtentus, ut ne ipſam quidem,
Qua egreſſus inde ſum, viam animadverterim.

Qui pollicetur cumque de alieno tibi
Benefacere, huic tu, ſi ſapis, ne fidito.

Simius, & Vulpes.

Quadrupedum in cœtu quum ſaltaviſſet honeſte
Simius, hunc illæ regem dominumque crearunt.
Tacta ſed invidia, & ſenſu livoris iniqui,
Vulpes vafra, novum inſtituit pervertere regem.
Atque obſervatis ad opacum caſſibus antrum,
Huc illum adduxit, tamquam oſtenſura repertum
Ab ſe theſaurum, qui lege, & moribus ipſi
Deberetur uti regi, rerumque potenti.
Credulus ille dolis inductus, & arte Pelaſgâ,
Inconſultius approperans, in vincula ſe ſe
Induit infelix, & opertis caſſibus hæſit,
Sero animadverſas fraudes, & perfida vulpis
Conſilia incuſans, cui vulpes: o bone, dixit,
Tune iſto male ſano animo, tu ſenſibus iſtis
Quadrupedum rex eſſe audes, ſceptriſque potiri?

Oſtendit commiſſus honos, quam quiſque probandus.

Vulpes, Aſinus, & Leo.

Vulpes, & aſinus, ſocietate contracta,

Si-

Simul in ferarum lustra icere venatum.
Iis quum leo occurrisset, ilicet vulpes,
Tanto in metu, periculoque deprensa,
Suas ad artes malitiamque confugit.
Seorsum ab asino nam leone convento,
Atque impetrata impunitate pro se se,
Ei tradere astu comparem suum pacta est;
Paulloque post, absconditos ibi forte
Improvidum asinum vafra duxit in casses.
Leo, qui videret prædam eam sibi in tuto,
Prius apprehensam ventre condidit vulpem;
Dein vero ad asinum versus, hunc quoque absumsit.

Invisus adeo est proditor, graves ut det
Iis sæpe pœnas, unde præmium sperat.

Formica.

Formica quæ nunc est, homo fuit quondam,
Agro colendo continenter incumbens;
Nec secius, silente nocte, furtivas
Fruges propinquis sæpe devehens arvis;
Avidoque semper omnia horreo condens.
Abominatus Juppiter, sub humana
Specie ac figura tam nefarium monstrum,
In hujus illum membra vertit insecti,
Formica quæ nunc dicitur. Sed ut formam
Mutavit oris, non refinxit & mores:
Etenim rapinis nunc quoque arva divexat;
Et insolentes ex agris agit prædas,
Cupida, & tenax, semperque parca quæsiti.

Eadem manet natura, sorte mutata.

Asinus, & Equus.

Asinus beatum existimaverat quondam
Equum, quod affluenter hordeo pastus,
Habitusque semper eleganter, & laute,
Cutis nitore, obesitate membrorum,

Curam in se herilem, gratiamque præferret:
Quum ipse interim ne vilibus quidem posset
Paleis famem, & jejuna viscera implere,
Præsertim iniqua sarcina fatigatus.
Sedenim, coorto forte bellico motu,
Quum armis opertum hero insidente vidisset
Equum apparari ad pugnam, & acriter sæpe
Calcaribus vexatum in hostium turmas
Agi; unde vulneratus, & gravi casu
Collapsus, animam vix trahebat afflictam;
Sententiam mutavit; & suam sortem
Præ ejus misera rursus haud malam duxit.

Periculosum divitum statum spectans,
Pauperiem, & artam disce amare fortunam.

Monedula.

Pastor prehensæ ab se pedem monedulæ
Filo alligavit: atque eam gnato suo
Puerile, quicum luderet, munus dedit.
Quæ vitam eam pertæsa, quum primum fugæ
Occasio est oblata, cum vinclo avolans
Se in arborem, suumque nidum contulit.
Circumvoluto vero ramis vinculo,
Sese expedire ad evolandum non valens,
Quum instare mortem jam videret: hei mihi,
Lacrimans ait, gemensque, quæ sat commodam
Heri mei gravata consuetudinem,
Me me ipsa libertate, vitaque exui.

Incommodorum sæpe leviorum fuga
In calamitates maximas incurritur.

Herus, & Canes.

Hiberna nimbo continente tempestas
Quendam suo deprendit in suburbano.
Is primum oves, dein comedit & capras:

Po-

Poſtremo tempeſtate perſeverante
Operarios quoque inſtitit boves veſci.
Quod ubi canes videre, territi ſane,
Interque ſe ſe clam timore muſſantes:
Quantum poteſt fugiamus, inquiunt: nam qui
Ne operariis pepercerit quidem bobus,
Nobiſne eum putamus eſſe parſurum?

Caris iniquus, eſſe cui poteſt æquus?

Agnus, & Lupus.

Stans in ſupremo culmine agnus ædium
In tranſeuntem probra jactabat lupum,
Quæcumque in improbam, & voracem beſtiam,
Sævam atque ſanguinariam dici queunt.
Olli quieta mente ſubridens lupus:
Non tu mihi maledicis, inquit, o bone,
Sed iſte, quo confidis, excelſus locus.

Adverſus homines præpotentes, & graves,
Tenuibus animos tempus addit, & locus.

Aſinus, & Vulpes.

Leonis olim pelle aſellus indutus
Reliquas quadrupedes territans vagabatur.
Vulpi quoque obviæ inſolenter inſultans,
Terrere, & hanc tentavit: illa, quæ ignavum
Rudentis ejus forte murmur audiſſet:
Tua, inquit, iſta horrenda torvitas oris
Gravi profecto me pavore compleſſet,
Niſi, qui leo eſſes, te rudente cognoſſem.

Indoctus idem, atque arrogans, ſuo ſemet
Sermone, & ignorantiam ſuam prodit.

Aſinus, Corvus, & Lupus.

Exulceratus dorſum aſellus errabat
Per prata, cujus ulcera advolans corvus

Tundente rescindebat improbus rostro.
Rudebat ille, fœda labra distorquens,
Crebrosque calces præ dolore jactabat.
Morsum ulcerum repetente sæpius corvo,
Spectaculum sane elegans agasoni
Visum, ut profusos solveretur in risus.
Quod intuens e proxima lupus silva:
Me miserum, ait, quem si vel eminus tantum
Vident, acerbe persequuntur: huic vero
Noxam quoque admittenti amanter arrident.

Mercurius.

Mercurium ab alto misit olim Juppiter,
Artificibus medicamen ut mendacii
Misceret, ille diligenter id terens
Ad constitutum mente mensuræ modum,
Circuntulit, partemque cuique miscuit.
Solus supererat sutor: & medicaminis
Multum etiam erat: quod universum illi Deus
Ipso ebibendum præbuit mortario.
Hinc factum, ut omnis mentiatur artifex,
Sed sutor illo in genere præstet omnibus.

Bubulcus, & Hercules.

Via in lutuosa prægrave hæserat plaustrum,
Mersis ad usque axem rotis.
Nihil hic bubulcus providere, nec sese
Opi ferendæ accingere:
Tantum sedens, suamque conquerens sortem,
Magnum invocabat Herculem.
Cui nube fultus candida Deus, præsto
Fuit, & monere hæc institit:
Age, inquit, & tu enitere ipse per tete,
Atque id quod in te est, expedi;
Stimulo boves, humerisque promove plaustrum.
Tum demum agentem gnaviter

Vo-

Vocatus adjuvabo, viquc cœlesti
Humana vota proſequar.

Vigilando, agendo, providendo quod poſſis,
Paratur e cœlo favor.

Momus.

Juppiter, & Neptunus, & artibus inclita Pallas,
Certavere olim, quis eorum pulchrius orbi
Quid daret, ergo hominem ſpecioſum Rector olympi,
Diva domum, ſalſæ taurum Rex edidit undæ.
Tum Momus judex accitus, & omnia juſſus
Contemplarier, atque æqua perpendere lance.
Is primum in tauro reprehendere cornua cœpit,
Quod fronti hærerent: etenim conſultius armos,
Acrior unde ictus foret, armatura fuiſſe.
Tum ſenſum, mentemque hominis ſub pectore clauſam
Carpere: quanto illam melius potuiſſe vel extra
Conſtitui, vel per patulam apparere feneſtram;
Ut meditata ejus penitus noviſſe liceret.
Poſtremo damnare domum, vitiique notare,
Mobilibus quod nixa rotis non eſſet, ut una
Cum domino externas proficiſci poſſet in oras,
Vicinumque malum effugio vitare parato.

Damnari, carpique etiam rectiſſima poſſunt.

Arbores, & Rhamnus.

Regnum olim olivæ detulerunt arbores,
Et valida late ſceptra gentis frondeæ.
Quibus illa, quæ contenta ſorte eſſet ſua:
O amicæ, ait, meam ne pinguitudinem,
Diis, atque hominibus expetitam, deſeram,
Ut imperem, regnique curis macerer?
Ite, oro, & alii ſarcinam hanc imponite.
Rejectæ eunt ad ficum, uti regnet, rogant;
Quæ & ipſa, per ſe læta nativis bonis,
Egone ut meam dulcedinem, & ſuaviſſimos

Fructus, sapori mellis Hyblæi pares,
Angore mutem, quo hic honos exuberat?
Re rursus infecta hæsitabundæ arbores
Vitem quoque statuere tentandam sibi.
Ea tum nigranti concolores purpuræ
Uvas onustos explicans per palmites:
Videtis, inquit, has opes, hanc copiam,
Hoc delicatum tot racemorum decus,
Deo unde, hominibusque humor acceptus fluit?
Hæc dona opima, hæc tanta naturæ bona
Ut deseram, vos estis auctores mihi.
Tum vero me omnes omnium stultissimam
Existimarint arborum, si id fecero,
Quo me ipsa perdam, ceteris ut consulam.
Hæc illa: at hæ, jam supplicandi tædio
Fessæ, ac labore, rhamno honorem deferunt.
Elatus ille regio fastu, ac tumens:
Si rex, ait, sum vester, ad me accedite
Omnes, & umbra sub mea considite.
Ni id feceritis, rapidus ignis, nemini
Parsurus, ex me erumpat, atque ipsas quoque
Excelsiores hauriat Libani cedros.

Aliis præesse optabile iis tantummodo est,
Libidini servire qui volunt suæ,

Spes.

Bona universa Juppiter coëgerat
In dolium; idque sane opertum sedulo
Mortali amico deinde commendaverat.
Is gestiens, quid intus esset, visere,
Quum operculum amovisset, in cœlum illico
Cuncta evolarunt; spes modo hæsit in labro:

Hinc in bonorum sola defectu omnium
Mortalibus Spes alma numquam deficit.

Asinus simulacrum gestans.

Simulacrum asellus bajulans argenteum,
Quum id transeuntes flexo adorarent genu,
Sui hoc honoris gratia est fieri ratus.
Jamque insolenti elatus arrogantia,
Nolebat asinus esse, donec aspero
Probe dolatus fuste clunes audiit,
O stulte, non es tu Deus, sed fers Deum.

Se norit hominem, qui magistratum gerit.

Cassita.

Ales est cassita, summum pileata verticem,
In segetibus nidulari sueta, & ova excudere
Ferme in anni tempus illud, filios ut puberes,
Appetente messe, primis instruat volatibus.
Forte tempestiviora legit hæc quondam sata:
Itaque flavescente segete pulli adhuc implumibus
Egredi materna tecta non valebant artubus.
Igitur ad cibum parandum fæta proficiscens foras
Monuit hos, si quid viderent, si quid audirent novi,
Sedulo ut renunciare cuncta meminissent sibi.
Ecce dominus segetis illuc venit; & gnatum vocans,
Cernis hæc maturuisse, & postulare jam manus:
Proinde cras ubi diurnum fulserit crepusculum,
Ito, ait, rogato amicos mutuam, in messem hanc, opem.
Anxii pulli reversæ matri id ipsum nunciant:
Illa eos esse otiosos, atque securos jubet:
Non enim messem futuram, dum ille amicis fideret.
Postero de profecta rursus ad pastum alite,
Dominus opperitur illos, quos vocari jusserat:
Sol inardescit: nihil fit: præsto amicus nullus est.
Tum ille gnato: isti amici nostri, ait sunt desides,
Quin ad affines rogandos, & propinquos pergimus,
Tempori cras ad metendum præsto uti nobis sient?
Rursus hoc pulli parenti territi renunciant.

Ma-

Mater illos tum quoque esse sine metu, & cura imperat:
Vos modo, inquit, adnotate diligenter omnia,
Quæque dicentur per illum, quæque fient denuo.
Alia lux exoritur, ales pabulatum provolat.
Ille vir bonus propinquos frustra, & affines manet.
Quos jubens tandem valere, filio edixit suo,
Ut duas deferret illuc luce falces postera:
Tu tibi unam sumito, inquit. alteram ipse sumsero:
Rem geremus marte nostro, & copiis domesticis.
Hoc ubi rescivit ales, ilicet pullis ait:
Nunc profecto providendum est, vos ut alio transferam,
Nam seges cras dem tetur ista certo certius:
Quando is ipse, cuja res est, illam agendam suscipit.

Hoc erit tibi argumentum semper in promtu situm,
Nequid exspectes amicos, quod tute agere possies.

Vulpes, & Simius.

Animalium potitus imperio leo,
Ea exsulare e finibus regni sui,
Honore caudæ quæ carerent, jusserat.
Pavefacta vulpes, ire in exsilium parans,
Jam colligebat vasa cui quum simius,
Ad regis imperata jam vertens solum,
Non pertinere edictum ad illam, diceret,
Quæ tantum haberet caudæ, ut & superforet:
Verum, inquit illa dicis; & recte admones;
Sed qui scio, inter illa, quæ cauda carent,
An me leo numerare vel primam velit?

Cui vita sub tyranno agenda contigit,
Insons licet sit, plectitur sæpe ut nocens.

Rusticus, & Juppiter.

Fundum colendum rusticus quondam ab Jove
Conduxit æqua parte cum illo fructuum,
Hac lege, ut omnem ad ipsius nutum Deus,
Ad rustici, inquam, jussa summus Juppiter

Plueret, serena faceret, auras mitteret.
Ita deinde fundus sedulo est cœptus coli:
Sata provenire, & aucta culmis surgere:
Præstante pactas temporum vices Deo:
Et ad imperata, nunc citum Favoniis,
Nunc uvidum exhibente, nunc sudum aëra.
Fit ecce messis: qua spem hiantis rustici
Vanis aristis sterilis elusit seges.
Subrisit, & jacturam eam haud ægre tulit,
Qui templa cœli torquet, & terræ sola.
Sed specimen ut prudentiæ suæ daret:
Vides, bone, ait, agricola, quid profecerint
Abs te institutus annus, & cultum solum:
Parente semper me tibi, & semper tua
Obnoxiis ad vota tempestatibus.
Nunc si placet, videamus annum hunc proximum:
Tu arato, tu sarrito, tu occato ut soles:
Me sine superne regere, & arbitrio meo
Ventos ciere, nubilum, & sudum dare:
Mea faxo videas ratio quam præstet tuæ.
Hæc Juppiter, cui quum annuisset rusticus,
Anno insequenti versus ordo temporum
Læto replevit vacua proventu horrea.
Ex illo omisit homo Deo præscribere,
Bonique cuncta, quæ ille præstat, consulit.

Leo, Lupus, & Vulpes.

Ægrum leonem quadrupedes invisere,
Cessante sola vulpe, jam omnes iverant.
Ibi regis aures credulas nactus lupus
Calumniari, & carpere absentem institit:
Quid eam impedire, quid morari, quo minus
Veniret ægrum regem & ipsa visere,
Nisi contumacem spiritum, & superbiam,
Qua gloriam de rege contempto petat?
Interea ad ipsa jam perorantis lupi
Extrema ferme verba vulpes adfuit,

Ita ut probe omnem vafra rem conjecerit.
Infremuit ira incensus in vulpem leo:
Quæ se tamen gravi ex pavore colligens,
Defensionis impetrato tempore,
Caussam suam est exorsa in hanc sententiam:
Generose rex, quis, inquit, est ex omnibus,
Quicumque in hunc coïere regalem specum,
Qui pro salute tam laborarit tua,
Quantum ego? per omnes misera quæ terras ii,
Omnes medentes, sana consului omnia,
Uti remedium quærerem regi meo:
Tandemque reperi. Jussa proferre illico,
Ut, inquit, involvare detracta recens
Et adhuc calente pelle viventis lupi.
Sane facile medicamen est, inquit leo:
Lupus ecce adest: viventem eum deglubite.
Quo facto, amaris illa cum facetiis
Conversa semivivum ad adversarium,
Cur nudum, ait, te in publico video, lupe?
An forte fieri vis palæstrita e coquo?
Sic eat, herili quisquis olim gratia
Abuti ad innocentium pestem volet.

Pater, Filius, & Asinus.

Pater senex, & gnatus adolescentulus
Venalem asellum ad proximæ urbis nundinas
Nulla gravatum præ se agebant sarcina.
Hos intuens qui forte proxime viam
Arabat, irridere cœpit rusticus:
Quod, ut tenellos pædagogi heros solent,
Ita ipsi asellum feriatum ducerent,
Alter senex plane, alter adolescentulus,
Ætate uterque, cui vehiculo opus foret.
Hæc perpulere obnoxium dictis patrem
Uti juberet filium conscendere.
Ecce alius illis obvius reprehendere
Senem institit, quod obsequens nimis pater

Juvenem, atque validum filium fineret vehi,
Iter ipfe pedibus faceret infirmus fenex.
Hæc vera vifa, hic filio juffo pater
Defcendere. ipfe infedit ufque ad tranfitum
Vici ad viam jacentis; ejus incolæ
Notare pro fe quifque cœperunt fenem,
Quod adhuc virenti ætate vir alacer, vigens
Veheretur ipfe; at filium tenellulum,
Per tantum itineris, cogeret pedibus fequi.
Hanc ille tantam fuftinere non valens
Invidiam, afelli clunibus gnatum jubet
Poft fe infilire, atque onere duplicato vehi.
Ibi tum viator, forte mifericordia
Commotus afini: valde, ait, vile hoc tibi eft
Animal, pater, qui id tam finiftre perdere
Vafta duorum mole tendis corporum.
His ille tot pugnantibus fententiis
Diftractus animum, incertus hæfit confili:
Quum, non inani, non onufto tot modis
Afino, per omnes reprehendentum vices,
Sine lite poffet, aut querela progredi.
Tandem experiri & hanc quoque placuit viam:
Inter fupini ut colligatos indito
Pedes afelli palo, eum ipfi pendulum
Ferrent; ita humeris prægrave attollunt onus.
Tum vero ad illud tam infolens fpectaculum
Affufa multitudo commeantium
Rifu emoriri, infanum utrumque dicere,
Vexare falibus, fed magis multo fenem.
Tum denique ille ira impotenti percitus,
Præcipitem afellum in maximam malam crucem
Ab aggere alto in proximum flumen dedit.

Plerumque qui placere fe cunctis ftudet,
Et fe ipfe lædit, nec fatis cuiquam placet.



In Lutheranos, sectam Germanicam.

Batave Apollo, vosque Saxonum Musæ,
Quæ montibusque, saltibusque Germanis
Raucos cietis barbaro ore concentus,
In vestra me vireta, & avias rupes
Deducite, Deæ: sinite, quæso, ut adscribar
Illi beato, & undecumque felici
Germanicorum cœtui poëtarum,
Qui nullam aquam Aoniam ebibere, sed multo
Venas hiantes quum mero repleverunt,
Tunc ructuoso pectore abditos sensus
Vomunt, poëticamque crapulam exhalant.
Lauros, & hederas, buxeumque pallorem
Illis relinquunt, quos labori, & ærumnæ
Studium parandæ æternitatis addixit.
Ipsi æstuosam pampinis coronati
Frontem, atque multo tempora uda sudore
Inter cachinnos, quos Lyæus excivit,
Crebrosque cyathos pingue carmen eructant.
Læta omnia illic: annuo recurrentum
Jejuniorum ubique more sublato,
Et tristium observatione mensarum,
Potatur, estur quidquid attulit lauti
Conviviorum delicata libertas.
Id omne porro evomitur: additur rursus
Quod rursus evomatur: ut novis porro
Ingurgitationibus locus detur.
Cessere totis ceremoniæ templis,
Ritusque vani, & sanctimoniæ tristes;
Claustrisque fractis ædium sacratarum,
Ubi sterile ævum castitate traducens
Peccata populi ignava turba mandebat,
Hinc virgines sacræ, inde cœlibem vitam
Marem professi, rupto inutili voto,
Grata invicem connubia, & toros jungunt,
Immanis ille terror inferûm cessit,

Et

Et ignium, voraciumque flammarum,
Quæ morte functos expiare dicuntur.
Jam scrupulosam pænitentiæ legem,
Sua quemque vitia quæ jubebat humanas
Vulgare in aures, publice abrogaverunt.
Bene ac beate vitam agunt: nihil peccant,
Fato feruntur si quid accidit noxæ,
Fato imputatur: lege vivitur nulla;
Per otium, per gaudia, & voluptates
Cœlum paratur, anxia illa tolluntur
Opera, atque merita, quosque vulgus insanum
Subit labores, ut suprema post fata
Superum beato perfruatur obtutu,
Tamquam illa summa sempiternaque arcana,
Et præmium felicitatis æternæ
Quisquam assequi labore possit humano.

Ad Homobonum Offredum, Medicum Cremonensem.

Quum tua torqueret gravis intestina lapillus,
  Egestæ salsus qua fluit humor aquæ,
Obstructamque viam, & clausos urina meatus
  Ureret, & vetitum crebra cieret iter:
Ipse autem tanto victus fremeres mugitu
  Quum tibi vesanus solveret ora dolor,
Quantum nec Siculi gemuerunt sæva juvenci
  Æra, repertorem condere jussa suum:
Jamque tibi extremum properarent rumpere filum
  Fata, & vitalem præcipitare colum:
Redditus es nobis mediis e faucibus Orci,
  Offrede, artificis dexteritate manus,
Quæ tua Pæonio penetrans in viscera ferro,
  Immite extraxit, letiferumque malum;
Quod nulla remedi vi, nulla quiverat arte
  Leniri, nullo sistier auxilio.
Nam quæ non tentata tibi præcepta medentum?
  Ars tua inexpertæ quidve reliquit opis?

Nil

Nil herbæ, nil ſaxa tamen juvere, ſacerve
Sulphureæ epotus profuit amnis aquæ.
Combuſtumve vitrum, aut multo lepus aridus igni.
Aut verſus tenuem ſcorpius in cinerem.
Calculus aut utero quem ſpongia continet udo:
Quique Paleſtino mittitur orbe lapis.
Hircinuſve cruor, ſterilive infame veneno
Aſplenum, & vili reptile gramen humo,
Aut alvi duræ aſparagus lenitor, & inter
Saxea radices litora batis agens,
Aut hydris inviſa adiantus, quodque trahendis
Struthion urinis utile virus habet:
Quæque alia huic peſti medicamina publicus uſus
Admovet, inventum quæque fuere tuum.
Dum medicinam omnem evolvis, dum cura tui te
Naturæ medicas vertere cogit opes:
Acribus illa modo, modo lenibus uſa medelis,
Nunc mediis, ſiqua vinceret arte malum,
Indomiti ſed jam vis morbi, effrenaque peſtis
Viciſſet, jam tu flebilis umbra fores,
Ni ſuperis, certe ſuperis monſtrantibus ipſis,
Docta ſalutiferam dextra tuliſſet opem,
Quæ tua Pæonio penetrans in viſcera ferro
Immite extraxit, letiferumque malum.

In Maledicum.

Impura lingua, quæ venenis illita,
Imbuta felle noxio,
Graves ſuſurros ſpargis, & ſermonibus
Amara miſces toxica:
Conviciorum quis tuorum umquam modus,
Quis terminus probris erit?
Quæ finis impudentibus calumniis?
Quibus impium virus vomis
In omnium aures: inclitamque principum,
Sceleſta, famam vellicas.
Jam nulla legum te refrenant vincula:
Nulli coërcent obices

Ti-

Timoris, aut pudoris, aut æqui, & boni;
Quæ cuncta pro nihilo putas:
Homines, Deosque spernis, & fas, ac nefas.
Eodem habes in ordine.
Quid imprecer virtutibus dignum tuis,
O vipera omni sævior?
Nisi ut cruenta secta carnificis manu,
Tetrumque fundens sanguinem,
Mistum veneno, & ultima edens sibila,
Humi supremum palpites.

Subscriptum simulacro Pyrrhi Epirotarum Regis.

Epirus mihi parva quidem, sed Martia tellus
Et patria, & regnum, & generosæ bellica menti
Materies fuit. Æacides mihi sanguinis auctor,
Et mea cognatum virtus expressit Achillem.
Ipse ego præscripto docui munimine valli
Metari castra, & tutos ad bella receptus.
Romula me pubes certamine fusa cruento
Italicæ experta est sub mœnibus Heraclææ.
Quo terrore truces animos, atque aspera corda
Fregissem Æneadum, & statuissem fœdera victis,
Ni pacem infamem, Cæci sententia discors
Dissuasisset, & ad lituos, atque arma vocasset.
Sic ego re infecta Italo de littore cessi,
Quo me sors gravis, atque immitia fata trahebant,
Ad clarum nece nostra Argos, ubi sæva cientem
Prœlia ab excelsis ultrix me tegula tectis
(Indignum!) dextra dejecta afflixit anili.

Hannibal in tabella.

Ferus, ille, dominæ terror Urbis, & pavor,
Clarissimorum pestis, & strages Ducum,
Procella Italici, vastitasque nominis,
Delineatus hac tabella est Hannibal;

 Quem,

Quem, & ipſa quondam (o teſtimonium grave!)
Statuarum honore Romula Urbs impertiit.
Quantum ille meritus eſt apud Pœnos ſuos,
Qui in hoſtium urbe, ipſo, inquam, in hoſtili foro
Virtutis ergo, marmore effictus ſtetit.

De Scipionis majoris imagine.

Pœnorum clades, domitor Carthaginis altæ,
Asdrubalis magni victor, & Hannibalis:
Depictum cujus veteri de marmore vultum
In claris Jovius fixit imaginibus:
Quam te, magnanime hèroum, tuaque iſta verenda
Ora, ſacramque libens conſpicor effigiem!
Eminet in parva majeſtas quanta tabella!
Quantum conſpicui floret honos capitis!
Apparet læto gravitas conjuncta decori,
Et datur excelſi cernere ſenſum animi.
Conſpiciare diu, & vim ſpernere temporis aude,
Divini ſpecies imperioſa viri.

Epitaphium Caſtruccii Caſtracanis.

Qui jam obſoletam bellicæ artis gloriam
Caſtruccius Lucenſium Dux, Italis
Reſtituit, & pro factione Cæſarum
Etruriam quatefecit armorum ſono:
Nunc hic quieſcit parvus e tanto Duce
Pulvis, cinisque, & nudula umbra mortui.

De Joanne Vitellio Cornetano, Patriarcha, & Cardinali.

Quis tua facta potis, laudeſque æquare canendo,
Purpuream ſuccincte togam, generoſe Vitelli?
Majeſtas tibi Romani Paſtoris, honorque
Debet, & antiquum tibi diſciplina vigorem
Acceptum ſervata refert, tu fontibus æqua

Sup-

Supplicia, & meritas tribuis, juſtiſſime, pœnas.
Diſperſos tu ſilvarum per luſtra latrones,
Non ſecus ac venator apros, indagine cingis.
Tu diros Latio dominos, tu triſte repellis
Servitium, ſævoſque ſua quemque urbe tyrannos
Exigis, & juſta populos ditione coërces,
Infandæ plebis tu ſeditione fugatum
Pontificem ſacrum, juſtis ulciſceris armis;
Stringis & horrendas in noxia colla ſecures.
Salve, Purpurei decus, & tutela Senatus,
Priſcarum virtutum imitator, & æmule laudum;
Imperio, quod ſervaras, digniſſime, ni te
Præpropera ambitio tentaſſet inanibus auris.
Jactaſſetque avidam tranſverſo turbine mentem.

In imaginem Tamerlanis, Scytharum Imperatoris.

Ille novus Xerxes, Orientis victor, & ingens,
  Quacumque permearet, horror gentium,
Complevit totos Scythico qui milite campos,
  Hoc ſe ferebat ore trux Tamerlanes;
Cujus in adventum tutæ altis mœnibus urbes,
  Ipſumque terræ contremiſcebat ſolum;
Ipſi adeo montes, ipſæ per devia valles
  Vim barbarorum non ferebant agminum.
Quare ab Caucaſeis Aſiam convallibus omnem
  Ad uſque Nili flumina armis ſubdidit;
Euphratem, & Tigrim, & rapidum tranavit Orontem,
  Vi, vaſtitate, cæde cuncta proterens.
Utque olim, fœda quum tempeſtate coorta
  Erumpit atra nube fulmen igneum:
Obvia quæque cadens perrumpit, & alta ſonanti
  Templa, atque ſolidas ſtrage turres disjicit.
Subſidit vaſto tellus labefacta fragori,
  Humiliſque mentes ſternit humanas pavor:
Haud ſecus ille viam ferro molitus, & igni,
  Evertit arces, oppida æquavit ſolo.

Regem Asiæ horribili captum impete Bajazetem
  Caveaque clausum ferrea circumtulit.
Hæc agitantem illum, & spirantem immania jussa,
  Quæ cunctus undique orbis expavesceret,
Exiguo cæcæ domitum molimine febris,
  Fatalis uno solvit hora triduo.
Deque tot insanis opibus, de tot modo regnis
  Reliqua una parvo gleba texit pulvere.

De Georgio Castrioto Scanderbecho, Epiri Principe.

Turcarum clades, Othomanni nominis horror,
Epiri tutela, illo jacuere sepulchro,
Quo quondam invicti cubuerunt ossa Georgi.
Nunc, & membra viri, & dissectum in frusta sepulchrum
Interiit: sparsi manes, concisa vagantur
Ossa, nec in gelida nunc saltem morte quiescunt.
Namque ut is assertum toties cum laude paternum
Imperium, exacta moriens ætate reliquit,
Ilicet immanes tenuerunt omnia Turcæ.
Tum clari Herois venerati nobile bustum,
Ossaque, marmoraque invictum condentia corpus
Abstulerunt sibi quisque in partes secta minutas,
Tamquam iis bellica vis, & Martius ardor inesset,
Et genium præstare bonum, sortemque valerent.
Sic quæ aliis tumulum virtus parat, abstulit illi,
Atque eadem diro venerandum præbuit hosti.

Epitaphium Francisci Sfortiæ II. Mediolanensium Principis.

Franciscus hic situs secundus Sfortia est,
Insubrium Dux, cujus imperium, atque opes,
Nunc asperis, nunc prosperis eventibus
Fortuna sorsque multiplex exercuit.
Atque ille nunc civilibus, nunc exteris
Petitus armis, Gallicisque, & Bæticis,

Me-

Mediusque Reges inter adversarios,
Suprema ad usque fata regnum patrium
Servavit; & prudentia fretus sua
Armis vim apertam fregit, atque astu dolos.
Nunc hic quiescit parvus e tanto Duce
Pulvis cinisque, & nudula umbra mortui.

In funere Alfonsi Davali Vastii.

Destituti flete cives magnum Vasti Principem,
Deplorate raptum vobis præsidem justissimum,
Luctuosa triste funus prosequentes nænia.
Ille vestræ semper auxit civitatis commoda;
Ille jus & æquitatem conservavit publicam;
Inque sævis sæpe bellis sospitem urbem præstitit.
Quare mœsti flete cives magnum Vasti Principem,
Deplorate raptum vobis præsidem justissimum,
Luctuosa triste funus prosequentes nænia.



MATTHÆI FAETANI

NEAPOLITANI.

De Gigantibus a Julio restitutis.

QUos olim telis disiecit Juppiter, hos nunc
  Julius invito tollit ad astra Jove.


De Amore ad Bajas dormiente.

Dum Baiis dormiret Amor prope littus in umbrâ
  Murmure detentus lene fluentis aquæ,
Conspexere illum Nymphæ multo igne coruscum,
  Et raptas lymphis supposuere faces.
Quis gelidum credat subitò exarsisse liquorem,
  Atque inde æternos emicuisse focos?
Nec mirum, his flammis, toties quibus arserat æther,
  Vos quoque perpetuum si caluistis aquæ.

Imago D. Blasii (ut puto) de rudi pictore queritur, a quo malè fuerat effigiata.

Me gemini lacerant alterna cuspide dentes,
  Sed magis artificis lædit inepta manus.

*



HIERONYMI FALETI
SAVONENSIS.



Ad Juniperam Malatestam.

DUm tua sidereas æquantia lumina flammas,
  Et placidos vultus, Junipera, adspicio,
Pallada tunc videor, Cyprinque videre dolentes,
  Invidia sparsis crinibus ingemere.
Et merito: nam pulchra nimis spectacula præbes,
  Insidet & roseo mirus in ore pudor.
Quaque moves artus, artus opobalsama spirant,
  Ignivomas jaciunt lumina mota faces.
Mirantur Phœbusque pater, doctæque sorores,
  Dum lepidum profert blandula lingua melos.
Seu graderis, lætæ Charites comitantur euntem,
  Sive sedes, tellus suggerit alma rosas.
Et circumstrepitant risus, facilesque cachinni:
  Quidquid agis, tota es Gratia, tota Venus.
O decus egregium, rarâ o clarissima formâ,
  Digna polo, a summo digna Tonante rapi,
Aurea fatales ducant tibi pensa sorores,
  Nec decus eripiant sæcula longa tuum.
Sed quo me miserum retrahit tam dira cupido?
  Æterni ut cupiam quæ mihi caussa mali?

Ad Galeacium Tassonum.

Vera tribunicii, Tassoni, juris imago,
  Floruit antiqui qualis in urbe Remi;

Commendant ſua Pierides tibi ſacra puellæ,
Sacra tuo quæ ſunt digna favore coli.
Illa diu neglecta, tuas volvuntur ad aras,
Utque velis meritam ferre precantur opem.
Certa manet merces: doctis celebrabere chartis.
Doctus, & æternum fama loquetur anus.
Hactenus egregiis vixiſti clarus in armis,
Nunc placidæ libeat munera obire togæ.

Ad Galeatium Gonzagam.

Eſt qui prælongo deducat origine nomen,
Et referat veteris nobilitatis avos.
Eſt qui divitiis, generoſaque ſtemmata jungat,
Et ſe felicem laude ab utraque ferat.
At cui ſit virtus, virtuti copulet uni
Et ſua cum ſummis ſtemmata divitiis:
Et numeros condat, vel docto pectore, & ore
Multiplici ſurgat magnus in eloquio;
Sit patriæ gratum exemplar ſpeculumque, quod Ochi
Antiqui referat lumina imaginibus;
Nullus erit, niſi tu, Galeax celeberrime, cui tot
Virtutes & tot dona dedere Dei.

Ad Jacobum Leonardum.

Cum legum ſolers numeroſa volumina verſes,
Siſque unus miſeris anchora tuta reis;
Et ferias montes numeris, atque arte Senatum,
Eloquioque trahas, conſiliiſque Deos;
Ingenio ducas fortes ad prœlia Martes,
Sintque tuâ toties parta trophæa manu:
Nil mirum ſi Mars, ſi Phœbus, & aliger Arcas
Dedicat in templis tot benefacta ſuis,
Et triplici fultum ſtudio, terno ore Faletus
Divinum in terris, ſemideumque vocet.

Ad Alexandrum Guarinum.

Magnus Alexander fuerat, tu nomina Magni
  Digna refers, magno es magnus in officio.
Et pariter magnus doctrinâ, magnus & arte,
  Ingenio magnus, magnus & eloquio.
Magna loquor dum ſcribo tibi: jam quadrat utrumque:
  Nil niſi magna loquor; nil niſi magna facis.

In picturam Annæ, Principis Eſtenſis.

Si ſpectas Annæ fictâ ſub imagine formam,
  Eridani Nymphas dixeris, Anna refert.
Quod ſi non fictam, veram ſed videris; inter
  Æthereas præſtat dixeris Anna Deas.

In eandem.

Anna ſuos pictâ dum cernit imagine vultus,
  Neſcio quid tenui murmure viſa loqui eſt:
Fallor? an hac pictâ lateo ſub imagine, Carpi
  Vivus an hic doctâ ſpirat ab arte color?

Ad tabellam.

Quæ nuper rudis arbor eras, nunc pulchra puellæ
  Membra refers, debes hoc, reor, artifici.
Sed formoſa tibi debet magis Anna, quod illi
  Maxima de tabulis ſit data fama tuis.

In eandem.

Heſperiæ cum læta ſuas inviſeret urbes,
  Venit ad Eridani ditia regna Venus;
Et modo divitias miratur fertilis agri,
  Et modo Ateſtini mœnia clara ducis.
Hîc tum forte tuam vidit ſub imagine formam,
  Et pictum in tabulâ noſcere credit opus.
Quis mihi te ſimilem pinxit, mea dulcis imago?
  Sola meos vultus quam bene picta refers;

Vera mei effigies, ait, eſt hic vultus, & ipſum
  Pectus, & os, eadem lumina, labra, manus.
Ut vero Eridani Nympham te agnovit; obortis
  Sic fata eſt lacrimis, quid juvat eſſe Deam?

De eadem.

Egreditur Cytherea mari quis pinget Apelles?
  Quis canet hanc docto carmine Mœonides?
Inveni. Carpenſis erit, qui pinget, Apelles;
  Et qui laude feret Pyrrhus, Homerus erit,

De Violantillâ Trocta.

Intentus formæ variis ego dotibus hujus,
  Mirabar tantæ nobilitatis opus.
Et dixi, Venerem vultus, Phœbumque capillos,
  Pallada divinos compoſuiſſe ſinus.
Juno manus dedit huic, dedit huic Latonia ſuras,
  Et geminos oculos, ſidera clara, polus.
Huic Amor aureolas Cyprio cum lacte papillas,
  Pectoraque Alpinâ candidiora nive.
Formoſas igitur pudeat ne huic cedere cunctas:
  Quidquid enim in terris, ſola decoris habet.
Judicium fieret Paridis ſi rurſus in Idâ,
  Huic uni poſſet cedere jure Venus.

Ad Carolum V. Cæſarem.

Hoc prius ambiguum, dum te miramur in armis,
  Alcides eſſet parne, minorne tibi.
Nunc magis ambiguum, ſis Carole, virne, Deuſne,
  Sunt tua facta viri, ſunt tua facta Dei.

Ad eundem.

Vix bellum inceptum eſt, cùm vincis, vincere nec vis
  Tam citò, quin parcas, ſic tria Cæſar agis.
Una manus bellum præſtat, manus altera pacem:
  Nec tibi quàm bellum, longior ira manet.

Hoc tibi perpetuum nomen molitur; & an sis,
  Fortior, an verò mitior, ambiguum est.

In obitum Renati Aurasiæ Principis.

Jam mugit tellus, & fulminat, & tonat æther,
  Et micat in terris stella micante comâ.
Pugnant astra, solent certo quæ fœdere jungi;
  Nec Marti jam vult blanda coire Venus.
Fluctibus assiduis exundant flumina campos;
  Cernimus adversas orbibus esse vices.
Omnia te lugent morientem sidera, Princeps,
  Qui nobis fato raptus es ante diem.

In eundem.

Certantem armipotens hunc Mars adspexit olympo;
  Atque ait: excelso convenit iste polo.
Stellifera, vir summe, veni regione locandus;
  Stelliferá est capiti parta corona tuo.
Accipe nunc Superûm sedes, fortissime Princeps,
  Accipe virtutis præmia digna tuæ.
Purpuream excipiens animam super arce locavit
  Empyreà, lateri composuitque latus.
Ergo sedet cœlo Princeps Renatus in alto,
  Et Martes cœlum gaudet habere duos.

De libello Jo: Rogii, Principis de Pozâ filii.

Phidia magnanimi conjecit ab ungue Leonís,
  Quanta forent vastæ cetera membra feræ:
Fixaque dum vidit Samius vestigia plantæ
  Herculeæ, moles cognita tota fuit.
Sic etiam Rogii pedibus dum scripta solutis,
  Et quamvis tenui cortice cernis opus:
Pars quotacumque tamen dotes tibi monstrat, & artem,
  Monstrat & ingenii cetera dona boni.
Monstrat & Hispanis quantum jubar exit ab oris,
  Qualis & occiduo fulgeat orbe jubar.

Ne-

Nectar, & ambrosiam posthac effundet Iberus;
Jam Tartessiacis Sol orietur aquis.

De Spinula libello.

Mirari Hesperidum jam desine roscida, lector,
Poma, vel Alcinoi rura beata senis;
Vel Tagus auriferis locuples quod volvit in undis,
Vel quod purpureis Hermus abundat aquis.
Quid, Dodona, tuam jactas, quid, Media, silvam?
Massice quid vites, quidve, Falerne, tuas?
Spinula, dulce melos fert, cinnama, nectar, amomum
Chrysolitos, aurum, balsama, thura, Deos.

Ad amicum pro missa parte Perdicis.

Fracto crure volans nostrum ad penetrale sine alis,
Quod mirum est, nuper dædala venit avis:
Venit an Hesperio perdix demissa Tonante,
Et parte auxilium corporis illa tulit
Semianimem lacero revocavit corpore vitam:
Venisset si ad nos integra, divus eram.

Ad Phosphorum.

Temporibus nostris, quod lites, jurgia, rixæ,
Undique quod vigeant horrida bella, minæ:
Vis, odium, fraudes, alieni dira cupido,
Bella ducum, cædes, insidiæque graves,
Miraris? dicam si quæris, Phosphore caussam:
Tolle meum, atque tuum, sæcula prisca dabis.

In Gelrhiam.

Quod fremit in nostrum strictis mucronibus urbem
Gelrhia, & insanâ seditione ruit:
Infestatque lares, perturbat iusque, piumque
Gelrhia, nil mirum est; relligione caret.

Ad Alfonsum Troctium.

Æmonio Typhis, Phrygio Palinurus, Achilli
Automedon, Troctus dux mihi semper erit.
At tanto major Troctus mihi semper, Achilles
Automedonte suo quam duce major erat.
Quid male sanc paras componere magna pusillis?
Hic mus, ille elephas: hic vir, at ille Deus.

Epitaphium Olympiæ Columnæ.

Digna polo, quam non capiebat marmor, olympo
Emicat, & sedes unde recessit habet.

Epitaph. Ascanii Calcagnini, infantis.

Nona dies terris ostendit, & addidit astris.
Felix qui cœlo tam cito dignus eram.

Ad Sigismundum Sarmatiæ Regem.


Magnos fama refert, adire reges
Ditis Persidos haud solere quemquam
Absque munere, quamlibet pusillo:
Nec dignum minus id sibi putare,
Mentem munere pluris æstimantes.
Hinc, fortissime rex patentis oræ,
Pugnaces populi, atque bellicosi
Cui parent; Ducis Herculis secundi,
Quo Ferraria læta gloriatur,
Orator vacuâ venire dextra,
Ne forsan videar, brevem hunc libellum
Tantisper tibi, qualecumque munus
Dico, dum valeam parare majus,
Indignum neque te, tuoque sceptro.

Ad Alciatum.

Magno Perſidos, Alciate, quondam
Regi munus aquæ obtulit puſillum,
Ambabus manibus ſenex agreſtis.
Non accepta minus tamen voluntas.
Sic noſtrum tibi qualecumque carmen,
Princeps maxime in orbe litterarum,
Acceptum faciat bona hæc voluntas.

PHILIPPI FARSETTI

BURGENSIS.



Mala Citria Xeniolum.

QUæ bona Parthenope mittit mihi grata quotannis,
Sint bene parva licet munera, dono tibi:
Ut nuceum exornes puteum, vel lumina feſſa
De ſtudio recrees, & releves animum;
Vel mage, ſi placeat pretioſis claudere in arcis,
Veſtibus ut nocuas perdat odor tineas:
Utque, venenorum virus ſi forte timebis,
Hæc ſint antidotum, theriaceque tibi.

Lapilli adulterini Xeniolum.

Principum, & Regum loculi lapillos
Dent tibi veros: vitreos Patronis
Ipſe quos poſſum tribuo libenter,
Ut modo cernis.
Et tamen non ſum nimis arguendus,
Quod dedi parvum tibi munus iſtud:

Mu-

Munus eſt parvum, fateor, ſed eſt non
Vile putandum.
Hinc enim Patrum calices ſacrorum,
Annuli, veſtes, bifidæque mitræ,
Et cruces fulgent, decorantur atque his
Templa lapillis.
His caput, pectus, digitos, & aures
Nobiles omnes, tenuiſque cenſus
Feminæ exornant, taceam ut virorum
Commoda plura.
Ergo non vile eſt ſpecie, nec uſu
Munus hoc, quamvis valeat trientes
Vix duos: at tu bonus hoc bonique
Conſule, & æqui.

HONORATI FASITELLI

NEAPOLITANI.



AD DEOS.

O Inter veterem, & novam Theaten
Qui me, Dii, ſtatuiſtis immerentem,
Quid vobis voluiſtis? an poëtam
Veſtrum perdere per jocum, atque ludum?
Nam quid feci ego, quidve ſum locutus,
Cur vos tam male me, male atque acerbè
Haberetis, ineptiuſque multo,
Quam Rheæ deceat genus beatum?
Eſto: enim mala noſtra vos juvabant.
Una non ſatis, & ſuper Charybdis
Erat? quorſum opus addidiſſe Scyllam?
Sed freto bona ficus in Sicano
Duci Dulichio tulit ſalutem.

Ne-

Nobis in Latio, ſalus Latinis
Eſt a montibus expetenda ſummis:
Ut Phœbus citharâ increpans ſonorâ,
Te per ſomnia viſus admonere.
Quare Tibridis ad fluenta, Montes,
(Qui graviſſima regna Diis tenetis,
Cælo vertice proximi, & decorum
Incincti triplici caput tiarâ)
Summos vos adeo, rogoque ſupplex,
Ut monſtro me ab utroque liberetis.
In ſinu liceat latere veſtro,
Et ſacra recreare me ſub umbra
Non fici Siculæ, ſed Innocentis
Floridæ, peramabiliſque olivæ:
A cujus mihi ramu is in orbem
Plexis. Palladiam petam coronam;
Et colam omnia veſtra dicta, facta.
Sic poſt ſæcula longa, & uſque, & uſque
Vobis non modo collium ſuperbas
Septem aſſurgere gratulemur arces,
Sed magnum Oromedonta, & ipſum Olympum.

In Sabellam Romanam puellam.

Sabellæ ocelli, non ocelli, ſed vagi
 Soles duo minutuli:
Labella, non labella, ſed coralia,
 Saxis tenella in candidis,
Si vos rigentum flabra ventorum horrida
 Diſſuaviari inſaniunt;
Nec eſt manu, vel pallio procacium
 Arcere pervicaciam;
Nos perditos, qui carne molli, & oſſibus
 Non ſaxeis plane ſumus,
Quonam putatis eſſe poſſe corculo?
 Quâ mente? nec plura attinet.

In

In eandem.

O os purpureum, genæque læves
Sabellæ, o teneræ manus eburnæ,
Dentes candiduli, venusti ocelli:
Quibus candidius, venustiusque
Nec candor potis esse, nec venustas:
Qui vestra glacie Notum rigere,
Aut vestrâ Boream tepere flammâ,
Stulti versiculis canunt ineptis;
Ah quanto satiusque, veriusque
Me ægrum, flante Aquilone, flante & Austro,
Dicerent tremere usque, & æstuare.

De Liviæ Columnæ oculis.

Ocelli nitidi meæ puellæ,
Puellæ lepidissimæ, & venustæ,
Quantum non alia ulla, cui per urbes
Forma excellere contigit Latinas;
Ocelli nitidi, quid accidisse
Vobis (me miserum) audio molesti?
Vos horror malus, & malæ tenebræ,
Vos furvis nigra nox obumbrat alis?
Et qui sideribus pares eratis,
Nunc caligine hebescitis profunda?
O nimis male, nequiterque factum;

Ad eosdem.

Næ, si vos nitidi, & venusti ocelli,
In magnum Superi ferent olympum,
Inter ætherias faces locandos,
(Ut percrebuit, & dolemus omnes)
Næ duri Superi, misellli homulli.
Sed quando Superi, nec in beatos
Jus ægris, neque fas: quod unum, & ingens
Solamen reliquum: valete Ocelli:

Ocelli nitidi meæ puellæ,
Avete, atque valete; deque ſummo
Poſthac vertice mi micate cœli.
In terris ego thure vos, & arâ,
Et cantu citharæ colam ſonoræ;
Incenſus magis in dies, magiſque
Sanctarum liquido igne pupularum.

Eisdem adhuc.

Poſtquam vos nitidi, & venuſti ocelli,
Ocelli nitidi meæ puellæ,
Inter ſidera Diis referre viſum eſt;
Nos veſtrâ ſine luce multa paſſi,
Eo nomine gratulari habemus,
Quod iidem dederunt mali levamen,
Terrarum miſeram vicem dolentes:
Ut quicumque levi ſecant faſelo
Magnæ navifragum ſalum Diones;
Illis vos Helice petita nautis,
Vos ſitis Cynoſura jam futuri.
Ergo, quod ſupereſt, miſelli amantes,
Ne fruſtra irrevocabiles fleamus;
Sit finis lacrimis, modus querelis:
Et mecum, Veneris patens per æquor,
Hos jam ſuſpicite, hos duces habete.

In Aſpaſium, malum Poëtam.

Ad me tam ſtupidi, & mali poëtæ
Aſpaſii maledicta numquid hilum
Pertinent, rogo? noti uterque noſtrum
Bonis omnibus, & malis ad unum
Ego, atque ille ſumus; ſuis uterque,
Solum me miſeret dicacitatis,
Qua fertur ſtolidus, ruitque præceps,
Cæcus nequitia, in meos jambos.

In diem natalem.

Natalis meus eſt. Iô ſodales
Urantur pia thura Diis amicis,
Vitæ auctoribus, & Jovi ſupremo.
In primis hominum, & Deûm parenti.
Poſt Jovem; neque Juno, nec Minerva,
Sed Farneſius inclitus colendus,
Bona cum veniâ omnium Deorum.
Nam in terris propè par Jovi ſupremo,
Luce non aliâ, ſed ipsâ eâdem,
Vitæ principium ut dedit mihi ille,
Hic cultum addidit, & decus; paremque
Juſſit, & ſimilem eſſe me Deorum.

In Paulum Jovium.

Næ debent Jovio viri elegantes,
Bonis artibus his, & his politi;
Næ debent Jovio elegantiarum
Parenti, artibus polito,
Quantum vix animus capeſſat ullus,
Nec vivi modò, qui vident, amantque
Urbani ſenis & ſalem, & lepôres,
Sed quos lumine adempto avarus Orcus,
Quis ſcit quo cohibet loco miſellos?
Nam facit Jovius ſuis tabellis,
Excultis lepido ſuo labore,
Lethi funera non timere vivos,
Vitam vivere mortuos perennem.

Ad Antonium Perenotum Cardinalem.

Cùm quiſquam maris æſtibus
  Deprenſus, truculenti & rabie Noti,
Jactatus lacerâ trabe,
  Certus naufragii, vota Deis facit;
Implerint ſubitò leves
  A puppi ſi animæ lintea, & æſtibus

Ereptus, rabie & Noti,
  Terras profpiciat, quas petit, & propè
Accedat magis, ac magis
  Cara ad littora, caram ad requiem, & lares,
Non jam naufragium timens;
  Attollit mediis lætus in æthera
Ex undis duplices manus,
  Præfentefque fupinus celebrat Deos:
Quo fperat fore perpetes.
  Purgato rapidis cœlo Aquilonibus,
Dum terras cupidus premat.
  Sarcit carbafa mox, & reficit ratem
Diris fluctibus erutam:
  Tranquillo det hians ne pelago prius,
Quam portum fubeat, latus,
  Et, qui nunc fuerat præfidio Dei
Servatus, fua inertia
  Magno cum opprobrio turpiter occidat
Is, poftquam incolumes tulit
  Tandem in littus amicum madidus pedes,
Pictis veftibus, & trabe
  Votivam fuperis pariete de facro
Sufpendit tabulam, memor
  Quam vim fufpiciat numinis, & colat.
Ceffet fi auxilium Dei,
  Nil noftrum ingenium, nil valeant manus,
Sitque incognita cœlitum
  Virtus, fi nihil æquo ab Jove defluat,

In obitu Arfilii medici, & Poëtæ.

Ergo videmus lumine hoc fpirabili
  Caffum jacere te quoque,
Ut plebe quivis unus e vili jacet,
  Arfile, magno Apollini,
Novemque mufis care? five poculis
  Præfentibus morbi graves
Effent levandi, five dulci carmine
  Dicenda mater aurea

Cupi-

Cupidinum, lusuſque furtorum leves.
O vota noſtra inania!
Quid dura fati non poteſt neceſſitas?
I, da lyram mihi puer,
Manuque funde proniore cæcubum.
Nunc ſunt Lyæi munera,
Nunc plectra cordi, nunc juvat lectiſſimo
Cinxiſſe flore tempora.
Sicci, tenebris obſiti, triſti in Styge
Fortaſſe cras ſilebimus.

Ad Nicolaum Ardinghellum Cardinalem.

Eſt quidem hoc aliquid, fatemur omnes,
Non magnum modo in urbe te, ſed inter
Patres poſſe videre purpuratos.
Eſt quidem hoc aliquid, fatemur omnes,
Ardinghelle: fatemur, & frequentes
Hinc, atque hinc tibi gratulari avemus.
Sed quod ſit ſatis, id negamus omnes,
Quantum, quod pote plurimum negari.
At, cum maximum in orbe viderîmus,
Inſignem triplici aurea tiara,
Quæ virtus tua, noſtraque omnium eſt ſpes,
Tum vero id poterit ſatis videri.

Ad F. Cornelium.

Unus qui reliquus mihi patronus,
Corneli, fueras, vetuſque amicus:
Qui excelſo uſque animo eſſe me jubebas
Firma in ſpe, eximiaque, maximaque,
Ut jam iſtos facerem pili beatos.
Nunc diverſus abire, nunc videris
Idem non animo eſſe, non loquela.
Et quod me cruciat magis, magiſque
Nullam ob cauſſam aliam, niſi ob facetam
Unam, ridiculamque, futilemque

Quod Farnesius ad jocum libenter
Refert omnia, qui solet jocari
Tecum, & cui fuerit bono rogare.
Atque hic tu, mihi per jocum, atque lusum
Verbis illius (o novos lepores!)
Quid non dicere, vel tacere pergis?
Commentum placet elegans, salisque
Plenum, sed mihi crede, vultu, ocellis,
Pallore, atque tremore, denique ipsa
Næ tu proderis oscitatione.
Tun me? tun mihi? qui tibi, sed ad rem.
Amabo, mihi desine ista posthac
Plane frigida. Sin, vide, palam, clam
Profecto ad Jovium elegantiarum
Appellabo parentem, habet paratas
Is chartas, calamosque sive Etruscos
Malis, sive etiam Latiniores:
Quales nunc Venetos tuos videmus:
Quibus cum historiam politiorem
Conscribillet ab orbe condito omnem,
Illustrans, celebransque & hos, & illos:
Jure amicitiæ petemus, ut te
In hos inserat, & tuos lepores.

In Gibertum summa ingenii indole puerum.

Giberti ingenium bonas per artes
Excultum celebramus urbe tota,
Dignum Socratica institutione.
Hinc est gloria vera comparanda:
Hinc laus ipsa perennior petenda.
Hoc Gibertus amat puer disertus,
Contempta juvenum procacitate.

Ad Scipionem Capycium.

Quis mihi nunc ruri non suadeat esse, Capyci,
Et vetet agresti munera ferre Lari?

In patrios migravit agros, cœloque Caserta
  Devocat æternos ad ſua rura Deos:
Et facit, ut magnum Campania terra Tryphonem
  In parva jactet ſe quoque habere caſa.
O ego quid ceſſo? populique, urbeſque valete,
  Et quæcumque levis compita vulgus amat:
Vulgus, in extremis quæſita Themiſtita terris.
  Cui placet, incertis & Calicuta viis.
Neſcio quæ Calicuta novo ſub ſole repoſta,
  Æternum humanæ munus avaritiæ.
Nempe parum fuerat, noſtris diteſcere regnis,
  Et ver are avida faſque nefaſque manu:
Intactos niſi claſſe nova penetraſſet ad Indos,
  Intentata rudis Tethyos ad ſpatia.
Scilicet a curvo miles digreſſus aratro,
  Præceps trans terras, & maria alta ruit.
Jamque ſuper ſolis curſuſque, æſtuſque perennes
  Audet in ignotum tendere vela ſalum.
Sic alius nobis alio micat orbe Bootes:
  Merſaque ſub Stygio gurgite terra patet.
Ille quidem victor terris advertere proram,
  Et nova poſt tanto geſtit adire ſola.
Ignari rerum populi, per littora fuſi,
  Mirantur liquidas currere monſtra vias.
Nunc alacres properant, trepida nunc mente reſiſtunt:
  Attollunt cœlo lumina cum manibus.
Dumque nova paſſim tacti dulcedine torpent,
  Et multa ancipites ſpeque, metuque fremunt,
Ecce tubæ ſubitus magnum ferit æthera clangor:
  Et crebra reſonant tympana pulſa manu.
Illi Nereidas divina voce canentes,
  Et ſanctos rentur Doridos ire choros.
Inter ſe miris obvertunt nutibus ora:
  Et plauſum magnis vocibus ingeminant.
Aſt, ubi fulmineo cœlum tremit omne fragore:
  Et late fumo ſtat graveolente fretum:
Tum vero ingenti perculſi corda pavore,
  Bacchari Eumenidas per vada ſalsa putant.

Nec flammas jam ferre novas, ictusque minaces,
Permistumque gravi fulfur odore queunt,
Pars fugit, & silvis sese procul abdit opacis:
Agmine pars denso regia jussa facit.
Regem magna virum, proceraque colla duorum
Sublimem junctis sustulerant manibus.
Hi currus illis, hæ sunt in honore quadrigæ:
Non aliis prisco more vehuntur equis.
Sed quibus ille paret contra contendere telis?
Aurum habet: hoc plena porrigit usque manu.
Quid facis ah demens? gemmas, aurumque reconde:
Muneribus perdis teque, tuosque tuis.
At felix quondam patriis Epicurus in hortis,
Dum sibi & ipse serit, quod sibi & ipse metit,
Contentus modico vitam traduxit agello,
Nec labes sanctum polluit ulla senem.
Hei mihi, quid dixi? Cœlestes, parcite fasso:
Contempsit magnos impius ille Deos.
Securus lethi, Stygiæ securus & undæ,
Risit tergemini ferrea vincla canis.
Non ego, qui soleam sacra menstrua (vos mihi testes)
Excidit; & linguæ, non mea culpa fuit.
Sanctum ego judicibus potuissem dicere vobis,
Flagraret tanta ni scelus invidia.
Infelix Epicure, nec hoc mihi nomine care,
Numina tune ausus temnere magna Deûm?
Tune ausus Grajas convellere sacra per urbes,
Et dulci mentes fasce levare pias?
Stulte luis pœnas; quam nunc Acheronte sub imo
Velles accensis thura dedisse focis!
I miser, Eumenidum pendentes fronte colubros,
I nunc, & Manes, & Phlegethonta nega:
Persephonem, Ditemque nega, te Tartarus horrens
Compescat, miris excrucietque modis.
Sed mea quæ pietas, unum hoc ignoscite Divi,
Tuncque illum sanctum quis neget esse, rogem.
Quis tunc oro, neget? primis cui semper ab annis,
Ut sine cura esset, maxima cura fuit.

Non vaſti tumidis pelagi ſe credidit undis;
Flecteret ut dubiam per freta cæca ratem.
Non litui ſtrepitus arrectis auribus hauſit;
Nec ſtupuit mediâ vellera tincta Tyro.
Denique deſpexit curis; quæcunque ſequaces
Protinus a triſti pectore nos abigunt.
Qui rerum cauſſas tantùm libare latentes
Conſtituit primi liminis ante fores.
Ne curis animum torqueret inanibus ægrum,
Cerneret & medio ſomnia vana die.
Huic igitur meritam dubitem concedere laudem:
Et titulum nudi nominis invideam?
Quin ſenis exemplo jam ſtat quoque, pace Deorum,
Hoc reliquum vitæ degere, quod ſupereſt.
Urbis delicias in cœlum ferte, ſodales;
Urbs aliis placeat, ſordida rura mihi.
Hic juvet inſanos animi componere motus,
Et legere in tuto lintea laxa ſinu,
Armaque pro templo non magnæ figere villæ,
Soſpitis & cymbæ texta ſoluta meæ:
Tum longis dulces ſomnis adjungere ſomnos,
Et ſæpè ipſius non meminiſſe mei.
Dii facite, immites diſcerpant cetera venti;
Hæc pars è votis ſit rata ſola meis.
Ut ſit, qui poſſit de me quoque dicere: felix,
Urbe procul ſolis qui ſibi vivit agris:
Vivit; & æterno Chriſti dum flagrat amore,
Farre pius modico ruſtica ſacra facit.

Ad Cardinalem Farneſium.

Farneſi, tibi non ſat eſt, ut ajunt,
In magnis voluiſſe; nam puſilli
Illud eſt hominis Tibullianum:
Te qui maximus es, Deûmque proles
Decet maxima quæque jure poſſe:
Quamvis ſors etiam Maronianum
Perrupiſſe Acheronta ſit neceſſe.

Jam

Jam ſcis quod volo: perfice, ut ſatis ſit,
Hac viâ, aut aliâ, nihil laboro:
Tantum perfice: quod remordet hoc eſt,
Sic tu terque quaterque Diis ſecundis
Diu terque quaterque ſis beatus.

Ad Petrum Myrteum.

Miſi caſeolum meo poëtæ;
Ille continuò ſuæ puellæ
Miſit turpiculæ, atque ineleganti:
Tanti me meus æſtimat poëta.
Poſt paulò ſuus it puer, reditque
Ad me verſiculis novis onuſtus,
Quærens quod dominus comeſſe poſſit.
Mittam, Myrtee: qui negare poſſum?
Sed prius mihi dic rogo, quid omnes
Vos ſummi, & lepidiſſimi poëtæ
Muſas dicere virgines ſoletis;
In luſtris tamen improbè adlubeſcit
Enectas ſcabie, & fame perire?

De Anniâ villâ.

Annii nemoris ſacra
Citria, & liquido ſacer
Fons fluens pede per nemus,
Quodque colle habet in ſacro
Mollis acta ſacellum:
Voſque agreſtia Numina,
Dii Deæque genus Jovis,
Frigidum quibus eſt nemus,
Fonſque jugis, & inclita
Ara rite dicata:
Ritè ſi nemore horrido
Fonte ſepoſito procul
Imminens pelago capit
Ulla vos ſuper arduo

Ara

Ara colle dicata :
Quàm relinquo dolens querens,
Quàm reviſo volens lubens
Vos ego! & tenerum in ſinum,
Dia ad otia, gaudeo
Memet abdere veſtrum
Sive ſub nemoris nigri
Delitere comis juvat,
Et fluente brevi in tuni-
câ ad vagi Zephyri levem
Frigerarier auram:
Sive dulce loquaculi
Fontis ad gelidos ſpecus
Seſſitare, & aquam hac & hac
Somnuli illecebram manu
Uſque pellere lentâ.
Tu modò ſpatiarier
Garrulâ citharâ gravem:
Collis è ſpicula modò
Mille cernere puppium
Vela prætereuntum,
Cùm calore canis gravi
Terrâ, & æquore perſurit,
Fervidoque Hyperione
Arctos icta vacat gelu,
Triſtibuſque tenebris.
At dies brevioribus
Rapta cùm ſpatiis ruit,
Brumaque extulit horridum
Verticem gelidæ nivis,
Imbriumque potentem,
Tum foco ſilua integra
Advoluta hilarat domum:
Nos pigri utraque & utraque
Cruraque, & latera indidem
Uſtulamus ad ignem.
Verna pingue mihi veru
Verſat, & pereat cavet

Ne

Ne qua ſtilla beatior:
Ac premens fovet offulis
Uncta cruſta ſuillis.
Promit hic ſibi Cæcuba,
Miſcet ille Falerna, nec
Hic nec ille ſpuit, negans
Firma Maſſica lenibus
Diluenda Calenis.
Tum ſatur Genium Laris,
Tum Larem Genii canit:
Stridulaque ſtrepens cicu-
tâ hinc, & hinc male ſobrio
Ter ſolum pede pulſat:
Uſque dum veniens genis
Conniventibus, & pede
Debili ſopor, unus ut
Quiſque eat cubitum monet
Oſcitante labello.
Qui novi tibi floſculos
Veris explicet, explicet
Is minore negotio
Nocte quot media micant
Clara ſidera cœlo.
Nec meum officium mihi
Excidit: facio Jovi
Maximo, reliquiſque Diis
Semper; ut decet, & boni
Tradidere parentes,
Sive Solis ad extimos
Cardines, citimoſve ſe
Vertat annus, amabile
Sive rideat ad pares
Mollis ætheris horas.
Illa nocte, dieque me
Cura fervidior coquit
Sola: cetera liberum,
Ne ſacri ulla operatio
Negligatur aviti.

Hic

Hîc diu mihi vivere, &
Hîc tandem liceat mori,
Semper & lateam immemor
Omnium, bene nec mihi
Sæpe cognitus ipsi.
Quod meus Fabius suo
Cum Polo facit optimus
Optimo, Capimontio
Rure qui sibi candidum
Lætus exigit ævum.
Quod Caserta facit meus,
Pontietta facit meus,
Ille moribus aureis
Clarus, hic fidibus sacris,
Infulaque decorus.
Quod Mapphæus ad uvidi
Rura frigida Tiburis
Nuper ambitiosius
Velle se quoque credulis
Jactitabat amicis.
At Farnesius inclitus
Vota dissipat irrita,
Et jubet medio in foro
Scribat historias graves,
Ludicrumque poëma.
Sed Farnesius, omnia
Qui potest, mihi tum meum
Posset excutere Annium,
Cùm suum imperium sibi
Poscet urbis & orbis.
Sic diu hic mihi vivere,
Hic mori liceat mihi,
Et Farnesius, ut lubet,
Possit omnia; maximo
Nil avo minor olim.
Vosque agrestia Numina,
Dii Deæque genus Jovis,
Este vos faciles mihi,

Vos

Vos Lares, Genius foci,
Intonate ſiniſtrum.
Sic lætum vireat nemus
Semper, & vitreus fluat
Fons perenne, recentibus
Ara fumet odoribus,
Intonate ſiniſtrum.
Ipſe non Heliconio
Collis invideat jugo,
Ipſa non Aracynthios
Optet acta ſibi modos:
Intonate ſiniſtrum.
Nullus huc aditum ferat,
Nullus aut grege cum improbo
Paſtor impius, aut mala
Ales, aut quadrupes fera:
Intonate ſiniſtrum.
Nullus undiſoni æquoris
Fluctus auribus obſtrepat.
Nulla vos violentior
Tundat aura Favonio:
Intonate ſiniſtrum.

In Caroli Magni effigiem.

Audiſtine olim magni poſt Herculis arma,
Extremam paribus Calpen qui terruit auſis,
Invictum virtute animi, dextraque Rolandum?
Audiſtin' robuſta ſenis tot pignora Amonis?
Ac teneram roſeo cum primis ore puellam,
Caſſide ſub dura ſolitam ſe credere campo,
Congreſſamque viris victricem excedere pugnâ?
Atque alios, alioſque omnes fortiſſima bello
Pectora, bis ſenos ex ordine Palatinos?
Quos magnis longum ſpectatos Gallia rebus
Evexit cœlo, & fulgentibus intulit aſtris?
Scilicet inſignes ſpoliis Heroas opimis,
Inſignes raptis immani ex hoſte trophæis;

Hoc


Hoc duce, quem multo trabeatum cernis in auro,
Nunc etiam adſpectu ipſo & majeſtate verendum;
Hoc meruere olli, & tantum exhauſere laborum,
Carolus hic ille eſt, quem nec ſæcla ulla, nec ætas
Non canet eximio regem cognomine Magnum:
Cujus ab auſpiciis tum primum Gallica ſigna
Bætis, & infractus victricia ſenſit Iberus.
Intremuere Aſiæ reges, jacuitque ſubacta
Punica terribili tellus concuſſa duello.
Cetera, ab anguſtæ ſpatiis excluſa tabellæ,
Te magni divina Jovii monumenta docebunt.

Farinatæ Uberto.

Servata per te Patria quod tum maxime,
Sic cum miſera caſura fuerat maxime;
Nunc optimo tu jure, præter ceteros
O belli, & idem pacis artibus inclite
Uberte, patria vivis in ſuperſtite,
Viveſque dum vivent ſacri Annales Jovii.


Ad Jovii viros illuſtres.

Magnanimi Heroes, ſalvete, haud parva ſupremi
  Cura Jovis, docti maxima cura Jovii.
Vos tulit in cœli ſublimes Juppiter arcem,
  Dignatus menſa, concilioque Deum.
Vos Jovius totum late volitare per orbem.
  Romanaque jubet vivere in hiſtoriâ.
Munera magna Jovis: verum ſi dicere fas eſt,
  Non ſunt æterni dona minora Jovii.



A B-

AUGUSTINI FAVORITI
NOVOLUNENSIS.



Ægon, ſive de obitu SIDRONII HOSSCHII e Societate Jesu.

Menalcas Fabium Chiſium Cardinalem; Lycidas Poëtam refert.

Lyc QUi te ſollicitat luctus, quæ cura, Menalca,
O & paſtorum decus, & ſolatia ruris?
Non animus tibi, non vultus, velut ante, ſerenus,
Quo blandos audire ſoles, ac reddere verſus.
Atqui nunc lætos cum tempore ſumere vultus,
Perque vices aliquid, curas quod fallat agreſtes,
Ludere conveniat. Jam formoſiſſimus annus,
Jam grati ſoles, motiſque a frondibus aura
Lenior: herba torum, ſilvæ dant frigus, & umbras.
Et peream, ſi non invitant omnia cantum.
Quin huic nos clivo pariter ſuccedimus, unde
Cernere prærupti fas eſt de vertice montis
Muſcoſum per iter rapidas deſcendere lymphas,
Dum ſubter ludunt ſaturæ per prata capellæ
Men. Ah! Lycida, Lycida, ſcires modo, quam mihi laxum
Pectore vulnus hiet, mœſtum ridentibus agris
Haud, reor, obiiceres vultum mihi: mœſtus & ipſe
In gemitus planctuſque oculis rorantibus ires.
Hic cœli nitor ipſe, anni hæc vernantis imago,
Hæc antra, hi fontes, ipſa hæc juga frondea tantum
Me capiunt, quantum denſis nox atra tenebris.
Aut, cum improviſâ cœlum ruit omne procellâ,
Per-

Percussæ nimbis segetes, & grandine vites.
Usque adeo premit, ac mentem dolor improbus haurit.
Lycid. Quidquid id est, ne conde sinu: medicina dolori est
Illius indicium. Quæ non fluit unda, putrescit,
Et ruit objecto violentior aggere torrens,
Et compressa parit majorem flamma ruinam,
Inc usique Euri tellurem, atque oppida quassant.
Sic quoties celat causas, altâque repostus
Hæret mente dolor, damno est sibi pectore clausæ
Marcescunt lacrimæ, spirantque in viscera tabem,
Occidit hoc nuper morbo Lycus, occidit Alcon.
At si quid fortuna tibi crudele minatur,
Ante luem pecori, aut stabulis incendia mittat,
Aut capiti nostro quæ sint mala cumque reservet.
Te sine magna Pales squalentia linqueret arva,
Lugerent armenta, armentorumque magistri,
Fistula ne cuiquam curæ foret. Hæc mea certe,
Ludibrium ventis piceâ penderet ab altâ,
Nec pulsæ valles, vocisque referret imago,
Quod mihi cantandi cupido dictare solebat
Carmen Apollineâ demissus origine pastor.
Quin ego digressus silvis, lucemque perosus,
Ætatem in duro traherem miser Apennino.
Men. Si tibi tantus amor luctus cognoscere nostros,
Teque adeo tangit dolor hic meus, accipe. Venit
Verus ab Arcadiâ nuper mihi nuntius, eheu!
Ægonem occubuisse meum: meus occidit Ægon.
Ægon, quo pastor totâ præstantior alter
Non fuit Arcadiâ dulci perfundere cantu
Mœnala, seu patrii saltus mulcere Lycæi.
Cui me præclaris captum virtutibus olim,
Cùm daret hospitium nobis illa aurea tellus,
Fœdus amicitiæ nexu devinxerat arcto:
Quicum sæpè morari, ac ludere sæpè solebam,
Quamquam vicinis fremerent regionibus arma,
Nostraque finitimæ turbarent otia gentes.
Quis casus mihi te, vel quis Deus abstulit, Ægon?
O nimis in miserum crudelia fata Menalcam!

Infelix pecus ite, nihil moror, ite capellæ.
Lyc Anne erat ille Ægon, cujus tu carmina quondam
Infandam, nimiùm infandam referentia cædem
Ipſe mihi celsâ (memini) de rupe canebas,
Unde omnes latè turres, ac Roma videri?
Sic inflectebas inter ſuſpiria vocem,
Ut mihi viſa iterùm fuerit diſcedere tellus,
Atque iterùm mœſtâ involvi caligine cœlum.
Men. Ille erat illum atro merſerunt funere Parcæ,
Aurea divino modulantem carmina plectro.
Eſſe quid hoc dicam, quod tam breve ducimus ævum
Mortales, vivunt cervi, corvique tot annos?
Vidi ego ſuccisas iterum revireſcere quercus,
Exutoſque annis juveneſcere ſæpius angues.
Quin & avem fama eſt, ſæclis jam quinque peractis,
Oppetere, eque rogo, quem, quo nutritur, amomo,
Et nardi calamis, & odoro cortice myrrhæ
Extruit ipſa ſibi, vitam inſtaurare recentem.
Aſt hominem nec fata ſinunt producere vitam,
Nec ſemel extinctum remeare in luminis auras.
Nymphæ, immortales Nymphæ, ſuccurrite nobis;
Dicite, ſi qua viret veſtris in montibus herba,
Quæ gelidos animam revocet vitalis in artus.
Dicite: tum memor hic vobis altaria ponam,
Et tenerâ faciam meritis pro talibus agnâ.
Quid loquor? abripiunt venti mea vota protervi,
Et prece nequidquam Divos, atque, aſtra fatigo.
Ægon hinc abiit, nec quiſquam Ægona reducet.
Crudeles Divi, crudelia ſidera, Nymphæ
Crudeles? ſed tu cunctis crudelior Ægon,
Cedere qui vitâ potuiſti abſente Menalca,
Immemor heu noſtri? Licuiſſet lumina ſaltem
Claudere, & extremum lacrimis perfundere noſtris
Et dare, ſi quid id eſt, frigentibus oſcula labris.
Sed forſan, cum tu loquerere noviſſima verba
Languidus, ac dulces raperet dolor ultimus auras
Ipſe inter lætas ducebam pocula menſas
Neſcius, aut queruli dirimebam jurgia Codri.
Quam-

Quamquam, si penitus mihi mens non cæca fuisset,
Certus ego hos olim potui prænoscere casus.
Sæpe etenim esculeâ captanti frigus in umbra,
Dum tacitus sedeo, dum spirat amicior Auster,
Lævam nescio quid pepulit mihi protinus aurem:
Cumque admovissem teretes ad labra cicutas,
Dissona feralem reddebat fistula cantum:
Sæpè, & sponte suâ manibus delapsa cadebat.
Quod superest, tumulum extincto statuemus inanem,
Qua Tiberis sacrum delatus arundine crinem
Pacato Latias interluit amne ruinas.
Dein viridi in trunco nostri monumenta doloris
Inscribam lacrimans: quæ forte notabitur arbos,
Non illam venti eruerint, non frigore bruma
Læserit, aut ardens inimicis solibus æstas.
Fixa solo stabit, facietque nepotibus umbra,
Æternum testata meos hoc carmine luctus:
Salvete Ægonis cineres, quæcumque tenet vos
In terris regio. Vobis hic justa quotannis,
Qui vicina tenent pastores pascua, solvent.
Viventem coluit, nunc raptum luget, & absens
Absenti tumulum posuit, titulumque Menalcas.
Lyc. Sed tu desine plura: vetat se quippe querelis
Urgeri nostris, qui nunc, ut credere fas est,
Exceptos cœlo vates, exceptus & illo,
Cantantes audit, pariterque auditur ab illis.
Et tua dum mulcet nos fistula, pronus abit sol,
Compellitque greges in septa reducere pastos.
Cras facere exequias, manesque vocare licebit.

AD P. SFORTIAM PALLAVICINIUM S. J.

Nicander.

Nuper ad Albuneæ silvam, qua rupe sub altâ
Spumantis præceps Anio devolvitur amne,
Tityrus, & Lycidas læti florentibus annis,
Ambo pastores, ambo cantare periti,

Carmine certavere. Locus certaminis antrum,
Antrum umbrosum, ingens, pumex cui plurimus arcũ
Efficit, at juxta læto se gramine tellus
Vestit, & æternum violis vernantibus halat,
Alluduntque leves avium concentibus auræ.
Hic pueris locus: hic, cum sol altissimus umbras
Fecerat exiguas, steterunt cantantibus illis
Pastores gregis immemores, grex immemor herbæ.
Quin & Hamadryadum chorus affuit, affuit ipse
Pan Deus, ac fremitu Satyri plausere secundo.
Horum ego certamen, mihi quod narravit Amyntas,
Carmine non vano referam, nisi vanus Amyntas.
Tu modò, si Musam non dedignaris agrestem,
Sfortia, stirpis honos magnæ, quo sospite sacrum
Tollit adhuc supra gentes caput Itala virtus,
Huc ades; hic molli mecum considere in herbâ
Interea, ac lentus poteris captare beatam,
Quam Zephyris quercus ludentibus explicat, umbrã,
Dum rabidum latrat Canis æstifer, arvaque findit
Torrida, dum tibi sudantur quæ Bætis, & Ister
Miretur, serique legant monumenta nepotes.
Ergo ubi propter aquam viridanti in gramine ripæ
Procubuere, prior Lycidas, en Tityre nobis
Illa dies tandem, bene quæ decernere possit,
Quis nostrum melior cantu sit, & arte cicutæ.
Tit. Quo me cumque vocas adsum: sic adsit Apollo.
Non ego detrecto certamina: non ego, forsan
Ut reris, canere indoctus. Scit victus Jolas,
Scit Dorylas, scit Acon, scit Tybridis accola Daphnis.
Lyc. Tu mentẽ huc adverte, Mycon: nec sit grave nostras
Audire, arbitrioque tuo componere lites.
Myc. Ludite quæ vultis, cantuque exolvite curas.
Pastori licuit semper, semperque licebit,
Cùm bene pavit oves, geniales dicere versus.
At si umquam licuit calamis, si versibus unquam
Ludere, nunc pastor calamis, nunc carmine ludat,
Quando suas sibi pascit oves, oviumque suarum
Vellera securus sibi tondet, & ubera mulget.
Tit.

Tit. Incipe tu primùm Lycida: nos deinde ſequemur.
Lyc. Nulla mora eſt: tua juſſa ſequor. Sed nequa ſit iſti,
Vel mihi ſuſpicio meditati carminis, omnem
Materiem præſcribe, Mycon, legemque canendi.
Myc. Et dubitatis adhuc, cùm laudes, claraque facta
Nicandri montes reſonent, valleſque profundæ?
Plaudite Nicandro, Nicandrum tollite ad aſtra,
Cui Divûm imperiis magni cuſtodia templi,
Et gentes latè in Latias commiſſa poteſtas.
Lyc. Non opis eſt noſtræ Nicandri dicere laudes,
Sed vatum, quibus eſt animus divinior, & vox.
Nos humiles humili res dicere carmine ſueti,
Ac miſcere leves per mutua jurgia lites.
Myc. Non ſemper leviora decet reſonare cicutâ
Paſtores Latios; ſed ut ipſa armenta, gregeſque
Paſcuntur nunc valle cavâ, nunc montibus altis,
Sic decet interdum gracili nos promere cantu,
Quid faciat pingues pecudes, quid pabula læta,
Munera quæque leves vincant Amaryllidis iras;
Concipere interdum validos ſub pectore motus,
Et canere heroas, & numina magna Deorum.
Tit. Audebo: obſequium Nicander fronte ſerenâ
Accipiet, ſi non carmen laudabit & artem.
Lyc. Nos quoque, nos quanquam tenui conabimur ore
Grandia: conanti veniam dabit ille, ſinetque
Me laudi, meritiſque ſuis, & grandibus auſis,
Dum majora paro, facili proludere verſu,
Illi noſtra quies, illi gratiſſima ruris
Otia debentur: quin ipſe hic ſpiritus illi
Debitus; ille meos calamos non paſſus inertes,
Hoſpitiumque dedit, collemque habitare Quirini.
Et quamquam minime liceat mihi, ut ante licebat,
Sancta impreſſa notis cœleſtibus ora tueri,
Ante, Mycon, verſâ in cœlum radice videbis
Tendere Chaonias quercus, terramque ſubire
Frondibus, ante nigro manabunt lacte capellæ,
Quam ſacer e noſtro labatur pectore vultus.
Myc. Ergo agite, & celebrare virum: ſed gentis honores

Mittite Nicandri propriis adjungere factis.
Longa retro series, quos illa recenset, avorum.
Hi pacis clari studiis; hi Marte feroces
Addiderunt patriis ingentia nomina fastis.
Fundarunt alii regali splendida luxu
Atria: solemnes alii cœlestibus aras,
Ipsi olim decorandi aris: ingentibus illi
Muneribus fovere Deas Heliconis, & omnes
Egregias artes. Gens auri dives, & agri,
Ausoniasque domos claris complexa Hymenæis,
Et late quondam Tusco dominata profundo,
Qua sacer Alcidæ portus. Sed nescia virtus
Crescere majorum titulis Erit hic vir, hic unus
Argumentum ingens, messisque uberrima laudum.
Vos canite, ut studiis major puerilibus infans,
Cum vix a caræ depulsus lacte parentis
Figeret incerto dubius vestigia gressu,
Templa celebrarit Superum, imbueritque tenellum
Relligione animum: ut fugiens contagia vulgi
Hauserit augustos intra documenta penates,
Queis ille insistens summa ad fastigia rerum
Surgeret, ac fesso tandem succurreret orbi.
Inde, ubi virgineas primæ lanuginis umbræ
Conspersere genas, ut famâ impleverit Urbem,
Et gravibus curis virides addixerit annos,
Munera per populos obiens: ut sæpè potentum
Limina, & augustas jussus penetraverit aulas,
Quarum vestibulum ante ipsum manus excubat atra,
Invidia, insidiæque truces, fraudesque, dolique,
Nec tamen attigerint illum fraudesve, dolive,
Aut aliæ scelerum pestes. Ut namque per altos
Ionii fluctus, & amaræ Doridos undam
Integer evadit Siculas Alpheus ad oras:
Sic magnam intactus mentem, fugiendaque certus,
Quamvis blanda forent, non immiscere petendis,
Ad patriæ sese vertit cœlestis amores.
Testes, quos olim divino percitus igne
Corticibus teneris ætate tenerrimus ipse

Inscripsit versus, & quos jam firmior ætas
Ore alio indictos è venâ divite fudit
Per numeros omnes, quidvis imitante Camœnâ.
Dicite, quot vigili versaret pectore curas,
Cùm victum miseris tellus irata negaret
Gentibus, & crebræ viduarent oppida mortes,
Bellaque vicino fremerent insana tumultu,
Quà centum Eridanus fluviis, luctuque sororum
Dives init Libycis regnatum flatibus æquor.
Quid non Ionio in magno, quà nota trophæis
Insula Sicanium contra jacet alba Pachynum,
Quid non & Rheni sinuosum gessit ad amnem,
Dum pacem indignam Superis, inhonestaque damnat
Fœdera, frustrà hominum testatus jura, Deûmque?
Hunc si sancta priùs tribuissent numina terris,
Non toties luctu implesset Germania cœlum,
Quod trunca heu toties provolvens busta, virumque
Cæde calens Albis glaciale resolveret æquor,
Tristiaque alberent inhumatis cladibus arva.
Non dulci patriâ extorres, inopesque Britanni
Errarent terras omnes, maria omnia circum:
Nec tam bella diu premerent, bella impia Cretam,
Qua fatum Europæ pendet: nec inulta doleret
Civibus exhaustas urbes, cultoribus agros
Italia infelix, priscos oblita triumphos.
Quin & Sarmatiam ferro quæ vastat, & igni
Barbara gens, rebusque novis elata superbit,
Cederet, ac versis dudum in contraria fatis,
Ardentis patriæ bustum, cineresque suorum
Ipsa gemens, fuso lueret commissa cruore.
Dicite, uti tandem post hæc discrimina rerum,
Postque tot exhaustos pelago, terraque labores,
Romuleas iterum meritorum plenus ad arces
Venerit. Haud mora: vix aderat, cum vidimus ipsi
Murice fulgentem Tyrio succedere curis
Jam senis Ægonis, rerumque assuescere habenis,
Donec ad imperii culmen fatale trahentes
Nicandrum Superis sacratâ in sede locarunt.

Hæret adhuc animo haud oblivifcenda per ævum
Illa dies, quæ prima virum mortalibus ægris
Sublimem folio oftendit, cum pectore claufum
Spiraret Numen, vultuque immobilis alto
Divideret facrâ cœleftia munera dextrâ.
Hinc canite, ut redeant noftris felicia filvis
Sæcula, & antiqui mores; ut copia pellat
Læta famem Latio, cœlumque Aftræa relinquat:
Ut, cogente Deâ, tandem furor impius arma
Ponat, & agreftem gladii curventur in ufum;
Quæque tulere diu patrio procul ab lare durum
Exilium triftes, inhonoratæque Camœnæ,
Excutiant mœrorem animo, Phœboque canente
Solemnes ducant choreas per amœna vireta,
Rurfus, & incipiant heroum dicere laudes.
Sic ubi tempeftas nil tale timentibus arvis
Incubuit, ftragemque dedit, fi nubila cedant,
Si lenes redeant Zephyri, folemque reducant;
Ridet ager, curvumque nemus fe rurfus in auras
Explicat, & fulco feges inclinata refurgit.
Nec finite indictum, ut paffim decora alta Latini
Nominis informes inter defoffa ruinas
Erigat: ut prifcum templis inftauret honorem;
Vellat ut è noftris dumos, herbafque nocentes
Providus, & lætas inducat montibus umbras;
Utque fuas, Divûmque facras infcripferit ædes:
Nulli fas caftum fcelerato infiftere limen.
Tempus erit, quo facta dehinc majora canetis,
Cùm, fuadente illo, pofitis civilibus armis,
Ceffabit tandem quod Gens Feronia bellum
Upiliâ cum gente gerit. Tum tota repentè
Tempeftas belli Ionium defcendet in æquor:
Tum populum latè victorem, ac fata ferentem
Ultima, & Ægæi rumpentem clauftra profundi,
Quò meritas repetat pœnas, gentemque fuperbam
Ryphæas hyemes ultra, Tanaïmque releget,
Pallidus Odryfiâ fpectabit ab arce Tyrannus.
Sic ubi longa fames aquilam, cædifque cupido
Acrior

Acrior ad terram speculâ dimisit ab altâ,
Tum qui se novus ad solem circumspicit aureo
Fulgentem tergo, squamisque recentibus anguis
Vicinâ condi properat sub rupe; sed illum
Improvisa super volucris venit, & premit ungue,
Nidorumque dolos, aviumque ulciscitur iras.
Tum demum exuerit vinclis sese inclita tellus
Divini servans monumentum, ac pignus amoris.
Tum caput attollet Silois, Tibrimque parentem
Jordanes, jaculisque colet crinitus Orontes.
Tum dulcem nobis longo post tempore tandem
Fas erit Arcadiam, lucosque revisere sacros,
Taygetique nemus nigrum, fontesque Lycæi.
Nec minus Arctoo properat quæ littore Pallas
Romanum ad Tiberim Patribus spectanda Latinis,
Grajorum decora, & caras inviset Athenas,
Frigus & ad sacri ripam captabit Ilissi;
Tum mores hominum mitescent, tum pecus omne
Unum Pastorem, atque unum cognoscet ovile.
At tu, Sancte Parens, hominum celebrabere votis,
Africa qua longe pluvium porrecta sub Austrum
Ambustum Oceani mediis caput inserit undis,
Quaque Caledoniis Thule pulsata procellis
Prospicit ignotos curvo de littore fluctus.
Tale Mycon certare volentibus argumentum
Tradidit, hanc rerum seriem: quam deinde secuti
Tityrus & Lycidas, nemorum plaudente corona,
Plurima sub sacra fuderunt carmina quercu,
Quæ tacito secum meditari examine mentem
Convenit, ut melius referamus in ordine quidquid
Tityrus, & Lycidas sacrâ cecinere sub umbra.

Alexandro VII. Pont. Opt. Max. Renuntiato.

Ut ad vireta Pindi ab Urbe Romulâ
Bono profecta Fama venit alite,
Tenere sceptra Chisium, novem Deas
Comam ferunt ligasse fronde Delphicâ,

Eth-

Eburneoque collo eburna barbitos
Ut alligata, conſtitiſſe protinus,
Ubi perennis unda prata dividit
Odore læta graminum virentium.
Ibi decenter implicaſſe mutuas
Manus, pede impuliſſe & arva libero:
Ibi increpante pectine aureas fides
Diu negata condidiſſe carmina.
Dies beata ter quaterque, vatibus
Canenda ſemper, & colenda gentibus,
Vetuſti ſæcla quæ reducis aurea,
Fidemque cum ſorore ab axe devocas!
Vides redux ut Africis ab areis
Latina jam reviſat arva Copia,
Famemque pellat Africas ad areas?
Ut alma Pax neces, & arma ſubmovens
Gravi cruenta bella compede alliget?
Tuo, beata lux, favente numine
Loqui ecce rurſus antra, rurſus incipit
Tegi erudita lætiore frondium
Honore ſilva, largiorque Pegaſi
Sonante rivus exilire ab ungulâ.
Ubi hæc dedere dicta, nona Virginum
Chorum jubet ſilere, & una concinens
Lyram maritat altiore carmine.

De eodem.

Ergo inexpleto miſeras flagello
Diræ agunt gentes? piget heu ſiniſtram
Tam diu ſortem doluiſſe, & orbis
Fata ruentis.
Vidimus campo Libitinam aperto
Huc equis illuc volitare nigris,
Quæque Gradivi ſoluiſſet ardor
Oſſa legentem.
Decolor tabo Sicoris, Paduſque
Teſtis, & ripâ Thameſis cruentâ,

Ma-

Magnaque adverſus Thameſim reſolvens
Oſtia Rhenus.
Turbine hinc noſtras Oriens citato
Acer in clades ruit, hinc avorum
Cimber ulciſci cupidus Latino
Sanguine manes.
Hinc levi frontem redimita culmo
It Fames circum, ſequiturque Pallor
Triſtis, & ſciſſo pavidus capillo
Luctus euntem.
Sed per hæc ardens init aſtra virtus,
O datum Europæ decus, & levamen
Dulce, Alexander, miſerante feſſas
Numine terras!
Monſtra ſi tellus manibus negaſſet
Herculis, magnus latuiſſet heros,
Nec ſuo audiſſet reſonare Tuſcum
Nomine litus.
Tu bonæ fructus revehes benignus
Pacis, & plenis Cererem maniplis;
Te ſacrum doctæ Tiberim reviſunt
Vindice Muſæ.
Flectere inſuetum tibi cerno victos
Poplitem Parthos, Arabaſque fracto
Supplices arcu dare thura noſtris
Maſcula templis.
Nam comâ latè viridante Quercus
Montis inſedit juga Vaticani,
Totum ut humanum genus hoſpitali
Protegat umbrâ.
Vos Alexandro gladium ſequeſtro
Ponite, & motus animi calentes:
Jam ſatis cædis, cinerumque: ferro
Parcite Reges.
Cur in inſontûm malè pertinaces
Urbium caſus acuuntur enſes,
Juſtiùs Thracum quibùs imminentûm
Turba periret?

Qui ſuper campis glacialis oræ,
Italûmque arvis, pelagoque fuſus,
Barbaram ſanguis potuiſſet omnem ex-
Scindere gentem.
Jam pio tandem ſociate fortes
Fœdere in Creten, Solymamq; dextras.
Ite victores pia vota magno
Solvere buſto.
Ite: Naupacti recubans in antro
Nuper auditus graviore Triton
Præſcius conchâ ceciniſſe fracti
Colla Tyranni.
Thraciæ vobis animæ faventes
Carbaſa in Syrtes inimica vertent.
Chiſium ſidus reget omne certâ
Luce periclum.

De eodem.

Clades furentis quiſquis Europæ graves
Abominatus, atque Chriſtiadûm (nefas!)
Contaminatas ſcelere civili manus,
Multâ rogaſti Numen iratum prece,
Rediret ægris alma pax mortalibus,
Et qui profanis mutuam in ſtragem duces
Aguntur odiis, fœdere inter ſe pio
Juncti in ſuperbos arma Thracas verterent;
Quiſquis reverſam cernere optaſti diu
Cornu beantem divite arva Copiam,
Reduceſque cum ſorore Pietatem ac Fidem,
Et ad antra Cyrrhæ jam diu ſilentio
Triſti jacentes, & recuſantes lyram,
Rurſum canentes fontis ad caput ſacri
Audire Muſas: quiſquis Urbem redditam
Decori intueri, priſca quod virtus patrum
Paravit, artibuſque florentem bonis;
Aras corollis, eia, conſternas pius,
Summoque gratus vota perſolvas Deo:
Maximus habenas rerum Alexander tenet.

In

In ejusdem S. D. N. diem Natalem.

Venit Alexandri natalis, supplicet aris
Turba frequens: flammis fumet acerra piis.
Nec citharæ sileant, citharis nec carmina desint:
Huc, age, qui citharâ, carminibusque vales.
Vos quoque, felices animæ, pia nomina, Vates,
Quos Latium, quos & Græcia terra tulit;
Seu vos æternum retinent Parnassia Tempe,
Seu choream in silvâ ducitis Elysiâ;
Quandoquidem manes imâ tellure repostos
Arte ferunt, vivi quam coluere, capi;
Cingite fronde comam, & Trojâ, Thebisque relictis,
Natalem magni concelebrate Patris.
Et dum, Vivatio, resonamus amabile carmen
Integret Elysium, Pieriumque nemus.
At vos, Aonides, quarum sub numine sacro
Læta virent doctæ jugera Castaliæ,
Flectere queis animos, & inexorabile pensum
Parcarum citharâ carminibusque datum est,
Si puerum arcana faciles fovistis in umbra;
Si juvenem pura sæpe rigastis aquâ;
Illius ob carmen nostri si gloria sæcli
Tollit se vestris ardua verticibus:
Si plausum tripodes, vocaliaque antra dedere,
Cum Deus hunc magnum misit in imperium:
Dum lucem hanc colimus, cantu, fidibusque favete,
Ac pede, res agitur vestra, favete Deæ.
Fallor? an excitæ veniunt ad sacra furores,
Fronde coronatas, expediuntque lyras?
Et numeris certare parant? Certaminis hujus
Signa dat e summo Calliopeja jugo.
Ergo diem faustis celebremus nos quoque votis:
Annus enim nobis sæpe canendus adest,
Quo Christum accipiant ultro regna invia nautis,
Littoraque algenti siqua sub axe jacent:
Quo tandem a miseris rubigo turpis actis
Telorum duram transeat in segetem.

Tu

Tu modo dexter ades, tantisque allabere cœptis,
Qui flectis nutu regia corda tuo.
Quæ rabies armet populos, quæ prœlia poscant,
Quæ scelerum, quæ sit Martis imago, vides.
Hinc premit Helvetiam strictis furor impius armis:
Hinc luget patrio Sarmata pulsus agro.
Heu conjuratis etiam sociata Britannis
Arma metum populis, exitiumque ferunt!
Heu iter infaustum relegens feralis Enyo
Itala pugnaces ducit in arva manus;
Ceu Padus Insubres cum turbidus invehit imbres,
Quos miseri luctus augeat agricolæ.
Hinc etiam ferrum Odrysii crudele Tyranni
Per Venetum clades imminet Italiæ.
Scilicet Italiam contra bella impia surgunt:
Huc inhiant diræ crimina barbariæ.
Tu tamen o populis tellus assueta regendis,
Ingenio, atque armis inclita, parce metu.
Maxima Alexandri virtus tibi militat, altis
Alpibus, & gemino firmior usque mari.

Ad eundem, de hesterno fulmine.

Cesserat atra fames Latio, te, Maxime Princeps,
Vindice, & horribilis, sed sine clade, lues;
Cum miseræ nondum placatus Juppiter Urbi,
Illam majori devovet exitio.
Pallentem immittit morbum, quo Flavius æger
Detinuit multos anxia corda dies.
At Juvenem egregium populis donare coactus,
Arripuit tandem tela trisulca manu.
Irrita sed pariter ceciderunt fulmina, & iram
Numinis ante tuos deposuere pedes.

Ad Flavium Chisium Alexandri VII. Pont. Opt. Max. fratris filium.

Phœbus ubi primum revehit cum luce labores,
Redux ab orbe suaveolentis Indiæ,

Ejus

Ejus ab aſpectu pendet prænoſcere ſollers
  Ligur magiſter atque arator Appulus,
Quid pelago campiſque niger denuntiet Eurus,
  Orioniſque triſte ſidus apparet.
Nam ſi nubilus obducat caligine vultum,
  Uterque cautus abſtinet periculo:
Sin autem extulerit nebulis roſea ora fugatis,
  Hic alligare vomeri boves, at hic
Solvere velivolam properat de littore puppim,
  Rates & æquor execrante conjuge.
Haud aliter te, qui priſcum genus indole pulchrâ,
  Et ore, ſuavibuſque moribus refers,
Ut nitidum os, Flavi, divino lumine vidit;
  Recentis extuliſſe more ſideris,
Suſpexit Roma, eſtque animo prudente futuri
  Dies ſibi augurata candidiſſimos.
Late humiles terras animo nam deſpicis alto,
  Cupidinumque vulgus impotentium
Sub pedibus premis, infelix quibus acta juventus
  Tumet furente pejus Adriatico.
Unus amor recti, virtutis te decor unus
  Juvat, pudorque, comitaſque Chiſia:
Degeneremque vocas, veterum qui jactat avorum
  Iners propago, nomen, atque imagines.
Quare hominum ſtudia, ac dulces ante omnia Muſæ,
  Novam micare quando ſpem vident ſibi,
Erexere animos. Tu Divas excipe blando
  Domeſticam ſecure gloriam ſinu.
Scilicet Auguſti referentem nomen, & artes
  Virum memento ſanguinis decus tui.
Qui niſi regali juſſiſſet mente beatum
  Patere limen hoſpitale vatibus,
Egregios ut avos, & avos numeraret avorum,
  Ut eſſet ampla res, opeſque Chiſiæ,
Frigidus, heu, mutuſque foret ſine nomine pulvis,
  Per ora nec volaret inclitus virum.
Quamquam operæ precium priſcorum ingentia non eſt
  Referre facta Patrum, ubi præit ſuis

Maximus auctor Alexander, qui cum pietate
  Suaque ſorte robur æquat ingenî.
Ille vides ut ſæpe jubet ſecedere curas,
  Onuſque ponit, & reclinat in ſinum
Muſarum. Hæ ſolio nimirum cum Themide ipſa,
  Sororibuſque pulcher aſſident chorus.
Credo equidem: neque enim ingentis fuit hoſpita ſacris
  Pudor vireta linquere, & jugum biceps
Pro Vaticano, pro dulci colle Quirini,
  Ubi perennis aura veris intepet.
Nec minùs intereà populis aſſueſce regendis,
  Id approbante, qui benignus imperî
Te vocat in partem, rerumque arcana, ſecutus
  Quod omnium ſupremus arbiter Deus
Suadet, Alexandri qui res, & facta reliquit
  Sibi, ſuoque temperanda numine:
At regere imperio volucres elementa miniſtros,
  Polumque juſſit, & rotare ſidera.
Jamque decus, patrio tibi quod promittitur aſtro,
  Et expetita fervidis Quiritium
Votis alma dies aderit, cùm Romula pubes
  Metu ſoluta, triſtibuſque næniis,
Te proceres inter Latios, ſpem Tibridis altam,
  Honore cernet eminere debito.
Mox linquentem urbem comitabitur omine læto
  Iter precata molle; ſeu jubeberis
Ire Alpes ultra, ſeu te committere ponto,
  Etruſca præter & volare litora.
Olim namque tibi Regum componere dextras
  Deus reſervat, & ligare mutuo
Fœdere in excidium Thracum, tua juſſa ſequente
  Per æquora alta me, per Alpium juga.
Tum mihi, tum magnis pia vatibus arma viciſſim
  Canentur arma, fortiumque dexteræ,
Queis feret auſpicibus Solymæo dona ſepulchro
  Ab occidente vectus hoſpes ultimo.
Medus Alexandro tunc demum ac Thracia ſupplex
  Sacros fidelis oſculabitur pedes.

Cleo-

Cleopatra in Hortis Vaticanis, ad Christinam Svecorum, Gothorum, Vandalorum Reginam.

Si te ſpectaclum infelix, ſi triſtia tangunt
Fata meæ duro benè ſculptæ in marmore ſortis,
O noſtros dignata lares inviſere mundi
Cardine ab extremo, patriâ, regnoque relictis,
Regina, heroum nulli virtute ſecunda,
Aurea quos olim tulit ætas, maxima olympi
Numina cum humanos non dedignantia cœtus
Tecta frequentabant mortalia, caſtaque gentis
Pectora non falſæ complebant laudis amore;
Huc ades. Illa ego ſum Latiis celeberrima faſtis
Femina Noſti angues, animumque in morte ferocem,
Quo properas? Saltem alloquio ſolare dolentem
Reginam Regina; nec eſt indigna videri
Forma loci, & ſacris regio gratiſſima Muſis,
Quæ nemus hoc, fonteſque colunt, jugaque alta, viretis
Cyrrhæ poſthabitis, & verticibus Parnaſſi.
Hîc ubi Grajorum artificum miranda videbis
Signa antiqua, tuæ gentis quibus ira pepercit,
Abſtinuitque manus artem mirata vetuſtas.
Ut de me ſileam, viden' hos, qui robore multo
Luctantem, ingratoſque Deos, araſque vocantem
Arrecti miſerum ſpiris ingentibus hydri
Laocoonta ligant? ut anhelat: ut ore ſupremum
Ingemit; ut ſocios implorat, opemque propinqui
Herculis, ipſe quidem caſum dolet, & cupit angues
Eliſiſſe manu, ac primos iterare labores?
Phidiacus labor Alcides; ſed enim aſpera Juno
Heroa immeritum dum grandine pulſat & imbri,
Non tantum orbavit clavâ, exuviiſque leonis,
Verum & poplitibus nervos, humeriſque toroſa
Brachia divellit, fecitque ex Hercule monſtrum
Informe, ignaræque (nefas!) ludibria turbæ.
Aſt illum informem licet, & ſine nomine truncum

Miratum huc Ararim veniunt, Rhenumque bibentes,
Et vivos illinc discunt effingere vultus.
Cetera quid memorem? Nilum, Tybrimque parentem
Spirantes docto in silice, Eridanumque, Tagumque
Nativo fulgentem auro, Gangemque superbum
Eois opibus, quos omnes dædala & ipsi
Æmula Naturæ finxit manus? Hîc habitant Dii.
Aurato hîc Phœbus percurrit pectine chordas:
Hîc gelidam fundit proles Semeleïa lympham,
Pocula, deliciasque tuas: hîc otia degunt
Mercuriusque, minaxque rubenti casside Mavors,
Et magni Æneæ genitrix, & candida Phœbe,
Omnes aut Divi, aut Divûm genus: unaque deerat,
Quam studiis, vultuque refers, factisque, Minerva.
Huc & Alexander (Fabium tunc nomine dici
Audieram) indocti fugeret cum murmura vulgi,
Nobiliumque manus juvenum comitata solebant
Ferre pedem, hic tristes animo deponere curas,
Dulcia securæ ducentes gaudia mentis.
Vidi ego, & in cubitum surrexi oblita doloris,
Incessumque viri observans, & lumina, dixi:
Aut Babylon ignara futuri; aut hic erit, hic vir,
Olim qui Latiam regnando restituat rem,
Qui veteres artes, & sæcula prisca reducat,
Iratasque pio componat fœdere gentes,
Quamquam animi flecti indociles, & vulnera tactu
Crudescant, medicamque manum impacata recusent.
Quo properas? ne, Diva, oculis te subtrahe nostris:
Namque ego te rerum seriem, eventusque docebo,
Qui super heroum sedes, super æthera tollent
Nomen Alexandri, sub mortem plurima quando,
Et longe faciem venientis cernimus ævi.
An te proxima silva trahit, studiumque ferarum?
Non ibi torvus aper, non duris unguibus ursi,
Quos jaculo cecidisse tuo sæpe horruit Arctos
Utraque; sed cervi imbelles, capreæque fugaces,
Pictarumque cohors non invadenda volucrum.
Quin etiam casus, & mors ingloria ab altis

Imminet arboribus; nam quæ nux pinea curvo
Strata jacet campo, Satyros quam ludere circum,
Metirique vides thyrſo, ſuâ ab arbore nuper
Decidit, & magno tellurem perculit ictu.
Adde, quòd incluſus Boreas, Euruſque, Notuſque,
Et quotquot ſævis agitant plangoribus æquor,
Illâ turre fremunt everſuri omnia latè:
Quamvis ſub tanto cohiberi Principe venti
Non indignentur, veniantque ad juſſa volentes,
Jamque parent iterum Scythicas illidere puppes
Leucatæ. Ah diram Leucatam, & conſcia luctus
Saxa mei! heu dolor, heu cladis monumenta nefandæ!

Imminente jam Autumno invitat ad rusticandum.

Pater Quirine, tuque Mater urbium,
Strepente ſemper æſtuans negotio,
Diu valete; tuque lympha nobilis,
Ubi erudita Pallas ora proluit,
Paterque Phœbus aureum lavit caput,
Vocant enim beata ruris otia,
Choruſque mollis innubarum Oreadum,
Ioque Bacche, Mœnadum frementium,
Quibus reclamat ore Bacchus ebrio
Caput corymbo amictus, atque pampino
Decora vinctus implicante cornua;
Bibamus, eia, tempus, eia Mœnades.
Eamus ergò, ſeu vetuſta Tiburis
Juvat videre tecta, ſive Tuſculum.
Sed omnis antè cura acerba pectoris
Recedat uſque ad ultimam Britanniam,
Laborque durus inquietus exulet,
Amor ſit unus, una cogitatio,
Carere amore, cogitationibus.



Bernardino Cardinali Spadæ, ineunte anno 1651. bene precatur.

O pars altior incliti Senatus,
Cujus Romula gens ab ore pendet
In lætis ſimul, arduiſque rebus,
Noſtri præſidium, decuſque ſæcli,
Qui patrocinio tuo fideli
Omnes ingenuas tueris artes,
Artes ingenuas adeptus omnes;
Vultu illo excipe blando, amabilique,
Quo tamquam in ſolio ſuo renidet
Majeſtas Latii, decorque priſcus,
Propenſum obſequium meæ Camœnæ,
Dum Jani redeuntibus Kalendis
Vota concipit, aureoſque Soles
Tibi, ac Neſtoreos precatur annos,
Dexter atque utinam Deus ſecundet,
Quæ cum Solibus aureis Camœna,
Et cum Neſtoreis precatur annis.

Aulæa a fulmine illæſa, aureo tantùm limbo correpto.

Aurum corripuit fulmen; nil cetera læſit.
Non aliàs cecidit juſtiùs ira Jovis.

Faber ferrarius diurnum quæſtum ſcenicis ludis impendens.

Poſtquam laſſavit miſeros incude lacertos
Forcipibus verſans æra recocta faber,
Scenica ridendi ſtudio ſpectacula quærit,
Quoſque locat populo mimica turba jocos,
Hinc cœna infelix torquentes lumina cepæ:
Sic illi riſus vertitur in lacrimas.

Cùm

Cùm inhabitaret cubicula, quæ ſunt in fornice Vaticano.

Quas imminentes fornici vides curvo
Ædes inæquali ambitu, ſed arcano
Sacras receſſu, hortis virentibus lætas,
Miroque hyeme mediâ tepore vernantes,
Me ſumma Principis benignitas juſſit
Incolere; me, qui nuper improbæ nutu
Sortis reductum in angulum relegatus,
Qua bubo, qua diræ ſtriges catervatim
Ferale ab altis carmen integrant nidis,
Longe a ſodalium, atque ſolis aſpectu
Vitam in tenebris, ac timore ducebam.
Succede tectis, hoſpes, & loci felix
Genio fruare, dum recolligis vires,
Quas longa paſſus mille porticus fregit.
Hîc Phidiæ non ſigna, non Apellæas
Tabulas require; non teguntur aulæis,
Tyrio nec oſtro ſplendidi lares fulgent;
Sed omnium inſtar vultus eſt Alexandri.

Ad Alexandrum VII. Pont. Opt. Max. ineunte Pontificatus anno quarto.

Non indigna tui canerem nunc, Maxime Princeps,
Sed cohibet juſtus me, retinetque pudor.
Nam recolens lucem, tibi quæ dedit Orbis habenas,
Natalem celebrat noſtra Thalia ſuum.

Ad Villam Perettam in Agro Tuſculano, cùm Flavius Chiſius S.R.E. Cardinalis lentâ inibi febri detineretur.

Villa decus Latiæ telluris, candida Villa,
Credita cui domini vita ſaluſque mei;
Salve o depoſito felix, & pignore tanto
Factura egregiis urbibus invidiam.

Quod ſi quam felix, ſi quam formoſa vocaris,
  Vis quoque tam nobis dicier eſſe pia:
Redde illum precibus tandem mitiſſima noſtris,
  Et Romæ aſſiduis vocibus incolumem.
Spes fuit, his Juvenem recreatum dulcibus auris
  Non multos intra poſſe valere dies.
Urbis propterea grave murmur, & aëra lentum
  Deſeruit, cœlo poſthabuitque tuo.
Irrita ne facias quæ tu ſperare jubebas;
  Sed fac quod medicæ non valuere manus.
Omnia præſidia, atque artem conſumſimus omnem;
  Morbi evellendi nulla relicta via eſt.
Secta bis ardentem venis fudere cruorem
  Brachia, nec pedibus ſæva pepercit acus:
Non tamen idcircò penitùs deferbuit ardor
  Indomitus. per enim viſcera ſerpit adhuc.
Omnes experti ſuccos, quos Appula tellus,
  Pinguibus & venis India dives alit:
Non tamen Appuliæ, nec quos alit India ſuccos
  Attulerunt, ægrum quæ relevaret, opem.
Nil non tentatum nobis: nil profuit ægro:
  Quæque juvat cunctos, huic fuit herba nocens.
Hæret adhuc ſiccis vis morbi infixa medullis,
  Neſcius & ſtomacho cedere languor iners.
Jamque dies illum decies, heu! quinque jacentem
  Lectulus ingrato detinet hoſpitio,
Scilicet eſt illi ſedes inviſa quietis,
  Pluma gravis miſero eſt, ipſaque dura quies.
Nos verò intereà, FlavI cùm poſceret ægri
  Lapſa valetudo publica damna queri,
Colle ſuper viridi, nigraque ſub ilice lenti
  Ludimus imparibus carmina juncta modis.
Et nunc inſidias avibus, nunc tendere damis,
  Nunc juvat Albanos currere lintre lacus.
Ire nec aërii piget ad faſtigia montis,
  Unde humiles terras cernimus, & maria.
Sæpè ſuburbanas amor eſt luſtrare ruinas,
  Quæque jacent veterum tot monumenta virûm.
At-

Atque hic obliti curarum, Urbisque laborum,
Dicimus: o hominum gloria, spesque breves!
Vivamus dum fata sinunt, dum sanguis & ætas
Firma: venit celeri cana senecta pede.
Inde super mensâ discumbitur ordine longo,
Et loquimur multo libera verba mero.
Me tamen hæc inter domini languentis imago
Admonet in magnâ vivere tristitia:
Nec tantum precibus Divos onerare, sed ipsis
Ferre jubet saxis vota, precesque dolor.
Tu nostro, tu, Villa, precor, succurre dolori:
Istic jam luces bis jacet ille novem.
Pallor eat, maciesque omnis procul, & mala febris
Desinat alterno corripere ossa gelu.
Fac redeat pedibusque vigor, sensusque palato,
Occupet & tota lumina nocte sopor.
Fac revocent vires excusso membra veterno,
Floreat & læto pristinus ore color.
Sic tibi ne pinguem lædant mala gramina messem,
Nec timeat siccos vinea culta dies.
Sic quæ perpetuo velat nebula improba Romam,
Exulet æternum finibus illa tuis.
Sic tristes hyemes, & fœtos grandine nimbos
Juppiter intactis arceat arboribus.
Sed, cùm opus est, placidum demittat ab æthere, sensim
Qui sole arentem temperet imber humum.
Ipsa tuos colles vivaci Pallas olivâ
Vestiat, & Baccho certet amica Ceres.
Quique coloratos reditum meditatur ad Indos
Pomorum nullo vinctus honore caput,
Hinc legat Autumnus semper sibi poma, suasque
Conferat huc omnes fertilis annus opes.
Prætereà si fama tibi, si gloria cordi est,
Villarum fies tu quoque nobilium.
Nam tibi munera læta, tibi annua sacra feremus
Instructi citharâ, carminibusque sacris.
Huc ego cum Musis Parnassia templa potenti
Carmine traducam, Pieriosque lacus.

Hîc ederæ ſurgent, hîc laurus digna Poëtis,
Hâc ſe victores cingere fronde volent.
Tunc tibi Telegoni cedet locus omnis, & udo
Quotquot ſpectantur Tibure deliciæ,
Cedet & ipſa Paphos, ſemperque virentia Tempe,
Et fies hortis notior Alcinoï.

AD FELICEM ZACHIAM

In funere Natalis Rondinini Filii.
Ex Albano ſeceſſu.

Secretæ nemorum valles, mutique receſſus,
Et deſerta loca, & taciturna querentibus antra,
Quæ priſcos habitaſſe ferunt (& credere dignum eſt)
Mortales, ſine lege pios, ſine meſſe beatos,
Accipite hos ægro proruptos pectore queſtus;
Quos pietas, quos æger amor, luctuſque requirunt.
Et vos frondoſo ſurgentes vertice fagi
Me ſinite, erepti lugentem funus amici,
Illius æternum veſtris incidere nomen
Corticibus: meus hic ſaltem, dum ſtabitis, una
Vivet amor, luctuſque mei monumenta manebunt.
Me ſinite hîc viridi carmen, lacrimabile carmen,
Triſtibus ad citharam numeris diſperdere in umbrâ,
Quod recinant, qui ſe querulis ſolantur avenis.
Dulce queri miſeris: dedit hoc natura levamen.
Hoc animi, quæ vix umquam coitura putares,
Vulnera dictamno curat, mulcetque dolorem,
Plorat Ityn Progne; conſortem turtur ademtum;
Cæyca Alcyone, caſum Phaëthontis olores.
Scilicet & mœſtis implet nemus omne querelis
Flebiliter quærens abſentem bucula matrem:
Et nunc hæret inops animi, nunc arrigit aures,
Si qua forte procul crebris mugitibus inſtet,
Errantem admonitura ſui: nunc acta furore
Dat gemitus incompoſitos, & in avia fertur,
Terror Hamadryadum, ſtrageſque miſerrima ſilvæ.

Illa

Illa peregrinum, natorum oblita, juvencum
Per saltus sequitur, vel festa altaria circum
Flore revincta caput magnis cadit hostia Divis.
Justa quidem caræ jampridem solvimus umbræ;
Nec cineri amplexus, largus nec defuit imber
Funeri, ubi casu perculsi, ac vulnere primo
Sed præstans animi Natalis, & indole pulchrâ,
Constantique fide primis mihi junctus ab annis,
Triste sui desiderium, luctumque reliquit.
Ut me nulla dies solari, nulla queat res,
Cogar & in longos absumere lumina fletus.
Ergo sive aperit rebus lux alma colorem,
Sive aufert, umbrâ involvens nox humida terras;
Dilecti manes, dilecta occurrit imago,
Pallida languenti violæ, vel grandine tacto
Narcisso similis, frigentique ore videtur
Oscula ferre genis, & brachia tendere collo
Cara meo, qualem supremo in funere vidi,
Cum jam frigida mors oculis induceret umbras,
Me quærentem oculis, & pectore singultantem,
Cum Fernandus, amicitiæ pars tertia nostræ,
Astaret lacrimans; sancto mox cedere jussis
Officio lacrimis, Superos in vota vocaret,
Difficilesque obitus, animamque exire parantem
Cœlesti firmaret ope, ac prece fervidus omni.
Hæc rerum species animum noctesque, diesque
Infelix subit; hæc sensus mî surripit omnes,
Nec sinit a tristi curâ requiescere mentem.
Nam neque Castalides, mihi dulcia nomina quondam,
Quæ me illi ad laudem comitem, quamquã impare gressu,
Addiderant, & amore pio, paribusque ligarant
Auspiciis, possunt miserum lenire: nec ipse,
Quæ relevent ægrum, Phœbus pater invenit herbas.
Cetera, quæ pariter quondam oblectare solebant,
Omnia sunt ingrata: nihil juvat. Hæc loca certè
Ipse hic formosi nemoris gratissimus horror,
Et fortunati gelidus fons graminis altor;
Ipse lacus ridens, avium secura voluptas,

Silvarum decus, & Latiæ telluris ocellus,
In lacrimas queſtumque trahunt. Hæc ille ſolebat
Mecum animis, ſtudioque pari loca adire quotannis;
Hîc pariter mecum fugientes condere ſoles
Alloquio dulci, curarum oblitus, & Urbis.
Hæc illi regio dilecta: hîc ſæpiùs illum
Naïades pulchræ, pulchræ ſtupuere Napeæ,
Caſta Philetæis ſociantes carmina chordis.
Non tamen aſtrorum curſus, non abdita terris
Prodigia, aut ortus ventorum, vel maris æſtum,
Omnia adhuc hominum ſtudiis ignota, canebat:
Sed Chriſti Heroas, immoto barbara vultu
Supplicia expertos, ignominiaſque Tyranni;
Sed laudes Superum, & diæ virtutis honores,
Quæque docet verax, & fallere neſcius Auctor,
Humana majora fide penetralia rerum.
Inde ad Alexandri deflectens inclita facta,
Commemorabat, uti Saturnia ſæcla redirent,
Et probitas, & ſancta fides, jam Præſide terris,
Qui ſciret regni hanc molem non ære, nec auro
Stare, nec arte hominum, ſed relligionis amore,
Sed virtute animi, & veterum pietate parentum.
Illius auſpicio Latiis e finibus actam
Eſuriemque, gravemque luem; decora addita templis;
Reddita virtuti ſua præmia; reddita Muſis
Otia, & erectas artes; illoque ſequeſtro
Venturam populis poſt triſtia bella quietem.
Omnia, quæ ſummi quondam præſaga Dei mens
Cum fore proſpiceret, noſtræ miſerata labores
Gentis, Alexandro mandaſſet fulmina, & orbis
Imperium, quamquam magnis virtutibus impar.
Talia non ficto referebat carmine vates,
Si quando a gravibus curis, ſtudiiſque ſeveræ
Palladis, & doctis animum revocaret Athenis.
Rudera vel Latii, & priſci monumenta Senatus
Luſtrabat, veterum gaudens inciſa metallis
Ora virum, & ſculptas a tergo noſcere pugnas,
Gnarus & armorum. Nemo nam certius illo
No-

Norat, quæ belli ratio circumdaret urbi
Mœnia, quæ victrix aperiret machina muros.
Illum ego sæpe equitum stantes, peditumque maniplos,
Et pugnæ instructas acies, & Martia castra,
Prœliaque in docto scribentem pulvere vidi.
Tune igitur dulces auras, & dulcia nostræ
Pignora amicitiæ, tantarum in limine rerum,
Deseris, inque tuo surgentes nomine cunctas
Spes Latii perdis? nihil ergò ars docta medentûm,
Nil herbæ valuere? nihil flos vividus ævi?
Nec fratrum te cura vigil, nec sedula mater,
Nec dilecta Deo soror eripuere periclo?
Utque tuas parco delibem carmine laudes,
Non tua te pietas, non culta altaria, non te
Candida mens animi, aut doctæ facundia linguæ,
Non vis ingenii præstans, & ducta per omnes
Ingenuas artes, letho subduxit acerbo;
Cùm gentem innumeram, telluris inutile pondus,
Non nisi post seram mactet Libitina senectam?
O semper damnata pati fata aspera virtus!
Vidi ego perjuras, prædæque nocentis onustas,
Post longos pelagi errores, casusque per omnes,
Incolumes tamen ad patriam remeasse carinas:
Naufraga cùm gemeret puppis, quæ littore ab Indo
Tunc primùm niveis pacata per æquora velis
Ibat ovans, Divûmque aris pia thura ferebat.
Intereà casum ingemuit Romana juventus,
Fassa suum decus extinctum: ingemuere relictæ,
Et tibi ferali crinem cinxere cupressu
Pierides, fluvioque dolens Tiberinus ab alto
In mare visus aquis Tuscum dilabier atris.
Ipsum etiam dolor invictum tot casibus, ipsum
Flexit Alexandrum, lacrimisque in funere crudo
Pænè profanari cœlestia vidimus ora.
Quippe acre ingenium Pater æquus norat, & altæ
Semina virtutis, patrioque fovebat amore.
Nimirum ille, sacro solium stipante Senatu,
Principibus, te vate, dabat responsa benignus,

Voce tuâ solitus populos armare fideles,
Sive laboraret Venetus, seu tristis Enyo
Verteret Helvetiam seu bello assueta nefando
Suecia Sarmaticos vastaret milite campos.
Sed jam cesset inops dolor infelicia verba
Fundere Tu felix, Divorumque unus, olympi
Securâ de parte, nigris Aquilonibus actam
Serpere sacrilegam, populosque exurere flammam
Perque omnes volitare vides bella impia terras,
Pauperiem circum, miserasque ferentia clades.
Inde hominum genus, & casuras despicis urbes
Altior invidia, & Regum capita ardua calcas.
Quod tibi, si celsam mortalis gloria mentem
Tangit adhuc, non tu tabulis, nec marmore Lunæ,
Ærevc, quod Siculis miscent Cyclopes in antris;
Sed merito ipse tuo, & vatum sacrabere chartis.
Illa ruunt ævo tandem consumpta, vel igni:
His Lachesis, rerumque vices, & fulmina parent.
Nempe tuum posthac nulli violabile fato
Illorum fidibus vivet decus: hi tibi famam
Longius extendent vitali carmine, quam si
Marmore de Libyco, aut Ephyreio duceret ære
Graia tuam manus effigiem, vel barbara moles
Ægypti ad cœlum saxis audacibus iret,
Insanus labor, & solamen inane sepulchri.
Quin etiam (qui rarus honos) tibi Belgica plorans
Sollemnes struit exequias, & funera Clio:
Carminibusque sacris inscriptas littore in illo
Pyramidas statuit, laudum monumenta tuarum,
Æternùm mansura; licet sæpè illius oram
Littoris implacidum latè voret æquor, & urbes.
Sed neque me immemoris, si vera recepit Apollo,
Arguerint animi venientia sæcula: nomen
Quippe tuum, nosterque dolor, lacrimæque manebunt.
Nec tibi quæ mœsta inferias, ac debita mittit
Munera Alexandri multùm sublata favore,
Iverit ad seros ingloria Musa nepotes.
Tu verò Latias inter clarissima matres,

At-

Atque olim numero doctarum addenda sororum,
Urbis honos, Felix, lacrimis absiste profanis:
Neu nati turbare velis ingrata quietem.
Cùm Vaticanam facerem pullatus ad aram,
Servari quâ certa fides ossa inclita Petri,
Et requiem dulci, veniamque precarer amico,
Reddita, vel mihi visa sacro vox reddier antro;
Dic bona verba: procul feralia vota sacerdos.
Jam pridem cœtu Superûm, solioque receptus
Egregius juvenis: scelerum vix flamma piatrix
Distulit æternæ pereunti gaudia vitæ.
Nunc ille ætherio graditur spectandus in ostro,
Effigiemque Dei, cujus fulgore beantur
Cœlestes animæ, multùm sub imagine pulchri
Quæsitam in terris, manifestâ in luce tuetur.
Jam cœlo apparet medio, sidusque benignum
Collibus affulget Latiis, & lumine certo
Signat iter, quo nisa polum subit ignea virtus.

Cùm ad Aram Apostolorum in Vaticano novus Sacerdos primam hostiam Deo offerret.

Si te fessa graves mortalia corda labores,
Tactaque non ficta relligione movent,
Magne Deus, lacrimaque dolor tibi supplice victor
Iratam exarmat fulmine sæpe manum;
Respice, meque tuæ trepidantem accumbere mensæ
Ipse tuâ in sanctum duc penetrale manu.
Immunem posthac animum servabit ab omni
Labe Calix, succis qui scatet ethereis.
Sic mihi fas illinc potare oblivia rerum,
Quas avido appetiit gutture nostra sitis.
Si fallo, feriat læsas me fulmen ad aras,
Nec dantem pœnas pallia sacra tegant.
Si fallo, subito mihi terra dehiscat hiatu,
Tuque preces surda supplicis aure bibas.
An violare nefas legem cum quolibet icti
Fœderis, atque hominum sit mihi sancta fides?

Pro

Pro qua nil verear Siculis occurrere flammis,
Et media impavidum pectus in arma ruat;
Quæ tibi præsenti tactis juravimus aris,
Ferre leves patiar irrita verba Notos?
Mox aderis niveum crusti conclusus in orbem;
Me pavido arcanas ore canente notas:
At tibi ne grave sit nostris succedere tectis,
Sint licet innumeris hospita criminibus.
Quæ genio, & mensis vasa assuevere profanis,
Sæpè vides aram ponier ante tuam.
Multa, quibus coleris, cæcis mortalibus olim
Templa Paratonios exhibuere Deos.
Forsan & hic cineres servans locus, ossaque magna
Heroum, arcano quos habet urna sinu,
Vel scelerum addictus pœnis, rudibusve Latinis
Infandâ fuerat relligione sacer.
Hic veteres sisto exuvias novus hospes, ut Inda
Surgit odoratis ales ab inferiis.
Tristes exuviæ, vitæ miseranda peractæ
Effigies, animo luridaque umbra meo!
Sic horret maculas, nuper quas exuit, anguis,
Atque ipsum infelix terret imago sui.
Hei mihi! primævæ faciem, casusque juventæ
Dum tuor, & dubiæ cæca pericla viæ,
Quo surgunt horrore comæ; quam frigidus artus
Sudor, & occultum permeat ossa gelu;
Talis naufragium passus grave, respicit altum
Æquor, & in sicco navita pallet adhuc.
Quod si ille impatiens inopem traducere vitam,
Subducit quassam, restituitque ratem,
Tempestate iterum, & casu doliturus acerbo,
Denique Carpathiis præda futurus aquis:
Vos o adeste mihi, superi, vel tu mihi nigras
Iniice casuro Mors, precor, æqua manus.
Me tantas evectum ad res, tot honoribus auctum
Æquo animo juvenem tollere fata feram.
Jam mihi, florentes ex quo male perdimus annos,
Ter decimam supra tertia fluxit hyems.

Pars

Pars igitur vitæ melior, lucisque peracta est;
  Quamprimum incipient membra caduca mori.
Et jam (me miserum!) procul apparere senecta
  Incipit, antiquum stipite fulta latus:
Hanc Morbi, tristisque Metus, Curæque sequuntur,
  Quorum agmen claudens Mors quatit atra facem.
Et nunc quod vivo, quod spiritus hos regit artus,
  Munus id, o Custos Aliger, omne tuum est.
Pars ea noctis erat, qua solvere pectora curis
  Incipit, & pigro spargere rore sopor;
Ecce Quirinalis, nec opinio, murmure tractus
  Intremit, hortorum septaque lapsa ruunt.
Dumque ruunt, simili ad terram traxere ruinâ
  Secum una stantes e regione domos.
Quod nisi visum esset superis servare nocentem,
  Hos ego debueram tunc habitare lares.
Sæpius infelix tectum, multumque poposci,
  Nemo & poscenti dixerat: Æqua pete.
Non tamen exiguos exoravere penates,
  Apta vel æratas verba movere fores.
Quique omni facilis fuerat mihi tempore, durum
  Hac in re sensi, difficilemque virum.
Ergo ut visa loci facies, disjectaque saxa,
  Dirigui: cecidit vox, steteruntque comæ.
Nam mihi sum visus pars illius esse ruinæ,
  Et dici a populo prætereunte miser.
Tum mihi visa parens cadere exanimata dolore;
  Mox hæc singultus inter anhela loqui:
Hæc igitur de te miseram sperare jubebat
  De rebus toties fama secunda tuis?
Tune jaces subitâ discerptus, nate, ruinâ,
  Quem suevi columen sæpè vocare meum?
Sancta, quid in vestras tantum commisimus aras,
  O mihi perpetua Numina culta prece?
Nate jaces? nec te genitrix deserta videbit
  Amplius? ah diro funere rapte mihi!
Scilicet hoc magnis est inclarescere factis:
  Huc te mortalis gloriæ adegit amor?

Nonne fuit ſatius vota inter cara tuorum
  Ignotum patrio conſenuiſſe lare?
Quod ſi tollere te juvenem, mediumque ſecare
  Debuerat vitæ ſtamen acerba dies;
Ipſa tibi ſaltem clauſiſſem lumina: ſaltem
  Veniſſes oculis lætior umbra meis.
Infelix! & adhuc vivo tibi, nate, ſuperſtes?
  Et meus, ut moriar, non habet arma dolor?
Hæc ſuper extincto fudiſſet perdita nato,
  Quæque ſolent matres dicere verba piæ.
Intereà Superis tanto pro munere grates,
  Debitaque æterno ſolvere vota Deo
Attonitus caſu meditabar. Cetera noſti
  O Loiolææ gentis, Oliva decus.
Tu, quem acri ingenio, & laudis nullius egentem
  Ipſa ſuo Pietas imbuit eloquio,
Juſſit & auguſti moderantem frena theatri,
  Ad templi Proceres ignea verba loqui.
Tu mihi cœleſtes monitus, & dicta reportas:
  Hæc ego jam miles, te duce caſtra ſequor.
Te duce monſtra Erebi vici, nexuſque reſolvi;
  Fas eſt victorem ferre trophæa Jovi.
Irarum fibræ, fractique Cupidinis arcus,
  Pendebunt ſancto Teiaque plectra tholo.
Jam mihi, quò tenues umbras, & cæca viarum
  Diſpiciam, præfert lampada Dius Amor.
Ille ſuas etiam nobis accommodat alas,
  Unde humili poſſim me quoque tollere humo;
Ireque trans cœli metas æterna tuentem
  Gaudia, mortali non referenda ſono.
Quòd me ſiqua trahent terræ contagia, ſiqua
  Subjiciet cordi dira cupido faces;
Te, Chriſte, amplectar, lacrimiſque tepentia ſupplex
  Figam ſacratis oſcula vulneribus.
Illa dies ſubeat, qua te Judæa per omnes
  Traductum pœnas extulit exanimum:
Cum medio Phœbus defecit in æthere, & ipſum
  Fœdavit tenebris nox adoperta caput:

Seu

Seu totum involvit nigra formidine mundum;
  Seu tantum vultus, impia terra, tuos.
Impia, quandoquidem robur fatale tulisti,
  Unde Sator rerum triste pependit onus.
Tune refers spinas, tibi qui dat poma benignus,
  Et gravidas vites, & sata læta facit?
Tune tuis ferrum fovisti immane latebris,
  Divinum potuit quod penetrare latus?
Et merito, scelerum tantorum conscia tellus,
  Indigno vivis subdita servitio:
Jordanesque (nefas) sacer ille argenteus amnis,
  Et Silois collo turpia vincla gerunt.
Quodque nefas auget, tumulo, qui vicit Avernum,
  Obscœni insultant, Thracia turba, canes.
Heu pudor Hesperiæ, sæclique infamia nostri!
  Degener a proavis tuque juventa tuis!
Scilicet æternis Europam involvere bellis,
  Urereque immeritos gloria major agros.
Interea miseris pax suspirata colonis
  Exulat, & Latium vix tenet ægra suum.
Ter sedare faces belli conata; ter illi
  Absumsit pennas bellica flamma sacras.
Hinc meritò luget, nec adhuc se candida Virgo
  Audet Alexandri proripere è gremio;
Quò Christi pariter signatas nomine gentes
  Mittat in æternæ fœdus amicitiæ:
Armaque bellantûm civilia vertat, & iras
  Threïciæ tandem gentis in excidium.
Nunc quando alternas in clades armat Erynnis
  Christiadûm, oblitâ relligione, manus;
Nec Venetis longo fractis certamine quisquam
  Audet Alexandrum ferre secutus opem:
Tu, Melite, Odrysio nomen fatale Tyranno,
  I celer, & Latiis puppibus adde tuas.
Hellespontiacas audax invade procellas,
  Infer & Euxino candida signa mari.
Barbaricos latè ferro lustrate recessus,
  Et Scythicâ puppes clade referte graves.

I, decus Europæ, pubes assueta triumphis:
Gloria vos illuc non moritura vocat.
Placati nobis invertent Thracibus Euri
Æquor, & in Syrtes impia vela ferent.
Auspice Alexandro solvat pia littora classis:
Fuderit hæc hostem, fundet ut Ille preces.

In Philomathi Musas Juveniles.

Tandem pudori pone modum tuo
Fassusque vultus exere. Tu licet
Et nomen occultes, & ortus,
Dicere quem prohibebis: *Hic est?*
Laus una vatum nomina fortium
Flectente Ditem tollere barbito
Ab jure Parcarum; sed ipsos
Musa mori vetat æqua vates.
Te fama Thule novit ab ultimâ:
Te spreta prodit gloria: te colit
Germana pubes: te canentem
Itala jam celebrat juventus.
Seu ludis arguto pede; seu tubâ
Majora pandis; seu lacrimabilis
Sublimis incedis cothurno,
Dum Pharium scelus in severos
Producis actus; sive pericula
Dircæa tentas, Phœbus in ardua,
Terrisque, limosoque vulgo
Abripit impavidum relictis.
Latere Virtus nescia præpete
Sublime pennâ fertur, ut ignibus
Jungatur æternis. In auras
Nonne vides ut avita surgat
Quercus vetusto stipite nobilis,
Nam sub profundam quo latet altius
Demissa tellurem, supernas
Fronte ferit propiore sedes.
Non illa cladem sibila Thraciæ

La-

Latura campis, damnave Pontici
Furoris, aut Cauri procellas
In ſegetem pavet irruentis:
Immota ſed ſe mole regit ſuâ,
Annoſa centum brachia proferens,
Thracumque ſuſtentat cruentas
Exuviis onerata clades.

Ad Ferdinandum Furſtenbergium, Neapolim iturum.

Ergo age felici diſcedas alite, quando
Ire apparas Neapolim,
Dulcis ubi æternum ſpirat clementia veris,
Lætumque criſpantes mare
Floribus illudunt variis Zephyritides auræ,
Coluntque citrium nemus.
Multa quidem tibi Parthenope miranda ſub ipſo
Monſtrabit urbis limine,
Eductas cœlo moles, atque aurea tecta,
Et ſigna Phidiacæ manus.
Sed tibi, quo tegitur tumulo, ſit cura videndi,
Maronis inclitus cinis,
Quem memorant (credi ſi digna eſt fama) furorem
Afflare ſacrum vatibus;
Quare ibi poſthabito caſtas Helicone Sorores
Fixiſſe manſuram domum.
Illæ te excipient venientem, ac fronte benignâ
Sic alloquentes audies:
O noſtris addicte ſacris, generoſa propago,
Tuæque flos Germaniæ,
Lætus ades, noſtroſque velis luſtrare receſſus,
Vatum feraces grandium:
Seu Surrentinos amor eſt inviſere colles,
Dulci virentes pampino;
Seu magis arridet pulcherrima Mergilline,
Dilecta Syncero domus;
Seu juga Pauſilypi pelago prætenta ſereno,
Qua cœrulæ Nereides

Sæpe leves ducunt choreas Tritona ſequentes
  Curva ſonantem buccina;
Seu juvat irati tonitrus audire Veſevi
  Lateque nigrantes globos,
Sparſaque per campos ambuſti viſcera montis
  Candente merſos ſulphure.
Sed tibi ſcrutandi veniat ne dira cupido,
  Quæ cauſa venis abdita,
Pabula inexhauſtis tot jam per ſæcula flammis
  Tellure ab ima ſuggerat.
Te miſeri ſubeat fatum crudele Secundi
  Undante fumo hic obruti:
Namque Deus, rerumque vices, venturaque fata
  Latere mortales jubet.

In obitum fortiſſimi Viri Nicolai Serinii ab Apro confecti.

Dum flet dente fero Mavors heroa peremptum,
  In quem Aſiæ iratæ nil potuere manus;
Dumq; haſta premit ultor Aprum, & ſimul exprobrat illi,
  Quo Veneri placeat funus, Adoni, tuum;
Quid mea, clamat Aper, benefacta in crimina vertis?
  Hæc mihi pro gemino munere, Dive, refers?
Solliciti tibi materies erat alter amoris:
  Cura, metuſque tuis Thracibus alter erat.

Ad Leopoldum Mediceum S. R. E. Cardinalem.

Crediderat famæ de te præclara loquenti
  Indolis, & generis conſcia Roma tui.
Sed poſtquam ſacro te fulgere vidit in oſtro,
  Et verti in te oculos undique, & ora virum:
Sive vacas ſuperis, hominum ſeu commoda curas,
  Res ubicumque tuam publica poſcit opem:
Sive novas reperis, priſcas ſeu protegis artes,
  Impiger ingenio, munificuſque manu:
Seu renuis titulos, ſceptrique inſigne paterni,
  Fortunæ oblitus ut videare tuæ;

No-

Notus eras Medis, notus, Leopolde, Britannis;
Sed mihi adhuc, inquit, non bene notus eras.

De Pomis ex cera affabre fictis.

Naturæ invidiam, desideriumque palato
Ista movent docta poma creata manu.
Tam bene fraga rubent cum versicoloribus uvis,
Tam bene cum pepone ficus hiante viret.
Persica jurares modo lecta ex arbore mala,
Prunaque cum hirsutis cerea castaneis.
Quid memores uvam volucres quæ picta fefellit?
Auctorem hæc possunt fallere poma suum.

Ad Franciscum Barberinum S. R. E. Cardinalem, Episcopum Ostiensem, cum in insula Creta esset a nostris improspere pugnatum.

Eheu furori cedere barbaro
Coacta virtus! occidit, occidit
Invicta pubes: Galliæque
Flos canibus data præda Turcis.
Jam Cræta ferro diruta, & ignibus
Procumbit. Illam tendere supplices
Jam pæne palmas huc volentem
Odrysiæ prohibent catenæ.
Quo læta tollit cornua nuntio
Carthago, avitis effera cladibus,
Torvoque jampridem tuetur
Italiam, Tiberimque vultu.
Videre nostris jam videor trucis
Victum per æquor, vela Propontidis
Lunata, & Afrorum cruentas
Littoribus volitare puppes.
Non jam latronum more; sed (heu pudor!)
Late paventis nunc dominas maris,
Diram ferentes imparatæ
Urbibus Ausoniæ ruinam.

Frustra Garumnâ misit ab ultimo
Classem, & cohortes non timidas mori,
Mori ipse promptus pro salute,
Pro Latiis Ludovicus aris.
Nil Italorum fortia pectora,
Nil præpotens Germania, classico
Excita Clementis per omnem
Hesperiam rapientis arma,
Juvere: ab ipso nil lacrimæ, nihil
Clemente fusæ suppliciter preces,
Quibus Tonantis sæpe telum
Excutit e manibus trisulcum.
Non miles armis degener, aut Ducum
Culpandus error. Ipse juvat Scythas,
Et tradit invisam Gelonæ,
Progeniem Deus ultor hastæ.
Hic barbarorum spicula dirigens,
Dat nostra ventis irrita: hic æthera
Infestat, Ægæasque nostrum
Armat in exitium procellas.
Illum exuentis frena licentiæ,
Luxusque pravi crimina, & ædium
Movere sacrarum querelæ.
Ipsa quidem simulacra, & ævo
Collapsa Divûm templa refecimus,
Afro tegentes marmore: sed tamen
Ut nomen, exclusis, profanum
Fronte ferant, titulumque, Divis.
Non thura desunt mascula, non apes
Præbere cessant lumen Hymettiæ:
Gemmâque collucent, & auro
Pallia cum pateris Eoo,
Sed non probandis moribus inquinat
Aras Juventus, nec timet hostiam
Intonsus attrectare Diam
Sacrilegis manibus Sacerdos.
Et quas piorum prisca fides Patrum
Assueta duram pauperiem pati,

Fa-

Famem inter & cædes paravit
Divitias, malesuada sæpe
Libido perdit. Te pia jugiter
Juvante bella, tectaque pauperum,
Francisce, semotamque Goam,
Quas & inops rigat Ister oras;
Cui nostra Patres si similes duos
Ætas tulisset, Romulea in toga;
Versis videremus superbam
Flere Asiam Libyamque fatis.
Tu fata curas publica: tu viros
Ictu immerentes quos premit aspero
Fortuna, plebejusque livor,
Erigis, exulibusque dextram
Musis fidelem porrigis, & lare
Foves benigno: tu Latio decus
Priscum reducis; tu sepulchro
Docta rapis monumenta Grajum,
Adeptus artes, queis stetit Italæ
Hucusque gentis gloria, quas novâ
Urbanus auxit luce Princeps
Pieridum, columenque rerum:
Dircæa cujus barbitos admonet
Silere nostram: barbitos inclita
Quæ sacra personabat alto
Par animo, Imperioque major.

Ad Matthiam Naldum S. D. N. Medicum, & Cubicularium intimum. Ex lectulo.

Nalde, peregrinis famâ jam cognite terris,
Quem Phœbus pater eximio complexus amore
Edocuit citharæque modos, artemque medendi:
Fare age quî valeant herbarum tollere succi,
Vel saltem lenire sitim ægrotantis amici,
Quam mihi per cunctas paulatim didita fibras
Ossibus implicuit nuper febricula siccis;
Ut sive Eoo nos Lucifer axe revisit,

Seu convexa rubens accendit ſidera Veſper,
Irrequietus agar majori percitus æſtro,
Quàm quod Apollineæ ſpirat cortina Sibyllæ.
Ergo ſi quis aquæ frigens mihi rivulus olim
Viſus ab aërio clivo deſcendere: ſiquis
Muſcum inter viridem gelido manare ſub antro,
Perque cavam leni vallem manare ſuſurro:
Quicumque inſano fons fornice ductus in urbem
Mole ſuper tereti peregrinas explicat undas,
Aut vulgo ignotus ſecretos irrigat hortos;
Scilicet ille mihi ſemper ſe rivulus offert,
Illius ante oculos ſemper ſtat fontis imago.
Uritur infelix, & imagine creſcit in illa
Noſtra ſitis, ſequiturque ſitim ſitis altera major.
Præcipuè menti, deſiderioque recurrit,
Qui Ligurum ſaxis Tuſcos diſcriminat agros,
Apenninigenas inter non ultimus amnes
Macra parens, longæva ſalix cui litus inumbrat,
Cui centum herboſo paſcuntur margine Cycni
Aëra tranantes liquidum pernicibus alis.
Illius algentes ingreſſi ſæpius undas,
Squalida rimoſus cum Sirius ureret arva,
Vidimus innantes vitreo ſub gurgite Nymphas,
Et manibus nexus molles glomerare choreas.
Macra per umbriferam vallem pellucidus ibat
Flexibus incertis, atque inter cana volutus
Saxa, ſinus omnes nudabat pauperis alvei,
Suadebatque manu latices haurire rigentes.
Quamquam ubi contriſtat cœlum nimboſus Orion
Diluviem, tonitruſque ciens; exuberat ille
Spumeus, aggeribus ruptis, latèque Tyrannus
In mare fert pinguem limum, quo vendicat arvis
Litus; & antiquæ profert confinia Lunæ.
Hæc vigilans. Quòd ſi feſſos ſopor alligat artus
Albanos intrare Lacus, avido ſimul ore
Exaturare ſitim videor: nunc æthere aperto
Impatiens æſtus pluviam captare cadentem;
Nunc per amœna ſequi fugientem gramina rivum,
Bac-

Bacchatosque choris Nympharum accedere fontes.
Haud secus afficitur, cum tacta cupidinibus mens
Æstuat, atque illam specie seducit inani
Ambitio præceps, & amor malesuadus honorum,
Aut auri color, aut Erycinæ dulce venenum.
Quippe amens agitur, ceu Baccha concita Thyas,
Ictaque imaginibus variis huc volvitur, illuc,
Dum fiat voti rea; dum sitis ægra prehendat
Mortiferos latices, quos gutture ducat hianti.
Tu, cui secretas morborum pandere causas,
Et morbos relevare graves concessit Apollo,
Nalde, jecur seu lenta meis infixa medullis
Pestis edit, seu lethiferi vapor igneus astri
Inclusus venis arentia viscera torquet;
Affer opem, ac nostro facilis succurre labori,
Hæc ubi desierit miseras sitis urere fauces,
Vitiferæ tractus Albæ, juga læta, revisam,
Prataque purpureâ nuper renovata juventa:
Plectra manu, carmenque geram; stratique per umbram
Montis, Alexandri tecum referemus honores.

Ad Leonem Allatium V. C. ex Albano.

Alcidæ, Leo, comparande magno,
Dum mactas calamo subinde monstra,
Quæ fert in Latium Britanna tellus,
Aut serpentigenæ palus Genevæ;
Grajæ omnis Pater eruditionis,
Cui quamquam Patria est amata Baccho
Grajarum Chios Insularum ocellus;
Olim cùm tamen atra, edax vetustas
Delêrit monumenta litterarum,
(Hæc enim quoque diruet vetustas)
Certatim tibi Patriam fuisse
Smyrna, Ios, Colophon, Rhodosque, & Argo,
Et Pandioniæ volent Athenæ.
O Vir candidior tuis capillis!
O vitâ mihi dulcior sodalis!

Si in ruris licet otio jocari,
Farcimen tibi mittimus ſuillum,
Diſtinctum ſpatiis pares in offas,
Lucani quibus indidere nomen,
Quod fari hendecaſyllabi recuſant.
Vilem, atque è trivio (fatemur) eſcam,
Quam paucis emit aſſibus popellus:
Anni ſi tamen intuêre tempus,
Et quâ facta ſit arte, quo paratu,
Inter Regificas dapes habendam.
Hîc aromata fertilis Moluccæ,
Hîc baccas Arabum beatiores,
Et quidquid peregrini odoris uſquam eſt,
Factoris manus erudita cluſit:
Et, quod omnibus his magis placebit,
Antiquas tibi litteras amanti,
Sus, quæ conditur hoc ſub involucro,
Non de plebe ſuum eſt propago vilis,
Verùm, ut hi referunt mihi ſubulci
A priſcis ſibi traditum ſubulcis,
Jactat nobilium greges avorum,
Ac Trojana genus refert ad uſque
Clarum tempora, ſemine orta Porcæ,
Quæ ſub Ilice fœta nomen Albæ,
Et locum dedit Urbis. Extat Ilex
Tot poſt ſæcula poſteris videnda,
Cujus ſub placida ſolemus umbra
(In nos quæ Domini benignitas eſt)
Venâ fundere carmen affluenti.
Sed non hîc ego te diu tenebo
Albæ inter monumenta, origineſque,
Ne dicas, Leo docte: Sus Minervam.

Ad Clementem IX. Pont. Max. ineunte Pontificatus anno tertio.

Tertius ingreditur, populis plaudentibus, annus,
  Ex quo Roma tuis oſcula dat pedibus.

Ne-

Nescia labis eat, vota inter læta precantum,
Et resonet festis vocibus alma dies.
Neve illam nebulis offundat Creta laborans,
Quæ te curarum maxima discruciat.
Comprimet invictis Asiam Vincentius armis;
Inque tuum vertet nostra pericla decus.
Auspice te magni ponunt odia aspera Reges;
Et tibi se subdunt, & socia arma ferunt.
Europa in Cretam ruit omnis, & ultima Turcis
Fata per Ionium, Gallia classe vehit.
Moxque sequens tua signa, novo sub Rege, Polonus,
Arva triumphanti Thracia vertet equo.
Jam turpem trans Bactra fugam parat hostis, & omnis
Ad nomen trepidat barbara terra tuum.
Te multum ut timeat, non tam tamen illa timebit,
Altera pars orbis quàm melioris amat.

Ad eundem, in funere cæsorum Cretensi bello, ejus jussu apparatissimè celebrato in Basilica Liberiana.

Dum fortes lacrimis decoras, & honore sepulchri
Pro Latia extinctos Relligione duces;
Rumpitur invidiâ rupes Tarpeja, superbam
Opposito cernens surgere colle pyram:
Majoresque dolet quòd nunc defensa triumphos
Creta dat Exquiliis, quàm sibi victa dedit.



LUDOVICI FENAROLI

BRIXIANI.

De Imperatore Carolo V.

MArs Caroli in Lybicas magnus dum fulminat arces,
  Victorique parat dum ſpolia ampla Jovi;
In Jovi Ultoris magnus nunc fulgurat arces
  Britonii Phœbus, facta tonans Caroli.
O facta æterna hæc, o numina magna Deorum;
  Et Phœbi, & Martis, Britonio, & Carolo.

De eodem.

Africa dum Carolum patriis adſpexit in armis,
  Belligera adſpexit Numina cum Carolo.
Mox cum Aſia hunc Regem agnoſcet, tunc omnia in uno
  Omnes cognoſcent Numina, & imperia.
Dum Carolum Europa adſpectat victorem, & amicum,
  Pacifera adſpectat Numina cum Carolo.

De eodem.

Roma olim imperio potitur dum maxima rerum:
  Omnibus illa Deis maxima templa facit.
Nunc late Carolus dum maximus imperat orbi,
  Templa omnes Carolo maxima Dii faciunt.
Ergo ſi Carolo faciunt Dii maxima templa,
  Non Carolo facient maxima ſacra homines?

De Paulo Pont. III.

Carmine facta hominum vivunt, & facta Deorum:
  Et ſemper ſacrâ vivitur hiſtoriâ.

Car-

Carmine, & historiâ vivant licet omnia semper;
At Paulo vivunt carmina, & historia.

In fontem.

Naturæ his Genius se se miratur in undis;
Naturæ inspiciens numen, & artis opus.
Huic fonti, huic Genio, huic arti mira omnia cedant;
Fontis aquæ, Genii numen, & artis opus.

Epit. Latini Vecciæ Romani.

Romano priscos æquas dum Marte Latinos
Romanâ ante annos morte, Latine, cadis.
Sed moriens, bello exemplum, morti addis honorem,
Romanus factis, morte, animo, & genere.

De eodem.

Romanus Latio crescens jam magnus Achilles,
Romulidum indueras arma, Latine, ducum.
Atque uno in bello, & belli in discrimine primo,
Romulidum æquasti facta ducum moriens.
Quid si vixisses? priscis obscura Latinis
Fama foret, nobis clarior, & Latio.

De Victoria Columna.

Musarum, & Christi, & rerum, Victoria donec
Nobis defuerat, gloria rara fuit.
Musarum, & Christi, & rerum, Victoria postquam
Nobis adfuerat, gloria summa fuit.
Donec erit victrix vitii hæc Victoria; rebus,
Et Christo, & Musis gloria semper erit.

De eadem cum in Monasterio degeret.

Francisco dum læta suo Victoria nupta est,
Est data dos magno gloria magna viro.
Francisco peperit Victoria læta triumphos,
Maximaque in juncto est gloria parta toro.


Sed nunc nupta Deo Victoria sacra, triumphos
  Num paritura hominum est, an paritura Deum?

De Philippo Archinto Gub. Urbis.

Romulus antiquis fundavit legibus Urbem,
  Atque idem erexit mœnia, & Urbis opes,
Sed tempus leges, sed fatum mœnia, opesque
  Evertere; Urbis sic monumenta ruunt.
At tu, Archinte, tuis renovas nunc legibus Urbem,
  Atque auges idem mœnia, & Urbis opes.
Urbi vive igitur felix, Archinte, uti leges
  Vivant, atque Urbis mœnia, & Urbis opes.

JO: FRANCISCI FERRARII

MUTINENSIS.



In Principis .... interitum.

GAllia securo pulsanda est nunc pede tellus,
  Gratia nunc Regi est plurima habenda tuo.
Hic etenim curas juvenili in corde viriles
  Gestat, ut Alcides, monstraque sæva domat.
Ille tuus Briareus, tuus en Catilina parabat
  Exitium miseræ, perniciemque tibi.
Dumque graves Urbi casus minitatur, & Orbi,
  Conatu demens corruit ipse suo.
Carolus occurrens magna virtute rebellem
  Sternit, & aërii vota tulere Noti.
Immemor ille sui, furiisque agitatus, avito
  Sanguine posthabito, posthabitisque Deis;
Ceu lupus, insequitur puerum, quem jure tueri
  Debebat. Regi sanguine junctus erat.

Haud

Haud rapere erubuit ſua regia ſceptra nepoti,
  Nec puduit dominum perdere velle ſuum.
I nunc, vane dolis laudes tibi congere: nunc i,
  Conde triumphali nomina vana Domo.
Rem ſimul, & vitam, caros quoque perdis honores,
  Et patitur manes umbra ſuperba ſuos.
Heu quid non miſera ambitio, heu quid ſævus habendi
  Pectore mortali non potuiſtis Amor?
En belli rabies: miſcentur ſacra profanis,
  Sanctaque Relligio, proh ſcelus! ejicitur.
Evoe Bacche ſonant: ſua pro ratione voluntas
  Eſt cuique in Venerem plebs tua tota ruit.
Furta vigent paſſim, populari cuncta videntur,
  Tecta, urbes, arces, templaque ſacra cadunt.
Omnia vexabat late diſcordia; rerum
  Unaque non facies, non modus unus erat.
Tot mutaſſe ferunt dubios haud Protea vultus,
  Secta recens hujus dogmata quot variat.
Sæpe eadem diverſa labat ſententia eodem
  Tempore: quid levius commeminiſſe licet?
Abnuit, affirmat, mutat quadrata rotundis;
  Affirmat, renuit, quadra rotunda facit.
Dixerat at demum, ducat ſua quemque voluptas;
  In Venere, & Baccho convenit una fides.
O peſtem infandam, o crudelem, Gallia, peſtem!
  Nunc Regi plena lilia funde manu.
Trajano melior, forti ſimiliſque parenti
  Hic populos ſumma cum pietate reget.
Hic generis priſcos contendet vincere honores,
  . . . .
Credite compertum veracibus hoc mihi ſignis,
  Credite; nam teſtis jam mihi tempus erit.
Horribiles, rebus pacatis, verret in Indos
  Arma pati mollem neſcia deſidiam.
Tarpejas veniet victor ſublimis ad arces,
  Viſere clavigeri limina ſancta Petri.
Fas erit antiquos iterum tibi Roma triumphos
  Cernere, & Auguſtos, Scipiadaſque tuos.

Tur-

Turca ferox genibus minor hunc venerabere donis,
  Submittes Gallo colla ſuperba jugo.
Hujus ſuſcipies priſcos Germania ritus
  Virtute, antiquam tuque, Britanne, fidem.
Occidet hinc ſerpens, hinc fallax herba veneni
  Tolletur, paſcent pabula tuta greges.
Mox unus paſtor, mox unum fiet ovile,
  Carolus et mundo ſæcla priora dabit.

In Amorem.

Huc illuc volitans ſe tollit in aëra ſummum,
  Et cœli ingreditur limina ſævus Amor.
Cunctaque deſpiciens prædatur, diripit auſis
  Fortibus, atque ipſis vim facit ille Deis.
Aurea Mercurii levibus talaria plantis
  Eripit, atque arcum, caſta Diana, tibi.
Cuſpide Bellonam, clypeo, criſtaque comanti
  Exuit, incinctum Martis & enſe latus.
Alcide clavam, tibique, o Neptune, tridentem
  Detrahit, & magno tela triſulca Jovi.
Atque armis iisdem miſeris mortalibus acer
  Pugnat, & impavidus bella ſuperba gerit,
Et certent homines, cedunt cui numina? forti
  Pectore quis ſuperos vincere poſſe putet?
Hei mihi numen Amor nulli tolerabile vires
  Occulit immenſas corpore in exiguo.
Callidus eſt, quamvis blandum ſe præbeat ore;
  Eſt ſenior, puerum ſe tamen arte facit.
Apparet ridens, ridendo iraſcitur idem,
  Et lacrimas noſtris eluit ex oculis,
Inſtar habet Perſæ pendentem namque pharetram,
  Et media ipſa truci cuſpide corda ferit.
Exurit ludens, lethales ſpargit & ignes;
  Nam manibus flammas, queis cremat oſſa, gerit
Cunctaque perluſtrat pennis velocibus, alas
  Dimovet, atque Euros ocyor antevolat.
Omnia pervertit naturæ jura, profundi
  Hinc monſtra, hinc volucres, hinc pecus omne furit;
Te-

Tela quis illius valeat vitare; triumphum
  Cum cœlo, & terris imperiosus agat?

Ad Horatium Bladum.

Te Colchus, & Dacus atrox, volucresque Geloni.
  Te Rhodanum potans, te quoque discet Iber.
Ales Hyperboreos vises nitidissimus agros,
  Et Lybiæ syrtes, Herculeumque fretum.
Bosphorias victor tranabis, gurgite vasto
  Quasque iterum revomit dira Carybdis, aquas.
Antipodum adversas lustrabit maximus oras,
  Multaque vitabit pars fera fata tui.
Semper eris, Stygia numquam cohibeberis unda,
  Egregiis cresces laudibus usque recens.
Perpetuum feriet sublimi vertice nomen
  Astra, tuus semper Blade manebit honos.
Eja age, care puer, ceptum decurre laborem:
  Sedulus insistas, Tullius alter eris.

Ad eundem.

Mendacem dum me tua clamat epistola Bladi,
  Ad cœlum quod te laudibus extulerim:
Nodum eadem solvit, Latioque referta lepore
  Te meritum ostendit, me quoque veriloquum.

Ad eos, qui uxorem appetunt.

Tu quicumque voles uxorem ducere, magni
  Ante oculos semper dicta Biantis habe.
Ducito formosam; inducet tibi forma timorem:
  Turpis at æterni causa doloris erit.

Ad Cinciam de ejus filiola.

Ecce meas vestes, pretiosa monilia, gemmas,
  Ostendens Gracchos, maxima mater ait.

Thesauros vidisse tuos sic Cincia si quis
  Optat, respondes: en mea Olympiola.

In Insigne GREGORII XIII. Pont. Max.

Adspice cristati fulgentia colla draconis,
  Commisit proprium cui Deus ipse gregem.
Languentum ut Mosis sanabat corpora serpens,
  Sic noster maculas eluet ex animis.
Utque olim Pharios absumpsit dente colubros
  Mutata in speciem virgula vipeream,
Sic, Thracum genti qui nunc ferus incubat, anguem
  Hic teret, atque draco præda Draconis erit.

In Justitiam, quæ sedebat super caput ejusdem Pontificis.

Cur oculos velata sedes Astræa? suum ne,
  Lumine cum careas, reddere cuique potes?
Cui Dea: sufficient aures; ego lumina condo,
  Ne mihi perturbent lumina judicium.

Ad eundem.

Nomine, reque vigil sanctissime Gregori, alendas
  Commisit pecudes cui Deus ipse suas,
Ut modo vidisti missos Orientis ab oris
  Ante tuos ultro procubuisse pedes,
Sic jam tempus erit, cum Asiæ regnator iniquus
  Romano subdet colla superba jugo.
Vive igitur pater alme, instant majora peractis;
  Nam per te Christus littus utrumque colet.

In eundem.

Vectus ut in Latium serpens Epidaurius olim
  Languores pepulit maxima Roma tuos.

Sic

Sic hominum mentes ægras, animoſque jacentes
  Felſinea erexit miſſus ab urbe Draco.
Annua lux rediit, tibi qua dedit ille ſalutem,
  Aureus & cunctis aurea ſæcla tulit.
Bis decies ſaltem quæſo placidiſſima nobis
  Fulgeat hæc, cœlum ſerus & ille petat.

In Alexandri Cardinalis Cribelli inſignia.

Adſpice ſublimi demiſſa ancilia cœlo,
  His dabitur ſordes pellere Roma tuas.
Omnia manabunt noſtri ſub pondere Cribri,
  Hinc lolium infelix, hinc & avena cadet.
Horrea tunc Chriſti purgatis meſſibus idem
  Implebit, Mundus tunc quoque mundus erit.

In malos Principes.

Projiciunt nummos, inſtar frumenta ferentis,
  Dum ſubeunt primi regna novella Duces.
Hæc quorſum? populo mandant ſua ſemina, ut idem,
  Mox ſibi cum multo fœnore reſtituat.
Ni ferat agricola, at non colliget, ac ſemel anno;
  Una hi continuò ſed ſatione metunt.

Ad Hippolytum Capilupum.

Myſorum haud valeo poſtremus, Juppiter eſſe:
  Attamen efficiunt me tua vina Jovem.
Nam quoties Gandulfa bibo pretioſa, liquores
  Nectareos videor ſugere, & ambroſiam.

In eundem.

Me Phœbo ignotum penitus, doctæque Minervæ,
  Mirantur multi condere verſiculos:
Cumque Caballinis haud umquam fluctibus ora
  Proluerim, vatum ſcribier in numero.

Aonias fateor numquam vidiſſe ſorores;
Ignoro Phœbum, Caſtalioſque lacus.
Hippolytum novi cunctis virtutibus auctum,
Hippolytum Latio qui fluit eloquio.
Ille, quibus ſcribo, dedit atramenta benignus,
Et chartas; hinc eſt carmina quod facio.
Ille mihi Pindus, Parnaſſus, Pallas, Apollo,
Ille Hippocrene eſt, Pieridumque chorus.
Juſſerit Hippolytus, lauro dignabimur; aufer
Obſcurus fiet, ſi velit albus olor.

Ad Achillem Statium,

Sum Davanzati gracilis Ferrarius umbra,
Atque libens dominum perſequor uſque meum.
Ille igitur, Statii, quoties cœnabit apud te,
Ipſe adero, ſequitur corpus ut umbra ſuum.

Ad Laurentium Gambaram.

Laurenti, crines docto cui laurea cingit,
Cujus & excultum carmen ab ore fluit,
Quas referam grates meritis pro talibus? aut quæ
Ferrea dicturo vox ſatis eſſe queat?
Sit licet æterno ſimilis tua Muſa Maroni,
Albius & palmam porrigat ipſe tibi:
Te tamen in cunctos geris æque comiter, orbis
Te canat ut totus laudibus uſque novis.

Ad Jo: Hieronymum Catenam.

Surgeret a claro quod ſanguine, ſors fuit illi,
Obſcuro poterat qui jacuiſſe loco.
Quod fruitur natus patrio ſudore paratis,
Non illi, at parco eſt gratia habenda patri.
Sed propria virtute ſibi, proprioque labore
Qui laudem egregiam, divitiaſque parit,
Ille quidem populo merito laudatur ab omni,
Fortunæ fuerit quod faber ipſe ſuæ.

Mu-

Murice luxuriant tincta qua veste tyranni,
  Hæc eadem pecoris sordida lana fuit
Hærentem quamvis semper gestaret eandem,
  Muta fuit semper, cernua semper ovis.
Res sine virtute est projecta vilior alga,
  Immutat vestis nec pretiosa genus.
Simia purpureo quamvis decoretur amictu,
  Quamvis sceptra gerat, simia semper erit.
Cum sapiens valeas, quæ sentis, dicere, abunde
  Cum tibi contingant gloria, fama, lepos:
Cur mihi non liceat diti præferre poëtam
  Candidulum lingua, candidulumque manu?
Quantum humus ardenti cedit lutulenta lapillo,
  Umbræ corporibus, corpora quantum animis,
Divitias tantum virtuti cedere par est,
  Tantum carminibus, docte Catena, tuis.

IN BENEDICTUM MANZOLUM

Qui erat profecturus in Galliam.

Sic, eque, Gallorum rigidas vecture per alpes
  Manzolum, faveant Diique, Deæque tibi.
Sic pedibus pennas addat, ut more feraris
  Pegaseo, faciles æstraque dira fugent.
Curre precor cautus Graja en tibi creditur omnis
  Spes, decus Etruscum, & fama Latina simul.

Ad Rinaldum Corsum.

Nondum igitur satiata tuis adversa, Rinalde
  Tot fortuna malis. te mala vexat adhuc?
Nonne satis fuerat Thysbem cecidisse tenellam?
  Thysbem, luce magis quæ tibi cara fuit?
Nunc etiam eripiunt crudelia fata parentem:
  Proh dolor, o qualis femina deperiit!
Matris ut ipse refers vultum, sic candida mores,
  Atque animum natis rettulit illa sui.

Tu casum, ut semper, forti fer pectore acerbum,
Mortali natam conditione memor.

Ad eundem.

Pelias, ut quondam vulnus quæ fecerat hosti,
Auxilium hæc eadem vulneris hasta tulit.
Sic stomacho, pro te scribens, dum, Corse, laboro,
En tua me subito pharmaca missa juvant.

In ALOYSIUM ESTENSEM Cardinalem.

Hospes, & Manzolus.

H. Quis novus hic splendor? quæ lux tam lucida? mirũ,
Sol geminat radios, plus solitoque nitet.
M. Maximus en Heros toto notissimus Orbe
Estensis, Tyriæ gloria prima togæ.
H. Qui propria virtute micat, qui clarus avorum est
Sanguine, Dux casulas siccine tantus adit?
M. Non ideo superos veneramur, in æthere quod sint,
Nobile sed cœlum Juppiter ipse facit.

Ad M. Antonium Muretum.

Pontificem ereptum meritis dum laudibus ornas,
Pendentesque tuo cernis ab ore patres:
Eadem opera tibi Marce decus, tibi gloria crescit,
Et toto nomen spargitur orbe tuum.
Nec fuerat quisquam laudari dignior illo,
Nec laudare illum dignior alter erat.

Ad Silvium Antonianum.

Æneadum splendor, Silvi, clarissima virtus
Quem volitare virum docta per ora facit:
Tene Oratorem dicam, celebremve poëtam?
Nescio: utrumque tamen, namque es uterque, canam

Candidus ore, manu, ſiquidem tu fluminis inſtar
Dum loqueris, dulci diffluis eloquio.
Tullius es, quoties ſcribis ſermone ſoluto,
Æqui, paras docto carmine Virgilium.

Ad Paulum Paravicinum.

Plus hominem ſemper fortunæ juvit amicæ
Guttula, Palladiæ dolia quam ſophiæ.
Græcia ſic dixit: licet & ſit Græcia mendax,
Attamen hoc verum Græcia, Paule, tulit.

In Tarquiniam Molſam.

Tarquiniæ ſimiles aſtris ut vidit ocellos;
Urimur exclamans, urimur, inquit Amor.
Quo mihi nunc ignes? quove arcus? ipſe furores
Heu patior demens, experiorque meos.
Ridebat mater puerum, ſed percitus ira
Tum puer in matrem talia verba jacit.
Cede Venus, nam te per me Gradivus amavit,
Hæc me per ſe oculis perdidit ipſa ſuis.

Ad Antonium Bandinellium.

Femineos edat ſemper quod Julia fœtus,
O mihi Theſeo junctus amore, doles.
Hocque agis immerito: niveum cum ſæcla pudorem
Perdiderint, omnis langueat & probitas;
Nititur illa ſua ſimiles genuiſſe puellas,
Aurea quo mundo ſæcula reſtituat,

In Incendium.

Quæ fuerant vigili tandem conflata labore,
Igne ruunt, oculos dum tenet alta quies.
Quam male res cecidit; multos vix parta per annos,
Ah dictu infandum, perdidit una dies!

Ad Julium Masettum.

Quem gravi finem facies dolori?
Quem modum desiderio, Masette?
Ora gestabis lacrimosus ergo.
Humida semper?
Me tuis nempe exanimas querelis:
Nocte nam tota violenter urges,
Et die tota gemitu beatum,
Quæris amicum.
Flendus, heu, vobis cecidit Vitellus,
Flendus & nobis, pariterque Gallo
Flendus, ac Urbi generosus, idem
Flendus & Orbi.
Ille, cui castus pudor ille, sancti
Cui fides æqui soror, atque nuda
Veritas, quando similem videbunt,
Sive secundum?
Tristis excelsas pede pulsat æquo
Principum turres libitina, parvas
Vilis & vulgi casulas, precesque,
Votaque temnit.
Nemo desperet meliora lapsis,
Docte tu nosti, rotat omne fatum:
Luce sol nigras sequitur coruscas
Noctis & umbras.

Ad Dionysium Zanchium.

Alterum Musa tenui Maronem,
Dulcis o Zanchi, prece me fatigas
Ut petam, Pindi dominumque rauca
Voce lacessam
Scriberem vires animo obsequenti
Si pares essent; eadem sed ætas
Non mihi, non mens: lateo repostis
Abditus armis.

Gam.


Gambaræ magno, metuens Apollo
  Cui pater certet, rudis obstrepenti
  Ore concurram, veluti canoro
        Anser olori?
Labitur longas Phrygiæ per oras
  Pelle direpta, nimis insolentis
  Solvit atque ausi meritas revictus
        Marsia pœnas.

In Herculem Ciofanum Sulmonensem.

Dicitur Augeæ stabulum purgasse refertum
  Sordibus innumeris Amphitryoniades,
At novus Alcides, patriæ nova gloria vati
  Peligno priscum reddidit ipse Deus.
Nasoni debes, culte quod scripserit, idem
  Ciofano, mendas, Sulmo, quod abstulerit.

In Franciscam Ursinam.

Romanas ornat mira dum laude puellas
  Mutius, & lepido carmine ad astra vocat:
Aurea & hinc Helice rerum pulcherrima fulget,
  Atque Helicen, Helicen littus utrumque sonat:
Sentit, & indignans limis subrisit ocellis,
  Et puero Cyprius sic ait alma suo:
Quis novus hic rumor? quæ nova: hæc forma? revertit
  Calisto, summum ducere ab axe Jovem?
Est minor, est major, dicatur maxima Vesta hæc,
  Sideris in numerum tertia jamque volet.
Tunc Amor: umbrosa si conspexisset in Ida
  Hanc Paris, hujus erat, non tua palma, Venus.



IN HELENAM PARAVICINAM

Quæ ob tactum corpus cuidam Sandalio commitigavit caput.

Troius Argivæ digitum vix iniicit, illa
  Cum flagrat, Paridi dat quoque victa manus.
At Romana latus velle ut sibi sensit, acerbe
  Ultrici vim vi reppulit ipsa manu.
Illa sequens, Grajum maculavit crimine nomen,
  Romanum pugnans auget at ista decus.

In Jovis Quercum.

Errantes hederas ad sidera tollit Jacchus,
  Et teneras myrtos Cypria laudat amans.
Herculis invicti celebratur Populus ore,
  Tum Cybele Pinum jactitat alma suam.
Phœbe, canis laurum, felicem Pallas olivam,
  Juppiter at veniens; quid mea Quercus? ait.

Ad Fabium Carandinum.

Quid faciam Romæ, postquam respexit inertem
  Me bona libertas, quæris, amice Fabi.
Excussus propriis aliena negocia curo,
  Quæ saliunt centum per caput, atque pedes,
Et sponte, & nulla penitus mercede recepta:
  Quid mirum? nemo nascitur ipse sibi.
Non ego divitiis avidus postponere amores:
  Utilitas vulgo præbet amicitias.

In Camillum Capilupum.

Progenerat fortem præclaro semine fortis,
  Et vatem vates culte Camille creat.

Edi-

Edidit ex atavis te Mantua docta poëtis,
  Mantua Pierii gloria prima chori.
Quid mirum est igitur, si, currens amnis ab alto
  Monte velut, ferves, largus & ore ruis?
Vis patris in nato: Latio nam teste Phileta,
  Naturæ sequitur semina quisque suæ.

In Marcum Antonium Muretum Civitate donatum.

Hoste triumphato, spoliis orientis onustus,
  Dum repetis patrios alte Columna lares:
Pro populo meritas superis Muretus agebat
  Grates, facundo maximus ore ruens.
Admirata viri divinum Roma leporem,
  Proh, fluit eloquio Tullius alter; ait.
Comprobat hic Marci te nomen: verba ego rursum
  Prisca bibo, priscos audio læta sonos.
Nec mora: Romanis adscribit civibus illum,
  Et gremio gaudens confovet ipsa suo.
Hunc decorat titulis, ornantem ornatus ut ornet,
  Et Latium prisco floreat eloquio.

Epit. Virginiæ Tassoniæ.

Venturi genitrix miseræ mihi præscia nomen
  Virgineum imponit, Viginiamque vocat.
Ardet, & invitæ frater simul acrior instat,
  Effugiam ut tædas, o Himenæe, tuas.
Vicit Amor rationis egens, mea ille coëgit
  Subdere lethifero libera colla jugo.
Et sum juncta viro, & suscepi denique prolem:
  A partu, ah, morior protinus ipsa meo.
Innuptæ doceant vos o mea fata puellæ,
  Velle quod & frater suasit, & ante parens.

Epit. Magdalenæ Contugiæ.

Flete meos caſus nuptæ, innuptæque puellæ;
Fle quoque tu ſortem, maxima Roma, meam.
Illa ego quæ Paridis poteram formoſa morari
Judicium, & Paphiæ tollere mala Deæ,
Infelix, teneræ primo ſub flore juventæ
Juncta viro, hic jaceo, proh dolor! ante diem.
Quam male res cecidit miſeræ: ferienda ſagittis.
Corda Cupidineis mors fera tranſadigit.

Epit. Snarellorum.

Tres ætate pares uno ſub tempore febri
Intereunt; dominus, ſerva, marita ſimul.
Parthenope genuit: vir Cincius, uxor Amata,
Tertia Briſeis nomine dicta fuit;
Bis quater undenos implevit quiſque Decembres;
Vixere unanimes, unanimes obeunt
Ter vidit junctos meſſis vigeſima; ſeptem
Luſtra per hæc gratum præſtitit obſequium.
Felices, quibus una dies fuit ultima, & una
Ætas, gens, morbus, fata, ſepulchra, lares.


Epit. Magnatis.


Tendimus huc omnes, hæc eſt domus ultima, finem
Hanc hominum curis impoſuere Dei.
Eja agite cumuletis opes, cumuletis honores;
Parva teget tellus hæc cumulata tamen.
Cui modo ſurgebant omnes, diviſque putarunt
Eſſe parem; hic humili, cernite, condor humo.
Nulli fata parent, omnes heu, una manet ſors:
Flectitur ad nullas mors violenta preces.



In Obitum Alexandri Melani.

Ut mortem ſuperi docto novere Melano
  Indictam, fatis præcipiente Deo:
Extemplo magnis cœlum clamoribus implent
  Mercurius, Pallas, Phœbus, Amorque levis.
Quid Divum terras ſpolias crudelis honore?
  Eripis, heu, noſtræ quidve decus Mutinæ?
Sancte parens homines nitido ſine ſole relinquis:
  Præterea & quiſquam numina noſtra colat?
Juppiter hæc contra: ſublimem ingreſſus olympum
  Ille novis creſcet laudibus u que recens.
Deſero nec Mutinam, ſupereſt en altera Sappho
  Tarquinia, illa Helena pulchrior, & Venere:
Illa decem per quam numero crevere ſorores,
  Additaque illa eadem Gratia quarta tribus.





ZACHARIÆ FERRERII
VICENTINI.

Lugudunense somnium de Leonis X. Pont. Maximi ad Summum Pontificatum divina promotione.

Ad Franciscum Soderinum S. R. E. Cardinal.

SYLVA.

SOderiniadum soboles excelsa parentum,
Atque Fluentinæ rarissima gloria gentis,
Cui Romana dedit sublimes purpura fasces,
Et Volaterranæ remanent vocabula mitræ;
Cui vivens addictus ero, cui mortuus omnis
Sacrabo virtutem animi, Francisce, perennem
Sub testudineo coëunt ubi Arar, Rhodanusque,
Nocte lacunari clausus nonnulla legebam
Stemmata Semideum (ni fallat opinio) coram
Pagina monstrabat magni mihi principis ortum,
Actaque; qui functo vitam genitore subegit
Urbanum imperium, postquam suspexit in axe
Christiferæ vexilla Crucis, vocemque triumphum
Pollicitam audivit, palmamque ex hoste ferentem:
Quique salutari tingens pia membra lavacro
Dira elephantiadis pepulit contagia lepræ,
Tantaque Romuleo concessit munera patri,
Ausoniam, quidquidve cadens sol occupat, auri
Fulcimenta, decusque ingens, sceptra, atque secures
Cæsareas, diadema triplex in vertice sancto;

At-

Atque Palatinas ædes, Bisantiaque arva
In sua delegit; quum mox invadere cœpit
Me sopor, & jussit concedere membra cubili.
Grata quies aderat; stertebant ebria somno
Guttura servorum, quos cella propinqua tenebat;
Et lychnum ardentem pascebat Palladis humor.
Alta Dionæi repetebant æquora pisces
Frontibus occiduis, ariesque Ammonius ardor
Signiferæ princeps, primusque auriga coronæ
Limen Apollineis reserans ingressibus amplo
Aurigerum vellus procul ostentabat olympo;
Pleiadum cœtus vicinos ibat in ortus:
Omneque sub verno nemus instaurabat honore.
Dormio. Me variis tunc ardua somnia versant
Subter imaginibus, ferrique per astra videbar,
Et rapidis sulcare leves tranatibus auras.
Efferor a terris plusquam juga Pelion alta
Elevet Æmoniis, Othrisque, & Pyndus in arvis.
Transeo perpetuis frigentem algoribus oram
Aëris, unde cadunt tenues in gramina rores;
Atque pruinoso tellus canescit amictu;
Qua fera larvarum illuvies ex æthere pulsa
Truditur assiduis tenebris, & carcere cæco.
Qua Notus, & Boreas æterno murmure certant;
Atque cient nymbos, tonitruque, & fulgure verrunt
Nubila, sulphureæque ruunt in fulmina petræ,
Et qua cæruleis grando de nubibus exit,
Hibernæque nives celsas sparguntur in alpes.
Accipit æthereos hic pars elatior ignes.
Sideribus tractos ima a tellure vapores
Huc accendit, & in varios ea flamma cometas
Format, & insolitos didicit portendere casus.
Illæsus penetro non exurentis apertum
Ignis iter; recipitque suo me Delia circo;
Quæ sub Agenoreo deducens cornua tauro
Irrorabat aquis terras, pontumque movebat.
Non potui satis admirari ut sideris orbem
Tantæ molis ego aspexi, cui parva videtur

His

His brevibus terræ ſpaciis exiſtere formæ.
Reddidit aſtrorum motus Pæana ſonorum
Auribus, & ſonuit toto ſymphonia cœlo;
Ac ſuſpenſa diu tenuit præcordia cantus.
Inde per Hermetis fulgentia limina grati
Aſcenſus patuere. Hilari me ſuſcipit ore
Sydus, & immenſo tonuit rota lucida plauſu.
Mite ſalutavi jubar. O ſalve optime, dixi,
Rhetor, & ingenuæ linguæ facunde magiſter.
Influis ingenii tu vim, facis ora diſerta,
Quæ moveant lapides, & viſcera cruda ferarum
(Nedum hominum ſenſus, humanaque pectora) tu fers
Nectar in Eurotam, dulcemque Heliconis in undas
Amoroſiam, laureta tuo ſpiramine Delphi
Tollit, & in placidum carmen prorumpit Apollo
Te Ciceronæi patres, te ſancta Maronum
Agmina, te ſacri ſophiæ venerantur alumni.
Auſpice te ſuave cantavit Lesbia virgo,
Heroas didicit ſuras redimire cothurno
Te, Colophone, ſatus; ſylvas Æagrius Orpheus
Traxit, & Andinus validis ſua carbaſa ventis
Explicuit vates, magnumque tetendit in æquor.
Te Pherecidiacam navavit Tullius artem
Remige; & orandi varios Demoſthenis auſa eſt
Lingua per anfractus altum tranſmittere pontum.
Nicomachi proles acie penetravit acuta
Te duce quidquid habet rerum natura latentis;
In Superoſque parum referens ſe ſe altius illo
Divus Ariſtocles plura e cœleſtibus hauſit.
Hæc tibi conceſſit ſummus dominator olympi
Munera, & his titulis inter tu ſidera præſtas.
Jure tuas igitur laudes cantare tenemur,
Et tua jucundo decernere lumina vultu.
Hæc ubi dicta, hilari Cyllenius annuit ore.
Scando magis Seſe Venus obtulit aurea nobis.
Alipedes urgebat equos Hyperionis alma
Progenies; cui ſe jungens Erycina venuſto
Ore ſerenatam ſpargebat in æquora lucem;

Et

Et vitreos ſtillans in Gallica rura liquores,
Et violas ab humo ducens, & ab arbore flores
Reſtituebat opes, redivivaque paſcua campis.
Exupero Paphiæ gyrum, Phœbæáque tecta
Ingredior toto lucem ſpargentia cœlo.
Admirande nitor, mundique ampliſſima lampas,
Inquio, quæ obliquo numquam diſcedis ab orbe:
Atque viam rediens obſervas ſemper eandem
In medio Cœli ceu rex geris aurea ſceptra,
Et nocturna tuis ſplendoribus imbuis aſtra.
Tu vitale decus, tu lux, tu regula rerum.
Sic pater omnipotens voluit, ſic maximus auctor
Inſtituit; profers tu ſemina, & entia ſervas.
Ipſe ſalutiferum mittis medicamen in herbas.
Te duce Phyllirides componere pharmaca novit,
Anguiferuſque ſenex ægris inferre ſalutem.
Plectere dulciſonos docuiſti Amphiona nervos
Tu pater Aonidum Delos tua, Cirrha, Rhodoſque,
Sunt tua odoratæ Tempe ſuaviſſima Daphnes;
Eſt tua Dircæi docti ſſima gloria ſaltus.
Quidquid habet Delphi, quidquid Cynthi ardua rupes
Sunt tua Traicio vati tu plectra, lyramque
Formaſti, fidibuſque melos cœleſte dediſti.
Exeo Tymbrei domibus, tendoque cruentas,
Confectaſque diu tabo Mavortis ad ædes.
Sanguineas vidi hic flammas, vultuſque minaces;
Armaque multiplices cito portendentia mortes
Chriſtigenum, cæſiſque ex undique & oppida, & urbes
Plena cadaveribus, maculatos ſanguine campos,
Et vada purpureo late ſtagnata cruore,
Sicut apud Cannas, veluti Traſimena per arva,
Sive Placentinas Trebiæ labentis ad undas
Æneadas, Tyrioſque inter certamine facto.
Inſonuiſſe meis viſæ ſunt auribus atræ
Plangentum voces ſua mortua pignora matrum.
Obſtupui tremefactus ad hæc ſpectacula, & alſit
Spiritus, obriguit ſanguis, mens horrida manſit.
Vividus abſceſſit color, & vox faucibus hæſit,

Non ſecus ac quando quiſquam per inhoſpita ſolus
Exerrat ſpelæa, videns inſurgere contra
Se ſcytalem, aut ſepas, vel guttura ſæva draconum,
Territus exhalat gelido de corpore vires.
Eminus aſpexi quorſum me vertere poſſem,
Ut fugerem triſtes accenſi ſiueris iras,
Atque oculos alio tanta de ſtrage referrem.
Occurrunt ſteriles ſpacioſo in vertice campi,
Quales circa Æthnæ combuſta cacumina degunt,
Qua Sicanus ager tumulos portendit in æquor,
Sive in arenoſis Libyci regionibus Auſtri
Æthiopum effœtis torrent ubi ſolibus arva.
Huc ego ſeceſſi plorans immania fata
Martis, & Oenotrias Bacchantia bella per oras,
Non habitura adeo finem, metamque propinquam,
Ceu penſat diſcurſus iners, & opinio fallax.
Italiæ caſus, & longa piamina flebam;
Ceu quando amiſſam dumeta per invia Tisbem
Pyramus ingemuit ſortem miſeratus amicæ;
Aut quando Andromachæ extinctū ſuper Hectora flevit;
Sive ſuper Priami funus mæſtiſſima ſocrus:
Atque ſuper Solymam vates Helchiacus urbem.
Mos erat Auſoniis numquam trepidare; ſed hoſtem
Inſequi, & in pugnas animis præſtantibus ire.
Nunc fera barbaries Italum nil pendere Martem
Audet, & Italidæ, ſoliti ſuperare, fugantur,
Femineum genus effecti, ſeu corda pavori
Dedita. Nam propriis olim qui viribus orbem
Vicere, utuntur peregrino milite, quando
Nunc opus eſt moto patriam ſervare duello
(Proh pudor!) impatiens ægit diſcordia nobis
Hoc funeſte malum, & vindictæ effræna cupido.
Adde, quod & ſcelerum vindex Deus omnia juſta
Pergere lance ſinit, dignoque nomiſmate ſolvit.
In nos, o ſuperi, qui tam diuturna movetis
Prœlia, ſat luimus tanto jam funere culpas;
Atque amiſſarum tanto diſcrimine rerum,
Tam longoque metu; peregrina per arva vagati
Sat

Sat ſumus, ut puppis variis impulſa procellis
Huc, illucque Notis, Euris, Zephyriſque ſiniſtris.
Parcite, & ah tandem generis miſereſcite noſtri.
Sic ibam triſtis nullo ſolamine fultus.
Dumque acies verto, ſi quem decernere poſſem
Qui mihi anhelanti, pavidoque levamina ferret,
Quattuor hic vidi nymphas; quarum una ſeorſum
Sola ſedebat, & ingenti mœrore ſepulta
Eſſe videbatur. curiſque immerſa profundis.
Tres aliæ junctæ ſimul, atque reciproca verba
Miſcentes ibant hilares per inertia prata.
Una inter geminas (quæ formoſiſſima) claro
Murice ſplendebat, gemmiſque inſignis, & auro
Præcedebat iens, & jucundiſſima vultu
Sæpius in noſtram figebat lumina frontem;
Inde etiam proſpexi aliam, cui venter obeſus,
Triſte ſupercilium, frons impia, & uvida membra.
Quinta erat, & volucro nivei velaminis acto
Cingebat ſublime caput, greſſuque citato
Jungere ſe reliquis tentabat forte puellis.
Hic animo ſuſpenſus eram, cupiduſque petendi,
Quæ nam quinque forent hæ, cur & bella perhorrens
Femineus coleret Mavortia limina ſexus,
Quid quoque tam diræ clades inferre volebant,
Qui mihi narraret, cupiebam offendere quemquam.
Nec mora, de clivo ſenior veniebat aprico:
Cui facies herois erat, cui maximus ori
Splendor, & ætherius decor, ac cœleſtis imago:
Byſſina erat chalaſis: circum zona aurea renes.
Circum colla ibat gemmis ditiſſima torques,
Præcinctaſque ſuper veſtes hyacinthina palla:
Plurima canicies mento: Peneia laurus
Stringebat niveam permixto bacchare frontem:
Stellabatque manu nitido carbuncu'us ore.
Majeſtate viri attonitus, nilque auſus eunti
Appropiare pedes, ſiſto, & veſtigia figo
Ille in me vertens obliquo tramite greſſus
Talibus incœpit mox compellare loquelis:

Heus, o Pieridum cultor, divumque minister,
Qui tua divinis cessisti tempora chartis.
Et superum sanctis didicisti accumbere mensis
Terrenæ non molis adhuc, & corporis expers;
Quid pavitas, & cur tanto mœrore teneris?
Neu metuas, tantumque animi depone dolorem.
Nam licet immites irato ex æthere mortes,
Infaustosque dies homini Mars ipse minetur
Terrigenum pravis id deposcentibus actis:
At sator omnipotens, cujus clementia major
Criminibus cunctis contra hæc incendia, & œstrum,
Aspectusque graves, bilem, influxusque malignos
Protulit ardentem stellam, sydusque benignum
Nuper, ut ætherium virus, dirumque furorem
Placet, & a terris Cœlorum eliminet iras.
Pontificem summum (quia jam migraverit ægris
Julius e membris senio confectus, & annis)
Delegere poli de tot mortalibus unum,
Qui mira probitate animi, ac ingentibus ausis
Temporis exigui post intervalla Latinas
Pacabit terras, longave quiete potiri
Efficiet, votumque omnes connectet in unum
Christigenum mentes, & conciliabit amorem
Perpetuum populos inter, regesque, ducesque,
Et quamvis talus scelerum purgare manentes
Relliquias expectet adhuc; hæc omnia cedent
Februa ad æternæ tamen incrementa salutis.
Post longas hominum clades diuturna videbit
Gaudia paciferæ, jucundaque tempora vitæ,
Excussoque jugo, duraque tyrannide gentis
Barbaricæ, stabili sub libertate manebit.
Sicut quando Notus piceo velamine totum
Cœlum operit, longosque pluit de nubibus imbres
Sive agitans Neptunus aquas spumantibus undis
Prolixo insequitur titubantes impete nautas;
Quando serena redit lux, & tranquilla quiescunt
Æquora, fixa manent, & multo tempore durant;
Sic longos gemitus sequitur diuturna voluptas.

Pax

Pax optata diu toto firmabitur orbe:
Nullibi ſtridentes litui, non arma ſonabunt:
Omnibus applaudet dulci concordia vultu:
Martia in herbiſecas redigentur ſpicula falces:
Et fodient ſegnes incurvis enſibus agros
Ruricolæ, tutuſque ibit gravis ære viator.
Iſta ſenex; cui dum vellem me flectere curvis
Poplitibus, vetuit, juſſitque incedere ſecum.
Dive ſenex, qui læta mihi fers nuncia (dixi)
Te ſupplex exoro, tuum mihi pandito nomen;
De quibus es ſuperis, & qua ſtatione potiris
Inter cœlicolas (ni te hæc mea cura fatiget)
Quid ſibi quinque velint nymphæ, & tot cæſa virorum
Corpora; quæ cuncta hac vidi Mamertis in ora
Declarato, meiſque rogo, pater, annue votis.
Ille alacri vultu dedit hæc reſponſa: Fatebor,
Huc ego ad hoc veni pulchro de limine divum;
Magna ſeneſcentis dicam miracula mundi,
Et tibi narrabo per plures ſingula partes.
Ipſe genus, nomenque meum, patriam, ſtudiumque
(Poſtquam audire libet) referam prius: inde Gradivi
Viſa per ardentes acies ex ordine pandam.
Eſt natale ſolum mihi Tuſca Fluentia rubro
Flore nitens, jucunda ſitu, ſpectabilis Arno:
Aligera de gente ſatus civilibus armis
Exilium tolerare, domoque exire coactus
Pluribus erravi terris peregrinus, & hoſpes.
Ille ego ſum Dantes, cui plena Aganippidos undæ
Pocula miſerunt; & cui vernacula ab alma
Phocide venerunt faciles in carmina Muſæ.
Regna peragravi Senonum: gymnaſia vidi
Cecropydum devecta ab agris in Parriſiorum
Mœnia Sequanicis undis præclara: duobus
Pontibus excelſis inſignia, & hoſpite multo.
Alta ibi propoſui problemata, diſſeruique
De rerum natura, & tranſcendentibus aſtra;
Quæ ſunt humanis oculis abſcondita prorſus.
Scripſi ego de ſuperis rebus: ſcripſi entia mundi,

Quæque ſub incurva cœli teſtudine degunt.
Et Phlegethontæos amnes, & Tartara regna,
Pervia quibuſdam conceſſo ex inde regreſſu,
Pervia nonnullis ſine ſpe, ſine lege receſſus.
Ipſe monarchæam dicens fore Cæſaris unam, &
Terrenum imperium nil dependere Latino
A patre, qui toto Chriſti vice præſidet orbe,
Erravi (tamen abſque dolo) multiſque diebus
Ante mihi, quam ſe facerent empyrea tecta
Cognita, & intrarem ſecreta cubicula divum
Tenareis arſi Cocyti in limine flammis.
Applicui tandem poſt longa pericula tuto
Littori, & in placido ſolvi mea carbaſa portu.
Aureolæ ſociata caput mihi laurea cingit;
Aureaque immenſum ſuperaddunt ſerta decorem,
Quum fruar æterna ſupremi numinis aura,
Et liceat ſemper divinos cernere vultus.
Talia dicebat. Rumpens ego verba loquentis
Vertice nudato dixi: ſanctiſſime vates,
Qui ſtudiis tantis cœleſte cacumen adiſti,
Parce precor, ſi te fidentius alloquar; unum
Sciſcitor; en ſuperi, quando de limine cœli
Exiliunt, videant ſemper magni ora tonantis.
Neu dubites (inquit ſenior) nam quum ſit ubique
Ipſe Deus præſens, & contemplabilis omni
Spiritui, quem ſummus apex attollit olympi
Inter Cœligenas; quocumque inceſſerit expers
Numquam erit intuitus divinæ frontis, & uſquam
Haud jejunus erit dapibus cœleſtis eduli.
Sed redeamus ad incœptos ex ordine verſus;
Quandoquidem tali cauſa deſcendimus ad te.
Progeniem, nomenque meum, vitam, atque penates
Audiſti brevibus dictis. Ad myſtica ſigna,
Quæ modo vidiſti ſermonem extendere fas eſt.
Non ego Perſephonem raptam, non Phyllidis ignes,
Non Cypriæ formam, aut Tyriæ Didonis amores:
Non ego Paſiphæ coitus, non ora Meduſæ
Contexam; ſed nota dabo myſteria certis

Cir-

Circumſcripta modis, & demonſtrata figuris;
Quæ incepere tuis e magna parte diebus.
Quinque puellari vidiſti in cyclade nymphas;
Quarum ſola ſedens una eſt, atque anxia curis.
Tres incedentes hilares; lætiſſima vero
Quæ præcedit, & in medio pulcherrima vadit.
Quinta procul veniens reliquis ſe unire laborat
Circumſepta caput lino, ventroſa, ſevera.
Quamvis tota tribus diſcreta eſt machina terræ
Silicet Europæ, Libyes, Aſiæque lacertis;
Magna tamen ſynodus Romano accita parente
Omnibus e mundi patribus ſub quinque redacta eſt
Gentibus; ut paribus zonis ſecernitur orbis.
Quattuor occiduæ: Auſonia, & gens accola Rheni
[Quamquam ſit potius ſeptem connexa trioni]
Gallia, & Heſperiæ regio, quam dicit Iberus;
Quinta reſurgentis Phœbi ſignatur ab ortu.
Omnes æquali ſunt relligione ſorores
(Degenerare licet voluit pars maxima quintæ
Sub Machometæis deluſa erroribus olim,
Atque ſalutiferæ facta adverſaria legi)
Quæ mœret diſiuncta ſedens eſt Gallia, quæ nunc
(Quamquam tota ſimul non. ſed pars infima tantum,
Quæ trahit inviti ſecum moderamina regni)
A reliquis diviſa manet ſub ſchiſmate facto.
Illa opus incœptum cernens ſubſiſtere nullo
Robore, & a ſuperis exploſum, cogitat unde
Palliet errorem, quodamve colore reperto
Sit ſine dedecoris macula, & ſe jungat ovili;
Unde receſſiſſe eſt ſine portu, & remige, & urſa
Incertum per iter dubio ſe credere ponto.
Adde quod & cuneis hoſtilibus undique preſſa
Languet, & immenſas premit alto pectore curas.
Talia narrantem obſtupui, digitoque labellum
Compeſcens habui tremulum ſine ſanguine pectus;
Diſſimulo tamen, atque tego ficto ore timorem.
Dicta ſequebatur ſenior, ſeriemque loquendi:
Tres aliæ (dixit) quas æquo incedere greſſu

Aſpicis: Italia, & Germania, & Hiſpalis ora
Cognomenta ferens ſunt. Uno fœdere junctæ
Relligionis agunt cœtum, generaleque patrum
Concilium, qua ſunt Laterana palatia ſancto
Præſide Pontifice, e totoque petentibus illuc
Orbe ſacerdotum turmis Roma undique plena eſt.
Quæ reliquis præſtat, mediumque habet inter utramq
Læta gradum, rubicunda genas, & eburnea collum,
Luminibus Phœbo ſimilis formoſior omni
Tyndaride & Pandora omni, Phrygiaque Cybelle
Comptior Europæ caput eſt Oënotria. Geſtit
De Paſtore novo, quem ſub felicibus auris
Montibus Etruſcis genuit de mœnibus altis,
Stemmate de priſco, clara de ſtirpe parentum,
Noſtra Fluentinis ubi ridet patria campis.
Illius auſpicio, ſtudiis, ſapientia, & aſtu
Sperat ad antiquum quandoque redire decorem,
Atque triumphales arcus, altoſque coloſſos,
Ceu rerum dominos quum pax auguſta Latinos
Fecerat, & domiti tenuere cacumina mundi
Romulidæ, legeſque dabant terraque, marique,
Ac ferus Auſonium trepidabat barbarus enſem.
Quinta caput niveæ præcincta volumine vittæ
Fronte ſuperba, ferox ciliis, & corpore turgens
Eſt Agarenorum deleta Eccleſia ſectis,
Quæ Libyes, Aſiæque lares amplexa, ſinumque
Exiguum Europæ, qua ſunt Bizantia ſceptra
Et Graii pars illa ſoli, quam nominat Helles
Mundæ olim vitæ meritis, & ſanguine ſparſo
Undique diffuſum Chriſti illuſtrabat ovile,
Et ſophiæ miros late exhalabat odores.
Nunc patiens ſervile jugum, rituſque nefandos
Relligionis inops, mores induta ferinos,
Terrenis inhians opibus, vitæque futuræ
Immemor, incumbens ventri, luxuque ſepulta
Dedidicit ſuperos, ſanctæque oracula Romæ.
Attamen ipſa brevi reliquas aditura ſorores
Aſſiduis curis, & ſedulitate medentis

Pon-

Pontificis; cui luce nova congaudet olympus,
Evomet imbibitum virus, pellemque vetustam
Exuet, atque sacro nocuas in flumine sordes
Abluet, & supplex Christi concurret ad aras.
Roma tamen purganda prius, postrema moratur
Quanto tarda magis, tanto graviora flagella.
Jam puppes, & vela parans Othomana propago
Accelerabit iter, veniensque in Martia tecta
Sacrificæ tollet scelus, & contagia gentis
Cæde gravi (ni forte aliud sententia cœli,
Quam mutare solet clemens aliquando magister,
Afferat, atque velit fatis melioribus uti)
Congeries cæsorum hominum, lamenta, cruores
Visa per hos campos illa infelicia signant
Funera, & infaustos urbana per atria casus.
Quod si forte manus districti judicis æquo
Diluet arbitrio, & condigno verbere noxas,
Pastor ab excelsa Romam qui temperat arce
Innocuæ vitæ meritis ter gratus olympo
Virgineas sine labe manus in sidera tollet,
Et debacchantem sedabit in urbe furorem.
Moribus angelicis teneris imbutus ab annis
Alter erit Pæan, nitido qui lumine mundum
Illustrabit, & ut Romana piacula finem
Accipient, miris Machometia fœdera signis
Destruet, & faciet sanctos assuescere ritus.
O felix sine fraude parens, sine crimine præsul;
Quem favor humanus, seu vis, seu munera nusquam
Sive preces nusquam solii ad fastigia tanti
Provexere; sed illapsus de cardine summo
Spiritus inflammans animos, & pectora lustrans
Egit, ut eligeret votis concordibus omnis
Purpureus te cœtus habens præ lumine solum,
Et præ mente Deum te vix adhibere volente
Consensum, nutusque tuos, nique ardua patrum
Sollicitudo, preces instantes, ipsaque mundi
Utilitas, commune bonum, spiramen olympi,
Sancta Paracleti vis, & manifesta voluntas

Prin-

Principisætherei (cui fas se opponere non est)
Te persuasissent caput inclinare pudicum
Ipse tuis molem hanc humeris assumere nusquam
Ausus eras, quoniam satis intolerabile pondus.
Non amor hæc fari patriæ, non ulla libido
Cogit adulandi. Mortali e corpore liber,
Et secura tenens loca summo in culmine mundi
Nil peccare queo, nil vinci a sensibus ullis.
Nam virtus augusta tenens in principe tanto
Æternum hospitium sola est, quæ prodere mandat
Illius & dotes nos, & præconia laudum.
O fauste Antistes, cui tellus paret, & æther
Dulciter aspirat, sophiæ cui maxima cura,
Cui noctu, atque die lac porrigit Attica Pallas:
Cui nunc Stoa novos dat, nunc Academia census:
Cui Grajæ, & Latiæ præstantia maxima linguæ:
Cui numeri, & vocum concors discrimen in usu:
Cui ratio, & causæ, cui cuncta sophismata clarent:
Cui Cœli spectare vias, & sidera notum.
Cui visi patrum annales, mundique graphia:
Cui Pontificiæ leges sunt, Cæsareæque:
Cui scitabilium suprema peritia rerum:
Cui jucunda ferunt castæ solatia Musæ:
Cuive (quod est majus) suavissima pagina divum
Perpetuis adhibet vitalia pabula mensis.
O fortunatam tanto sub præside Romam
Quo duce schismaticus passim delebitur error,
Et Romanus apex solitos rehabebit honores.
Quo duce relligio toto reparabitur orbe,
Atque per Eoas procul amplificabitur oras.
Quas ibi vidisti, quinque in consortia nymphæ,
Atque sodalitii fœdus jungentur, & unum
Sub pastore uno late consurget ovile.
Ipse pedo minabit oves ad pascua læta
Pastor, & exertis languentes colliget ulnis;
Nec sinet in miseras sævire Lycaonis ora,
Hunc decus e cunctis in pleno flore juventæ,
Non senio attritum, non morbo ascivit inerti,

Quo

Quo fatius valeat vaftos tolerare labores,
Ques tantus depofcit apex, & robore verno
Protrahat in longum felicia fecula tempus.
Sedibus e fummis oriuntur femina pacis,
Jucundique dies cœlo panduntur ab alto
Aurea nunc ætas, & feliciffima current,
Qualia Saturno fluxerunt fidera rege.
Dixerat hæc vates; quum mox prorumpere cogor
Lætabundus in hæc pleno jam pectore dicta:
Sat, pater, audivi: fat pendeo ab ore loquentis;
Parce: ego conceptum nequeo compefcere verbum.
Cuncta habeo quæcumque mihi narrare tulifti.
Immenfas habeo [nitarque rependere] grates;
Sed rogo, neu fufpenfa diu mea vota teneto.
Confcia fama meas jamdudum perculit aures,
Ut valetudinibus Lethem potarat Julus.
Aft in fede patrum quis fit fuffectus eidem
Ignoramus adhuc, quoniam diftamus ab urbe
Longo interftitio; tamen ut perpendimus ipfe,
Cui datur e fuperis fpectare hæc omnia cœlis,
Pontificem factum quali fit nomine dictus,
Qua de ftirpe fatus: titulos, & culmina nofti.
Sat memoro patriam: memoro faftigia morum.
Et virides annos; fupereft ut cætera prodas.
Pande, precor, nomen, genus, & vocabula certa,
O felix, quicumque ille es, Romane facerdos,
Et patres longe ante alios digniffime Paftor,
Qui meritis tantis, qui tot virtutibus inter
Pontifices primos, velut inter fidera Titan,
Ætherio fplendore micas, & lumine pleno.
Vix ego te humano credam de femine cretum,
Cui tot olympiacas tribuerunt numina dotes.
Tu vetus excludens ævum nova fæcula portas;
Te tua, te ventura olim mirabitur ætas;
Et tibi perpetuis ardebunt ignibus aræ,
O mihi, fi tantum liceat cognofcere lumen!
O mihi, fi pedibus detur ofcula figere fanctis,
Divinofque tui vultus, atque ora tueri!

O mihi, ſi geneſimque tuam, ſeriemque tuorum
Decantare ſemel liceat, deſcribere geſta,
Herooque tuas contexere carmine laudes!
Iſta ego dum farer dum præ dulcedine mentis
Lumina rorantur fletu, lacrimaſque cadentes
Ex oculis admota inter ſudaria ſicco;
Illico me ſenior clementi fronte tuetur
Apprenſumque manu magis in ſublimia ducit
Sidera, & his una dictis affatur euntem:
Altius [at nihil expaveas] conſcende, novumque
Pontificem monſtrabo tibi, cui ſtellifer orbis
Latius arridet, totuſque applaudit olympus.
Scandimus auricomos ignes; placidumque nitorem,
Pacificumque jubar Jovis, & venerabile fulmen.
Vidimus hic pallere procul Saturnia tecta,
Falciferique ſenis tremulas ſine robore palmas
Ante pedes curvam ſenſim deponere falcem;
Suſpicis [ajebat vates mihi] ſidus adunca
Arma ferens nocuas paulatim amittere vires?
Hoc facit aſpectus veniens a fulgure nato,
Atque novi influxus, objectaque lumina ſtellæ,
Stellæ inclementes abigentis ab æthere flammas.
Vidimus innumera ſplendere hinc lampade cœlum,
Vidimus obliquo duodena animalia circo
Poſt Elicem converſa caput, criſtallina longe,
Quæ circumclaudunt curvato limite mundum
Aſpicimus nitidam glaciem referentia clauſtra,
Unde ſua ætherei capiunt exordia motus
Ex Auſtro in Boream tendens hæc machina ſecum
Demovet incluſos forti molimine cœlos.
Qua Jovis aula ſita eſt, offert ſe regia nobis
Ardua, cujus apex multo ſpectabilis auro,
Sculptus imaginibus, varioque, marmore pictus
Hac virides intrare ſinus, & prata videmur,
Amplaque Panchæis fragrantia odoribus arva.
Florea ſe oſtentant gratis ſpectacula campis,
Atque inſigne nemus; cujus peregrina comantes
Poma colorabant variato cortice frondes.

Hinc

Hinc arbusta sonant volucrum lætissima cantu,
Inde susurrantes veniunt e collibus amnes.
Tantus erat decor arboribus; tam mira venustas
Alitibus, rivis, & florescentibus agris
Ut nemus Hesperidum, & Phæacum regia Tempe,
Elysiive sinus, & Thessala rura, vel ipsæ
Insulæ in Oceano prope littora Atlantica Mauro
Cessissent. Mirabar uti in sublimibus astris
Terra foret, fluerentque vagis super orbibus undæ
Neu mireris (ait senior) sunt mystica cuncta
Mirificis ostensa modis tibi. Maxime vates,
Dico, ubi Romulidum quem vis ostendere Pastor?
His ne locis errat? tam pulchra ne circuit arva?
Pande mihi (nisi scire nefas) optata Latini
Ora patris, seu si qua hic illius aula doceto.
Visum egomet pergam, nec sollicitudine tanta
Forte laborabis tu, nec calcaribus istis
Angar ego (expectare diu mihi pondus acerbum)
Ferto parum (meus ajebat dux) ibimus ambo.
Nam sine me nusquam esse potest tibi semita nota.
Non labor est quod eam tecum, sed summa volupta
Cœlestes etenim mentes operando quiescunt,
Cassari nequeunt, quia carnis pondere nudæ.
Jam sumus in portis, & limen habemus apertum.
Ibamus celeres, & dum loqueremur eundo,
En procul apparent excelsa palatia summis
Fastigata jugis, vallataque mœnibus altis.
Ardua sublimes attingunt sidera pyrgi
Cuspidibus, rutili lucent in turribus ignes,
Et cava multisonis gaudent tinnitibus æra.
Omnis ager gestit, fieri tuor undique plausum.
Quid, pater, hæc signant? (dixi) cur copia tanta
Lætitiæ? Cujus sunt hæc amplissima tecta,
Tam pulchra aspectu, & pinnis turrita superbis?
Pontifici dat festa novo nunc gaudia Roma,
Ille ait; insignes ipsus pater incolit aulas.
Sunt Vaticani (si respicis) atria montis.
Huc ascende parum, saxo spectabis ab alto.

Ecce leoninis circundata limina muris,
Quæ Constantiades ut Martia sceptra recepit
Clavigero posuit levi de marmore Petro.
Ecce super Tibrim quam pulchra Adrianica moles:
Et quantum Tarpea levent Capitolia frontem,
Et juga bifronti quondam gratissima Jano;
Dorsaque Aventini phano celebrata Dianæ:
Cœlium, & Exquilias, dictumque a vimine collem,
Amphiteatrales circos, geminasque columnas:
Et Pallantæum Evandri memorabile prisco
Herculis hospitio, bobusque a Gadibus actis:
Et mirum Agrippæ magna testudine templum,
Et loca Naumachiæ, ductosque per aëra rivos,
Metam, atque a testis sortitum nomina montem.
Aspice; tu ne viden pileatas ire catervas
Pontificum; tot equos ardenti murice stratos,
Aurea frena, superque sedere in vestibus amplis
Longa togatorum seriatis agmina turmis?
Tu ne audin clangore tubas, & tympana pulsu
Reddere multiplices partito carmine cantus,
Atque Quirinales sua post vexilla senatus
Tendere sacratas magni Pastoris ad ædes?
Jam video (dixi) sed nota insignia cerno,
Cerno rubras splendere pilas [ni fallar] in auro;
Et tria serta super binas innectere claves.
Hæc Medices fert signa domus, domus inclita natu.
Forte ne Joannes, teneram cui purpura frontem
Cinxit, ephebœis quando degebat in annis
Candida Romanæ subiit fastigia mitræ?
O nos felices, si vera insigne fatetur!
Vera fatetur (ait vates) vera esse videbis.
O superi (clamo) faustos qui inducitis annos,
Hoc opus est vestrum, vestra hæc sunt munera, divi.
Hactenus infesto qui dudum elanguit astro
Gressibus incipiet labi melioribus æther.
Sed (rogo) sancte senex, quia nil ratione carere
Debet; quid signant sex poma rubentia, & aurum?
Aurum sidereos (ait) effigiando nitores
Fert

Fert illuſtre genus veluti cœleſtis origo.
Sexque pilæ, quod eis ſit ſphærica forma, figurant
Immortale decus. Nam ſex ætatibus omnis
Vita hominum currit; ſex ſæcla rotunda voluble
Omne ævum peragunt (ſi vera oracula patrum,
Omnia, quæ exiſtunt, ſex ſunt patrata diebus.
Spiritibus cunctis ſeraphin præſtantior alis
Sex tegitur: ſenis gradibus Salomonia ſedes
Scanditur: ætherei ſunt ad convivia regis
Sex hydriæ. Stat parte ſui perfectus in omni
Hic numerus; quoniam ex tribus, atque duobus, & uno
Conſtat, & æternum quid, & indelebile monſtrat.
Purpureus color inſinuat, quod fortia corda,
Intemerata fides, pietaſque innata parentum
Tanta vigent, ut pro ſeu relligione tuenda,
Sive fide ſervanda, etiam nil parcere vitæ
Præſto adſint, & ſanguineo nil cedere letho.
Magna fuit Medices inſignis, & alta propago
Semper, & innumeros ampla de ſtirpe nepotes
Ædidit eximios vel relligione, vel armis,
Aut ſophia, qui bello acres, qui pace potentes,
Qui ſua principibus partiti pignora ſancto
Connubio ad commune bonum nati Herculis inſtar,
Æternum meruere decus, virideſque coronas.
Florida pace fuit, fuit & clariſſima bello
Nil prædæ meditata, nihilque tyrannidis auſa,
Qualis apud priſcos gens Æmiliana Quirites.
Quanta fuit Coſmæ, & genito prudentia Petro;
Quantus erat Petri ſoboles Laurentius alma,
Pontificiſque parens, & gloria gentis Etruſcæ;
Qui nedum patriæ pater, aſt & totius orbis
Et pater, & princeps, & dux erat, atque magiſter?
Plena manet tellus, ſparſæque per æquora moles,
Ille erat irato communis ab æquore portus:
Ille erat adverſis commune in rebus aſylum.
Talia narrabat ſenior, quum intrare videmur
Pontificis magno ſpacioſum in limine campum,
Qua populi ingentes ſtrepitus, confuſaque vocum
Con-

Congeries alte veniam, ſanctumque Leonem
Acclamant, paſſimque Leo Leo fertur ad auras.
Quid ſibi vult hoc, dive ſenex? Quid vociferantum
Rumor ubique Leo, dixi, Leo ſidera pulſat
Undique, & infantes, juveneſque, ſeneſque Leonem
Ore ferunt? paſtor ne novus Leo forte vocatur?
Immo, ait, accepit felici hoc omine nomen.
Namque fuere novem Romana in ſede Leones
Præter eum. Prior Etruſcus, qui numine plenus
Vandalicas placaſſe iras, odiumque tyranni
Fertur ubi Erydani jungit ſe Mintius undis.
Bis Synodum magnam vaſto concivit ab orbe,
Cuſtodire facit ſignata cubicula fratrum
Oſſa ſepulta Petri, Paulique ſub arcubus isdem.
Uno & viginti ſedit feliciter annis.
Muſicus inſignis Sicula de gente ſecundus
Concentu meliore hymnos, ſanctique prophetæ
Carmina digeſſit: Simona excluſit ab urbe;
Effecit Romæ tumidam parere Ravenam;
Dulceque & eloquium, facundaque ſcripta reliquit
Ille decem tantum vitali menſibus aura
Culmine ſuſcepto potitur, brevibuſque diebus
Ægit, quod multos aliqui fecere per annos.
Tertius e Latia ſatus urbe, pudicior omni
Hippolyto, facundus item, pius, integer, almus
Cultores adeo ſophiæ dilexit, ut hosdem
Munere de cunctis aſciſceret urbibus ad ſe,
Totaque de illorum caperet ſolatia fœtis
Alloquiis, & docta ageret commertia ſemper.
Ille ſiniſtra tulit pro libertate Latina.
Lumina perfoſſus, duroque in carcere truſus
Viſum inſtauratum recipit divinitus: exit
Fornice de nigro, de illato crimine purgat
Se patrum in cœtu ſimul acclamantibus illis
Non decet urbanum quemquam cenſere parentem.
Carolus his aderat geſtorum culmine magnus,
Cui dedit auguſtum decus, & diadema Latini
Imperii, ſceptrumque Leo, tituloſque ſuperbos.
Ipſe

Ipſe laborantes leva valetudine viſit;
Ipſe inopes amplo relevavit munere cives:
Et pater, & cuſtos erat, ac tutator egeni.
Ipſe erat erranti via; deſperantibus ingens
Perfugium, & portus, ſi quiſquam naufragus undis.
Inſtituit tres ille dies, quibus ante volatum
Chriſti ad olympiacas arces cœlum omne rogatur.
Uno & bisdenis Laterano præſidet annis,
Quartus item Romanus erat; prudentia cujus
Serpentina fuit cum ſimplicitate columbæ.
Vaticana novis circumſerat atria muris,
Atque Leoninam de ſe cognominat urbem.
Ille ſalutiferæ crucis edens ſigna profanam
Claſſem Agarenorum Tiberina per oſtia rumpit.
Albion excluſa terrarum limite cepit
Solvere Romanæ tum vectigalia mitræ.
Romuleos apices octavo terminat anno.
Quintus (ab hiſtoricis licet abſque penatibus ullis
Sit datus) at Calaber fuit, & pietate decorus;
Quo, quia mundus erat tunc forte indignus, ad ædem
Tollitur æthercam cito de mortalibus oris;
Ille duos etenim ſedit tantummodo menſes.
Æneadum claro genitus de ſanguine ſextus,
Divinis intentus erat ſuper omnia curis.
Diſcordes revocare, ſimulque innectere cives:
Dura tirannorum juga frangere: diſſidiorum
Vellere radices; res integrare Latinas:
Externos pacare hoſtes: & barbara ſceptra
Pellere ab Italidis operam navavit, & artem.
At niſi ſeptenis geſſit moderamina lunis.
Septimus urbanis itidem de civibus ortus,
Quamquam nulla ſui terræ monumenta reliquit,
Multa tamen cœlis habet, & faſtigia celſa
Obtinet in ſuperis: laudum quia nulla libido
Proſtituit niveam ſubter præconia mentem.
Res ſecura magis coram tantummodo divis
Prodere virtutes, & geſta celebria [quamvis
Sæpius expediat ſi ſint ſtratagemata nota]

Ille tribus Latios, falces exercuit armis.
Ipse quoque octavus Romano stemmate cretus
Cæsareis primum titulis illustrat Othonem;
Et tutelarem Latiæ jubet esse tiaræ.
Sole uno tantum labentem temperat orbem.
Teuthonico demum veniens a climate Romam
Nonus Olympiacas audivit ab æthere voces,
Quæ cito venturæ cecinerunt fœdera pacis.
Tam vastæ pietatis erat, tam ingentis amoris
Erga inopes, ut tota etiam penetralia tecta
Panderet hospitibus miseris, & egentibus ægris.
Ille sub effigie leprosi pauperis intra
[Res miranda!] domus secreta cubicula Christum
Sumere, & in proprio semel inclinare grabato
Promeruit, suavesque haurire illectus odores,
Nemine comperto (nam mox evanuit æger
Ex oculis, veluti tenues si ivisset in auras)
Vercellis generale Patrum simul aggregat agmen,
Atque Berengarium perverso in dogmate damnat.
Deserit elapso Romana insignia lustro.
Ecce novem pariter quanta probitate Leones
Emicuere; omnes pleni virtutibus, omnes
Undique præclari summa integritate, nec ulli
Pontificum, passim quos cætera nomina dicunt,
Tam præstantis erant, mundæque per omnia vitæ.
Nam malus istorum nemo, quum ex omnibus illis
Degeneres quidam fuerint, sontesque reperti.
Ab re non igitur se se appellare Leonem
Instituit Medices ad sancta cacumina vectus,
Ut tantum commune bonis pastoribus aptet
Jure sibi nomen, nullaque tirannide fuscum.
Adde quod & Christi robur Leo sæpe figurat
Codicibus sacris. Leo robustissimus inter
Omnia, quæ latis errant animalia terris;
Nullius occursum pavitat. Leo nobilis iræ,
Et generosi animi (cujus clementia nota est)
Supplicibus veniam facit, insequiturque superbos.
Lumina aperta Leo tenet, & vigilare videtur
Cum

Cum dormit, vigilemque refert, vegetumque parentem:
Paſtoribuſque gregem ſuper haud torpentia corda,
Adde Fluentinos inſignia ferre leonis;
Adde Cleonæum ſtellato vertice ſidus:
Adde leo verbum, quod vel ſtruo, formo vel infert:
(Id licet aſſiduus nequaquam comprobet uſus)
Deleo, cui contra eſt, deformo, aut deſtruo ſignans.
Maximus ipſe etenim Pater immortalia tecta
Conſtruet ætherio regi de marmore vivo,
Efficiens utraque eſſe unum; diviſaque ſicut
Angulus annectet, diſperſaque colliget; ægra
Curabit Medica ipſe manu: convertet in aurum
Ferrea ſæcla: hominum fera pectora molliet; atque
Ambroſiam, nectarque omnem diffundet in orbem.
Hæc ſeniore mihi narrante ſubivimus ædes;
Perque gradus altos amplas intravimus aulas.
Auratus paries, teſtudo aurata refulgent,
Undique Apellæi rutilant monumenta laboris:
Pictaque fulcra nitent, aulæaque barbara ſplendent:
Atria plena manent populis, & gente togata.
Vix tranſire datur, premimur, verſamur eundo.
Percontamus, ubi Antiſtes Romanus; ovantes
Clavigeri Patris (dicunt) defertur ad aras
Seſſurus cathedra, & ſolio ponendus in alto.
Imus, & innumeras penetramus ab undique turbas.
Ingredimur fanum, ſonat alto murmure templum,
Ceu cum præcipites veniunt e cotibus undæ
Ingenti crepitant ſtrepitu, grandique boatu.
Tendimus ulterius, jamque admirabile Patrum
Agmen ab excelſis patefit altaribus, atque
Longa Sacerdotum ſeries, quos purpura, quoſve
Candida byſſus agunt inter pia ſacra nitentes.
Vidimus & Medicem gemmis, auroque coruſcum,
Stellatumque caput cœleſti lumine ferri,
Sublimique ſedere throno clamantibus una
Omnibus: æterno Paſtor Leo maximus ævo
Vivat, & hæc niveo lux ſit ſignata lapillo.
Pronus adoravi divo ſub pectore numen:

Pronus adoravit ſenior quoque limina habentem
Cœlorum in terris, terræ, Ditiſque profundi;
Quod triplici ſignat ſpectabilis infula ſerto.
Ætheriam frontem, divinaque pectora cernens,
Non potui placidos oculis compeſcere fletus.
Dulcibus in lacrimis turgentia lumina habant,
Singultus ſuaves pectus, gutturque premebant,
Grataque de madidis ſuſpiria faucibus ibant
O ſalve (dixi) fragilis ſpes unica mundi
Verus es Alcides, Lernæ qui interficis hydram.
Tu cantata diu Glauci caſtiſſima proles
Sæva trucidabis ſuccenſæ oſtenta Chimæræ.
Mercurii pluſquam tua, pluſquam Palladis arma
Gorgonei tortos extinguent verticis angues.
Tu pluſquam Theſæa manus Minoia monſtra
Dedaleis incluſa vis; quæ pluribus augent
Cædibus ingluvie, ac immitibus ora rapinis
Complevere, tuo facies occumbere ferro.
Tu cœleſte genus Boreæ, quod dira Celæno,
Atque infeſta lues, fluxuque, fameque paveſcunt
Harpyæ, quæ ſacra volant per tecta, per aulas.
Arte tua a Siculis Syrenes fluctibus ibunt
Sub Phlegetontæis lacubus, nuſquamve nocebunt
Carmine lethæo, Cyrrhæaque filia Circe,
Quæ vultus hominum convertit in ora ferarum
Cantibus, amittet duce te vireſque doloſque.
Vindice te pulſum vitiorum exercitus ibit:
Et longe, & late dominabitur aurea virtus.
Nunc erit ingenio reverentia, digna Minervæ
Præmia, nunc ſacri captabunt ocia vates.
Nunc Phœbæus honor redit, & Parnaſia laurus
Incipiet frondere: novem ſua barbita Muſæ
Inſtaurant, tonſiſque parant nova carmina nervis.
Talia promebam, repetens ea dicta frequenter,
Quum meus adducens me dux ad inane ſacellum
Chriſtiparæ nymphæ, quæ febribus imperat, inquit:
Vidiſti, o fili, nova tu miracula cœli?
Vidiſti ne novum fœdus, nova ſæcla, novumque
Impe-

Imperium, & Titana novum, qui illuminat orbem?
(Obſecro) quamprimum fuge de ſquallentibus umbris
Conciliablææ gentis. Jam ad corda reverſus
Errores agnoſce graves, gemituque patenti
Dilue tot maculas; clemens tibi namque ſacerdos
Indulgebit; & ad pia virginis ubera matris
Protinus admittens hilari te colliget ore.
Erravi ne beate ſenex? mene impius error
Detinuit? (dico) ſuper his ſynteresis ulla
Corripuit numquam mea corda; ſed ipſe putavi
Obſequium præſtare Deo, juſtumque tueri.
Quod ſi adverſa tuli, reliquive tulere faventes
Huic operi, invidia Ditis, mundique maligni
Turbine credidimus nos eveniſſe probandi
Cauſa animos fortes; velut & primordia ſumens
Relligio diros inter cunabula prima
Paſſa fuit caſus, variaſque repulſa per oras.
Omne opus egregium; vel præſtantiſſima virtus
Difficiles ortus habet, atque oſtacula multa
Attamen, alme Parens, (potius tibi credere dignum)
Qui ſuperis compar falli, ſeu fallere neſcis.
Si erravi, doleo, ſemperque dolebo futura
Tempeſtate, velut fluvius mœſta ora rigabo
Aſſiduis lacrimis, & pugnis pectora tundam.
Ille dies, in qua fallaci dogmate captus,
Implicui mentem veſanis auſibus, atras
In tenebras vertatur, & indelebile ſemper
Sit Chaos, atque inter noctes numeretur inanes.
Cur ego non potius moritura hæc membra reliqui
Tunc inſonte anima? Cur inter ſpicula, & enſes
Non cecidi? ſine labe foret, ſine crimine pectus.
At divina ſenex ora hæc in verba reſolvit;
Peccaſti (fatear) quamvis ſine fraude, doloque,
Sicut & innumeri divum conſortia habentes,
Qualis ego quondam, qualeſve fuere parentes
Nonnulli ſophia illuſtres, pietateque ſumma
Præclari, qui vera minus ſcripſere, putantes
Edere recta. Facit ſublime frequenter acumen

Ingenii plures errare, ſed, ut quoque tumet
Feciſti, quoniam ſua ſcripta probanda Latino
Suppoſuere patri, retractavereque demum
Errores aliqui veniam meruere paratam.
Quod nova relligio vario quaſſata tumultu
Jamdudum fuerit verum, ſed quanta ſubivit
Prœlia, tanta ſui late incrementa recepit.
Quod virtus, quod opus quodcumque inſigne prematur
Difficili ingreſſu verum, ſed turbine nullo
Divelli, ſubigique poteſt. Fortiſſima virtus
Creſcit in immenſum, validæque ſimillima palmæ,
Quanto onerata magis, tanto robuſtior exit.
Hæc autem aſſiduis ſecta eſt alliſa procellis,
Tamquam odioſa Deo, & cunctis mortalibus; unde
Quanto attrita fuit, tanto decrevit inani
Fulta ſolo, fundata ſuper nutantis arenæ
Aggere, nec ſolidæ ſtabilis munimine petræ
Concilii profugi cito garrula lingua ſilebit.
(Ipſemet aſpicies) tenues ſolvetur in auras;
Et velut exorto evaneſcet Apolline nubes;
Signa quod exoſum ſuperis ſit, terrigeniſque.
Gallia nuſquam adeo quicquam feciſſe videtur
(Quod memorem) deforme, priori ab origine numquam
Aurea fœdavit tali ſua lilia fuco.
(Id licet haud omnis patrarit Gallia crimen)
Quare, age, tolle moras, cætuſque relinque profanos.
Quo medio fugiam (dixi) Pater? omnia circum
Cuſtodita manent, Araris ne mœnia linquam
Limina. Cardinei quum diſceſſere parentes
Carvajalæo de ſanguine cretus, & alma
Stirpe Severina genitus, duo maxima mundi
Lumina; qui flantes Latiis e mœnibus Auſtros,
Inſolitumque genus declinavere caloris
Corde gigantæo, fidei intemerabile pignus
Tutati ſemper; rati inviolabile fœdus
Ipſe ego ſupplicibus votis ſimul ire petivi,
Atque illi petiere; tamen mihi gratia ſoli
Nulla recedendi donata eſt. Omnibus ultro

Fas


Fas fuit ire; mihi tantum prohibetur inerti.
Te venerande senex (si qua est clementia divis,
Si qua tibi pietas) oro, mihi pande recessus,
Pande modum, vel si nunc fas est degere Romæ
(Si Roma hæc) nusquam patiare relinquere Romam
Me rogo. Neu Senonas repetam, sanctissime vates,
Ulterius sine, sat tenuit me Belgica tellus,
Satque fui inviso Gallorum limite clausus.
Nunc opus abscedas (senior respondit) Arar te
Celticus exorto late jam sole moratur:
Post breve tempus erit tibi fas dimittere Gallos:
Debita sæpe petes abeundi jura: negabunt
Semper, & invitum secum te degere cogent
Conciliablistæ; quorum mens perfida durat.
Tunc tu nocturno Rhodani vada percita cursu
Sulcabis, fugiesque celer confinia regni;
Et fugiens captivus eris (sed tempore parvo)
Qui reget infausto moderamine Conciliablum,
Te captum mittet, Lucii cognomina portans
Et rem; namque lupum sonat ex idiomate græco:
Est lucius piscis, vocabula Achæa secutus;
Quod veluti lupus ingluviem saturare rapina
Squammigeri gregis assoleat, faucesque lupinas
Præferat, & sævos piscosa in cœrula mores.
Qua ad Rhodani ripas surgit vivaria tellus
Inter saxa, altæque domus in sidera tendunt,
Tu capiere; tribus tu detrudere diebus
Limite seclusus; sed te Turnonia proles
Claudius antistes divum stimulante timore
Forsitan eripiet (quod si succedat) ab alta
Arce per appensum faciens abscendere fune,
Teque, tuosque omnes tutos dimittet in oras
Avinionæas, ubi præsidet inclita Roma.
Virtutum titulis, charitumque nitore coruscus
Ille tibi impendet placidum solamen, eritque
Quod fuit erranti Diomedi Daunus: Ulyssi
Alcinous, Troæque domus Evander alumno.
Paulus ut effugiens molimina regis Arethæ

Mœnibus ex altis ſporta demiſſus abivit,
Sic forte evades gentis commenta nefandæ.
At puto Lugdunum cogere redire, & ibidem
Muneribus, precibuſque datis, terrore, miniſque
Schiſmaticis hærere dolis arctabere; ſed tu
Infandis monitis aurem præbere recuſa;
Ad vomitumque redire cave, nam rector olympi
Crede, proculdubio tanto e diſcrimine demum
Te trahet, & mire ducet cœlo auſpice Romam.
Neu paveas: tu fide Deo, cœloque faventi.
Te Deus efficiet ſortem ſuperare ſiniſtram,
Et vehet in dulces per acerba pericula portus.
Talia dum ſenior dictis ſequeretur amicis,
Me ſopor abſcedens dimiſit. Ab æthere Phœbus
Luce diu fuſa thalamum penetrabat acuto
Lumine per rimas; aderant in limine ſervi
Ante ea pervigiles. Per ſomnia longa loquentem
Me audiviſſe palam dixere, ſoporeque nuſquam
Matutino alias uſum obſtupuere. Jacentem
Erigo me; patulæ tum circumquaque feneſtræ
Admiſere diem; tota ora madentia cerno,
Pectora, lodices, lacrimarum flumine ſparſo.
Ipſe quoque admirans tanti miſteria ſomni
Miris viſa modis vix languida membra ferebam:
Figere vix poteram plantas, vix ſiſtere corda
Vulneribus perfoſſa piis: vix abdere fletus
Nectareos. Dulces urebant pectora flammæ;
Menſque ſub eventu rerum perplexa manebat.
Suſpenſos animos mirantur, & ora miniſtri
Fixa ſolo, dubioſque diu trutinantia caſus.
Induor. Ire paro vicina ad templa daturus
Et laudes, & dona Deo, mundaſque diei
Primitias. Iter arripio taciturnus, & anceps.
Hæc erat alma dies, qua magnus in æthera Paſtor
Ivit ab afflictis membris, & corpore feſſo
Gregorius; cujus Deus ad ſuſpiria verſus,
Votaque Trajanum nigro revocarat ab orco.
Extra limen eo, caſuque occurrit eunti

Ben-


Bentivola de gente satus Galeacius, omni
Ingenua probitate nitens, & cælibe lecto:
Qui me insueta videns, titubantiaque ora ferentem,
Scire cupit causam. Rogat ut si tristia forte,
Aut si læta habeam (bona vel mala) nuncia dicam.
Ingredimur phanum simul, & quum mystica sacra
Vidimus offerri, scamno consedimus una.
Narravi, quæcumque mihi per somnia visa.
Fausta proculdubio (ni vana) hæc somnia promunt,
Nuncia (respondet Galeacius) illa secundos
Quum referunt casus semper mendacia fingunt.
At si triste ferunt, nimium veracia produnt.
Tota morabatur supplex audire creatum
Gallia Pontificem votis flagrantibus: ut quum
Post tempestates, pluvias, Eurumque sinistrum
Anxius expectat Zephyros prodire secundos
Nauta, serenatamque diem apparere viator.
Tertia lux aderat; quum mane tabellio pernix
Urbe Fluentina missus denunciat esse
Delectum Medicem summa ad fastigia Petri:
Et Latios gaudere Patres, ceu Martia Roma
Gestit, occiduo quum nacta est orbe triumphos.





BAPTISTÆ FIERÆ

MANTUANI.



Melissa.

COr mihi triste, gelu pectus, cerebrumque rigescit
Singultit stomachus: grata Melissa, veni.
Per te hilaris, redolens, & mundi corporis, aucto
Sumque calore potens: grata Melissa, veni.

De Aëre.

Quas dabimus grates aër tibi, pessime? per te
Vivimus, & morimur, gratia nulla tua est.

Sorba, Arbuta, Mespila.

Arbuta, sorba, tenent fluidos & mespila ventres:
Parvo siccescunt hæc tria poma gelu.
Hæc fugias nitido dum cortice poma rubescunt:
Vix simul eveniunt, & decor, & bonitas.

Nox.

Mille nuces, poteras dixisse; sed unica juglans
Nux dicta est, linguæ jam nocitura tuæ.
Siccior arescit, stomachum, & caput improba vexat.
Mirum si nocuæ sit bene juncta viæ?

Grana myrti.

Dum sitibunda rigent, reseratos grana cruores
Myrtea compescunt, & bene semper olent.

Cor-

Corda, ſeneſcentemque jubent revireſcere formam:
Hinc tibi grata putant myrtea ſerta Venus.

Bacca hederæ.

Sicca nocens nervis hedera eſt, & frigida parvo
Igne calet; variis ſic male mixta modis.
Vina domant, firmantque caput, ventremque corymbi,
Cincte hedera nimium tempora, Bacche, ſapis.

Farra.

Farra calent nimium ſiccata: his eſca tenacis
Sumpta cibi eſt: mollem ſacchara conficiunt;
Sic ſtomachum, & pectus refovebunt, quam bene dictũ eſt
Sacchara non ullis poſſe nocere cibis?

Fungus.

Funge vale: genitum nil miror nocte ſub una:
Sic properant rapido noxia quæque pede,

Erinaceus.

Si tibi echinus adeſt; ſtomachum fovet; ilia mollit,
Humet, & urinæ membra relaxa tenet.
Febris in antiquæ cæna optatiſſimus, ægris
Antidotum nervis nobile ſalſus erit.
Scilicet hic mos eſt naturæ, excelſa recondit
Munera, dumoſum tot bona tergus habet.

Braſſica.

Arida Socraticam pareret niſi braſſica bilem,
Jure erat in morbis omnibus illa ſatis.

HYMNI DIVINI AD LEONEM X. Pont. Max.

Deo Patri Hymnus.

Omnipotens qui cuncta creas, ſoluſque neceſſe es;
Per quem cuncta vigent; quem vis non terminat ulla;
Mens Deus omniſcia æterna, atque æterna voluntas,

Da Pater, ut pius immensum es, nec munere parce
Ærumnas tollis misero, sed prodigus ultro
Divitias fluis omnigenas, communia dona,
Nec pateris sorte ut quisquam labatur iniqua
Justitiæ æternum solidæ, & bonitatis alumnus,
Da mihi, da Pater ingenium, ne paupere vena
Sordidior, tenuique nimis tibi carmine cultus
Hymnus hiet; quamquam de te molimina cuncta
Mortales superent ausus, longeque fatiscant.
Da precor (haud meritum fasso, Pater optime, munus)
Non equidem ut plena attentem tua numina laude,
Quod nec fas cuiquam, quam nec sis fabilis ulli,
Semper inaccessus, vallo nec septus ab ullo,
Ad quem aditus nullus, cum sis tamen obvius ultro,
Omnibus illabens, nec te sine vita sit ulla;
Da molle exiguumque œstrum, non alta fluenta
Undantesque lacus, nato quos sufficis uni,
Sed minima exorem supplex aspergine tangi,
Sed riguo vix ore sacros elingere potus.
Tunc mihi, tunc furor intumeat, quo sanctior unquā
Haud fluxit Mosi, quo me tua magna canentem
Mirentur cœtus superi cœlestis origo,
Quo stupeant tanta attonitæ dictata Sibyllæ
Mirentur cœtus superi, stupeantque Sibyllæ
Ignavi verum vates, quos vana libido,
Quos premit ardor iners, rigeant ad seria mira.
Tunc cœlos per te, nulli nota arte creatos,
Et compage nova solidos, quos nulla senectus,
Nullaque colluvies ullo umquam diruat ævo,
Et canerem cœlis injuncta in lumina mundi
Sidera inestinctæ lucis, variique rotatus,
Imperio mandante tuo nulli orta quieti,
Ut nulla est ventura quies, morave ulla negoci
Mundanæ moli, tibi sic volventibus astris,
Sic animant elementa novis grata usque figuris
Fætiferisque ligant numeris connubia rerum
Inque vices statuunt illis ortusque, obitusque
Tu cunctis, Pater alme, præes, jussisque maritas
Cun-

Cuncta tuis, mente uſque nova, immutabilis uſque
Addictus nulli, nulla in contraria lapſus,
Omnibus inſertus, nulli promiſcuus idem;
Qui per te te ipſe es tu tu, & ſunt cetera per te,
Sufficit & tua ſola potens eà cuncta voluntas
De nihilo fecunda parens, fecundior alvus,
Subſit & huic refluus ſemper formoſior annus.
Tum ne animas auſim humanas menteſque referre,
Cœlicolas (manuum decus immortale tuarum)
Divinus quas Ambroſiis, & nectare potas,
Dignaris menſa æterna, ſoliiique beatis,
Ut pietas ſine fine tua, immenſumque profunda eſt;
Dulcia uti tantum fluis undique, & undique manas
Fragrantis ſuccos, & fragrantiſſima mella.
O pater, o ſi vel tenui vix ſubriger hauſtu
Tantillo, madeantve mihi labra ima liquore,
Exolvar, Pater, his auſis in limine primo;
Sic aditis labo vix tactis, ſic perditus amens
(Sed juvat) & fuſa penitus jam mente liqueſco.
O pater, o jam jam felix tua dum ſacra anhelo
Expirem, & ſolvar felix in munere magno?
Hoc Pater, hoc utinam mandes. Quid dulcius orem?
Quæ veniat ſperanda mihi ſecurior hora?
Sparge molam, atque aris adole ſua thura ſacerdos;
Sic præſtat; ſic dulce mori eſt ſub numine tanto.

Deo Filio Hymnus.

Nate idem Patri æterno Deus, illa eadem mens
Qua ſapit, & ſe ſe memorat fecunda Pater mens:
Virginis intactæ Nate idem ſancta propago:
Seu Chriſti, ſeu forte alio velatius addi
Nomine, vel mavis dici Salvator Jeſus:
A quo principium mihi de te, aut unde licebit
Ordiri, ſi mente bona, & ſpe ductus anhela
In tua ſacra feror magno perculſus amore?
Tu Deus es, nec mente capi, nec dicier aptus:
Idem homo es, haud fati immunis, cædiſve cruentæ,
Sed

Sed tamen humano numquam memorabilis ore;
Cæligena vel mente etiam procul editus omni.
Semina sic ea quosque hebetant genitalia sensus;
Sic caperis Deus haud spatiis occlusus apertis,
Nasceris, & casti violato haud limite partus;
Certa puerperii cœlestis & omina firma
Numinis, & sanctæ nati miracula prima.
Dic Deus o Deus, o divino e semine proles,
Cui dictum solium æternum, imperiumque perenne,
Stelliferi cur posthabito diademate regni
Sordentes terras habites, & lubrica mundi?
Quid Deus, humani attentes consortia cœtus?
Sed Deus, o Divæ intactæ divina propago,
En subiit memorem pietas tua fervida tantum?
Jam memini quid, sancte, feras; quæ commoda portes,
Unde libens ultro accurras mortalibus ægris.
Scilicet ille ipse es, quem verax Entheus olim
Plurimus antistes sacro prædixerat ore.
Ille Deus, Deus ille quidem es, salvator Jesus,
Quem generi humano in labem (miserabile) lapso
Præsidium venturum olim haud mentita Sibylla est.
O pietas summa, o bonitas, quæ prodiga largas
Fundis opes, & restituis nos sedibus altis;
Nec pateris cæca pressos caligine patrum
Exilio æternum indicto ingemuisse sub orco.
Divinum immensum munus, clementia tantum
Quod tua sola queat, divina immensa potestas.
Ergo tu Deus ille Deus, quem non labor ullus,
Quem non paupertas, quem non perterruit umquam
Ulla fames, quem non moveant jejunia longa,
Nec mendicato pudeat vixisse Salino,
Cui præbent instrata thorum præsepia nato,
Cui sufflat molles, ut buculus affuit, ignes;
Ingemit alma parens nudo, & miseratur inane,
Nudarique pudet castam, ut te obnubat amictu.
Blanditur lacrimans protentis mollius ulnis
Josippus puero, & querulus balbutit egeno.
Talibus auspiciis ergo, puer inclite, ab ortu

Ordiris vita infelicem in munera nostra:
Nec quicquam finis intentatum, aut linquis in ausum
Sponte etiam vel morte obita, quam nulla sit umquam
Passa ætas, nec sit sæclis passura sub ullis,
Ut dolor it sine fine tuus, nova ut illa malorum
Ingeminant pœnas tormenta, necemque nefandam
Proh pietas divina quidem, proh sancta voluptas!
Sancteque amor, ingens nimium? tu perderis ergo
Labe madens nulla penitus, sed criminis expers
Rerum, Christe potens, Cœlum cui militat omne,
Qui vitam das, atque adimis tortoribus ipsis?
Infandum scelus est nostrum, peccavimus ipsi,
Tu pœnas, mortemque subis nostra unde supersit
Perpetuum vita, æterno jam addicta barathro.
O bonitas nullo audita, sperata vel ævo!
Impurus delinquit homo, Deus angitur insons;
Interclusa dies homini redit auspice Christo:
Christus obit: malesanus homo huic necis improbus au-
Munere sed quidnam tanto mortalibus augur (ctor.
Ominer haud fallax, ado ut fumantibus aris,
Ut Deitas tam sancta manet mihi cura perennis?
Mortales rerum summa est (nec fallimur) hæc mors.
Hinc æterna salus nobis, epulæque beatæ:
Hinc etiam tremor æternus: jam quisque supernas
Noverit ire vias, Christus sanctæ orbita vitæ est.
Hinc lux, hinc astrum reges comitatur Eoos
Muneribus quam vix natum, teneroque sub ortu
(Res mira) angusto admissi venerantur in antro.
Invigilate omnes orem, quos aura recursat
Vitalis; quis sanus adhuc vigor ubere manat:
Hic Deus est, qui cuncta potest: quo cæca renident
Lumina; qui surdas aures modulamine mulcet,
In cœleste melos, qui muta silentia solvit
Per quem vel longa redeunt jam morte perempti
Pro libito, ut præsto illi est mors, & vita ministra,
Pro libito cui molle labans cœlum intremit omne.
Jam lex est vulgata satis, jam certa salutis
Causa perorata est: agedum sacra fœdera inite
Mor-

Mortales, quis jam forfan fera imminet hora.

Deo Paracleto Hymnus.

Numen idem Patri, & Nato, fecunda utriufque
Uno eodem nixu foboles, nullo obfita vallo,
Idem Amor æternæ, atque æterni munus Amoris
Te quoque fancte Deus celebrem, te liber adorem
Non Semeles partus mendax, & fabula inanis,
Libera fed patre, & nato difflata poteftas.
Incubitus calor æterni, immenfi ardor amoris,
Quo vegeta it rebus cunctis genialis, & aura
Fæta renafcenti quo funt fua femina mundo,
Quique fide frenas certa certantia folvi.
Ergo & tu, Paraclete, adfis, fubeafque precanti
Illabens vati tam fanctæ laudis anhelo.
A te Amor immenfæ eft nobis via prima falutis
Aufpicia & per te noftræ felicia vitæ
Solus ut es dapis æternæ, menfæque beatæ
Ambrofiæque auctor fanctæ; ut fanctiffima folus
Mella æterna fluis, dulcique in pace quiefcis,
Nil nifi pacatum meditans, folidumque perenne,
Æternas & amicitias, & fœdera rerum:
Noftra olim collifa ratis fub forde parentum
Evafit per te æterno non merfa profundo
Sic fidus, fic nauta vigil, fic fidera fervas,
Tranquilla, & rigui æternum fancta oftia Amoris;
Sic per te felix nobis enavigat Arctos,
Arctos perpetuum fulgens & nefcia mergi
Tempeftate ulla, fævum licet æftuet æquor,
Irruat ufque licet turgens immane procella:
Tabuit ut numquam forde ulla fancta marita,
Sancta Patris nata æterni, fancta inclita virgo
Alma parens Chrifti, per te fecunda, gravifque,
Parturienfque Deum per te felicia dona
In fummum commune bonum Mortalibus ægris.
Tu tu, Amor, hæc labis noftræ, fcelerifque mifertor,
Qui mifere vixiffe Deo, fuadefque volenti

Dul-

Dulce mori, ne perpetuus nos obruat horror,
Et gaudes mortale genus præferre Tonanti.
Verum, o me miserum, insano qui molior ausu,
Sancte, Amor, hæc: utinam humana quod supplice saltē,
Atque humili quis voce queat, te carmine adirem?
Parce precor, sic ipse tuo sic captus amore
Obstrepo, sic & delirus tua numina anhelo:
Sat fuerit tibi vel minimum si blandiar orsus.
Sed tamen ut quo splendidius majoreque largus
Munere dives agis, sic ditior affluis usque
(Tam vastum immensumque tui scatet æquor amoris)
Quis scit, an & me olim blando digneris honore,
Quo Christi quondam comites, sacraria sancta
Legis honoratæ sanctus solator adisti,
Postque nihil nisi docta melos sanctum ora sonabant.
At quo jam feror imprudens, penitus procul omni
Mente bona? heu quo dulcis me hæc amentia torsit?
Parce, Amor omnipotens, jam lora modestius ausim.

Deo Trino Hymnus.

Trine Deus, tu liber Amor, tu Nate, Paterque,
Quorum Numen idem, mens, visque, eademq; voluntas
Esse unum, Persona triplex, Deus attamen unus:
En etiam tibi procumbens, jam nube retectus,
Et nivea tibi conspicuus, & mente fideli
Te te unum, & te te trinum, teque omnia fassus
Vultu, animoque humilis sacras tibi volvor ad aras.
Et quando Deus es trinus, Deus attamen unus,
Per quem (quam lustror) felix in singula nitor
Nomina præfatus sancta, & venerabile signum,
Sic uni hæc mea sit pariter vox agnita trino,
Hasque preces trinus nostras admiseris unus.
Pœnituit dudum sontem, scelerisque peracti
Ingemui infelix sordem, infelixque gemiscam
Jam bonus, insanos dum spiritus hos reget artus:
Ut præstat sine labe datam contingere metam,
Et præstat tibi dulce mori noxa procul omni:

O Deus, o miserere mei, miserere precantis,
Trine Deus, Pater omnipotens, & tu inclite Fili,
Tuque Amor, ut pariter vobis sunt omnia curæ.

Divæ Virgini Hymnus.

Salve siderei gloria stemmatis:
Virgo præsidium, & certa salus bonis:
Incorrupta Parens, inviolabilis,
Et sancti Geniti sancta puerpera.
Patris perpetui Nataque, Sponsaque
Regina altitonans sedis olympicæ,
Cui Christus suus est, cui Deus assidet.
Salve splendida fax virginibus tuis,
Lucina omnipotens, spes parientibus,
Humano ut generi provida præsides,
Nec jam sit misero te duce fas mori.
Salve cui Charitum sexus amabilis,
Cui Cœli unanimes Spirituum chori
Aër perspicuus, flammivomus globus,
Ingens oceanus, terraque serviunt.
Salve perdomiti Diva piaculi;
Quæ nos ætheree restituis plagæ,
Quam Diræ fugiunt, Tartara contremunt.
Ut Cœlos referas arbitrio pio,
Ut Virgo imperium conteris inferum,
Ut Christus tuus est, ut Deus assidet,
Ah ah me quoque, me, spes mea, comprobes.

Eidem alter Hymnus.

Sed te iterum, & tua sancta vocem pia numina, Virgo,
Addictum Dea præsidium mortalibus alma,
Qua scelere insano merita non morte perimus,
Ut pietati orta, & vitæ spes maxima nostræ es,
Cœlorum Regina potens, cui Tartara parent,
Sancta ut mente viges, æternum casta, pudica,
Et sine labe ulla Virgo, via certa salutis:

Sola ſacrum ſidus, quod nullum interluit æquor:
Sola Elice æternæ lucis, qua ſoſpita puppis
Sulcat inacceſſos ſcopulos, & cæca pericla,
Quæ Siren blandita ſolet, quæ Scylla minatur,
Mundanoſque vomens luxus epota Charybdis.
 Diva fave, Diva o felix mihi rite vocata,
Diva potens, quæ nata Dei es, quæ Sponſa, parenſque,
Et miſereri orta, & labes eradere noſtras
Cura tibi, ut laus hæc eſt, atque hac dote ſuperbis.

Ad Philippum Albriſium, Flaminem Virginalem, vita & doctrina eminentiſſimum, ex ſorore nepotem, adhortatio, ut in ſolitudine D. Virginem celebret.

Philippe, Flamen Virginalis integer,
Parentis almæ Virginis, Matris Dei,
Itemque Filiæ, parit quem mox, Dei,
Miraculo quod ſolus inſtituit Deus,
Trino ſupernæ mentis auſpicio duce,
Mortale ſupra ingenium, captum ſupra
Spirituum cœleſtium ſancti chori:
Miraculo, quod improbus haud Tartarus,
Maligna plebſve Eumenidum reſciverat,
Jure tremiſcens modo plebs Eumenidum,
Virginea jam prole numine agnito:
Miraculo, quo reddita eſt mortalium
Cœleſtibus gens ſoliis Chriſtigena,
Perpetuo fraudamur hinc nec ocio
Diſcubituri nectar ad ambroſium,
Fluenta per perennia æternæ dapis
Fecundiore haud fabuloſo poculo,
Quo ſaturemur uſque numquam ſaturi,
(Labem peroſi, quoque plectimur jugo)
Humana vis ut appetit, perennius
Non perituros, quos Deus fluit, favos
Clementiore ſitibundis munere:
Philippe flamen inque amatior nepos,

Qui me in Jambos desides citas modo,
Ut ambigis, quid rure liber audeas,
In solitate cœlitus tibi credita,
Velut veterno pressus angaris malo
Insaniæ vel improbæ delirio:
Numquam Minerva consulet probe sucm,
Professa nec belle in Athenæo est anus;
Tu tamen audi quod paterne moneo
Annosus auctor (insolentia procul)
Auctor probatæ fidei conspicuus,
Relligio quem vera Christi commonet,
Omnipotens quem Paracletus edomat,
Lux increata non inaccessa bonis
Fecunda sempiterni Amoris soboles,
Dulcedo summa, summa suaveolentia.
Quid sulcet æquor improbum periculi
Carina certior furente vel Noto,
Vel Aquilone sæviente pessimo,
Ubi Carybdis irretire promptior,
Latransve nautis Scylla vorticosius
Obire negligentioribus solet?
Aranda laudem Mintii potius vada,
Securiore blandiente murmure,
Subsalientis undulæ ad Favonium.
Avarus obruta gemit turpe rate,
Ut patrimonium vorax mare sorbuit,
Quod malesano constitisset solide
Si parva cautus arva, vile supparum
(Tenujore ferculo satis satur)
Præposuisset ambienti purpuræ.
Marte superbus occubat miles suo,
Quietis impatiens protervus ut furit,
Et concitata properat per vulnera
Perimus ultro sæpius ventre, gula,
Agunt beate, quos premit nequitia
Insania sic pruriunt illepida,
Mortalium contagies improbior.
Discrimen illud vereor præ ceteris,

Occaſio quod imminens frequens ſolet
Si populoſa forte turba plauſerit
Conſpiciendus, ambiaſque civibus,
Philippe, quæ procella ſit voracior?
Quod rete ſubdolum magis? fidum minus?
Fortuna larvas induit fallax novas:
Quis lapidoſa tutus ambulet loca?
Non oculata ſemper eſt virtus vigil:
Cœcutiens frequentius mens concidit.
Bacchatur improbum ſcelus ruri minus.
Hic nullus æmulantium ſtrepit furor,
Malivolæve curiæ tumultuant:
Libido cedit, it inane ambitio.
Nil inſolenter obtigit ruricolæ;
Hic tenues ſapiunt dapes auro ſine,
Splendidiore vel paratæ embammate,
Exilium curis, & indictum hic foro
(Ut jurgii eſt acer comes) ſilentium,
It pede nudo Veritas, Debes, Tene.
Hic duriuſculus, ſed ingenuus labor:
Sudore liberalius nil ruſtico,
Anguſtiore pro re it amplior fides.
Nil rure tam compoſito eſt beatius:
Tibi, Philippe, gratius nil ſuppetat,
Cui non arandum larga vis Cœli dedit,
Lanitii cui cura non eſt credita,
Triticeæve meſſis ardor anxius,
Cui non riganda prata ſunt fœniſecis,
Nec polienda ablaqueata vinea,
Faſtidit hæc ut animus nobilior,
Sublime ut hæc dignatur ingenium minus.
Commoditas, & ocium hoc ſuavius
Tibi, Philippe, ſuggerat quod audeas,
Quod intones felicius tumens Deo,
Diſertus, & ſapientia eminens gravi.
Num ſubit Alma, cui dicatus es, Dea?
Pudica virgo, candor, & decus tuum,
Cui ſacra debes, cui cothurnos induas,

Deo audiendus Filio, Deo Patri,
Et Paracleto amandus (ut ſuberit) Deo?
Aude ſacrata pleđtra Virginis orgia,
Quæ ſtupeant cœleſtium ſummi chori,
Miretur æther, aſtra ſupprimant rotas,
Et fabulantes ſomnia hinc ſubſileant.
Age, Philippe, quid beatius petas?
Age melos granditonum, ſanctiſonum;
Ut famulari flamini his lubet ſacris,
Lilia gemmis inſerunt, violas roſis.
Et gratiæ gliſcunt tibi; arridet Dea.

Divo Jo: Baptiſtæ Hymnus.

Te quoque, Dive Pater, felici aſſeſſor in ortu
Sancte mihi auſpicio in magno, & tua numina adorem,
Quem merito, quem jure vocem ſanctumque, Deumq;
Jam ſterilis fœturam uteri, annoſique Parentis,
Et ſummo mandante Deo (mirabile dictu)
Non jam natum hominem, ſed mundi lege ſolutum
Conditione procul mortali; & labe ſupina,
Matris adhuc ut præcluſus velamine ſancto
Naſcentem æterne natum, ſua gaudia mundo
Præſentiſque Dei numen, certiſſimus index
Jam monſtras, humiliſque æterno advolveris agno
Ante ortum Chriſto addictus, quem grandior olim
Fonte laves non immundum, & baptiſmate luſtres,
Fundatorem orbis magni, terræque, mariſque,
Fundantem ſacratum opus, & veſtigia firma
Cœleſtem in vitam nobis molimine certo.
Ergo age, Dive Pater cui tot miracula longo
Prœlucent, penitus ſanctam renitentia mentem
Ne vatem, ne linque tuum, ne ſperne precantem
Nomine qui inſignis tanto in natalibus ambit
Tantum aram, & tibi divinos meditatus honores,
Ut tibi cum Chriſto tantum natalia fæſta
Externis celebrata etiam Gentilibus ipſis.
Tu mihi, tu ſummus vatum tibi ſancta fluenta,

Di-

Divinique lacus refluunt, age rore beato
Baptiſtam Baptiſta riges, quo promptius amplam
Deferar in laudem, tibi prona, & mente fideli
Sive habites terras hominum, ſeu luſtra ferarum
Melle ſatur ſancto, divinoque ubere paſtus,
Quem ſiceræ, aut madido non ſolvant vina Lyæo,
Ut gaudes placuiſſe Deo, religatus eremo
Sponte inopi, exilio & grato tibi in ocia ſancta
Contentus pelle hinnulea vix pube revincta,
Cetera nudus agens, cui ſaxum molle cubile,
Antra quies dulcis, camerataque tegmina ſilvæ,
Vivendi genus auſterum cui ſolus anhelet
Mente Deo injunctus tota, & cœleſtibus oris.
Hæc omnis tua cura, Pater, ſic totus amore
Solveris, inque Deum aſſidue flagrantius ardes
Voce Deum effatus verbum, quod mente volutas,
Indice & extento monſtrans, quem lumine cernis,
Ore Deum, mente, atque oculo, & ſimul indice faſſus.
Et quamquam non ſorde labes, madeaſve reatu,
Caſtigas tamen, & te humilis, populoſque coërces,
Pœniteatque mones; cum jam plena ara ſalutis
Inſtet, & ecce Agnum, clamas, qui crimina tollit,
Ecce Agnum, ecce Deum, qui mundi crimina tollit.
Tu clamas, reſonant colles, nemoroſaque eremus,
Ecce Deum, ecce Agnum, qui mundi crimina tollit.
Hoc amor ille tuus, Pater, & tua libera in omnes
Larga facit pietas, & ſancte prodiga virtus
Oblitoſque ſui, pariter rectique, Deique
Cogis (ut orbatos) in limina tuta reverti
Tu pater, hæc, Deus ipſe tibi mentem oraque ſolvit:
Fitque Dei tribuente manu tua gratia major,
Ut præſtas natos omnes, numquam editus infans
Divinus mente ante ortum, & maturior ore,
Matrem immo intra alvum vegetans arcana profeſſam
Prævius ipſi etiam Chriſto, cui naſceris auctor,
Intactæque viæ in ſanctam monſtrator eremum.
Tu ſterilem ſulcas campum, quem virgine natus
Seminat æterni proventus, fruge beata.

Tu ſoli in tenebris præcurrens lumina pandis,
Lumina juſtitiæ æternæ referentia lucem.
His polles, Dive o, titulis, hinc laudibus ornat
Te merito innumeris, qui jam tibi volvitur orbis;
Nec mirum, cum te numquam mentitus honoret
Ore Deus ſacro, qui te mortalibus unum
Præficit, & te uno præ charis omnibus ambit:
Quique novo nondum natum te nomine ſignat;
Mirantur patres urbis, cognataque turba
Ipſa ſui Heliſabe cœleſtis conſcia fœtus,
Annoſuſque Pater divino in nomine gaudent.
Spe puer in magna lætæ tandem ederis urbi,
Blanda anus inſanit genitrix in munere tanto,
Excitus pater attonitæ retinacula linguæ
Erumpit, plenuſque Deo præſagia mira
Orditur, divine orto blanditus alumno.
Sed, Pater, heu blanda heu mater, jam currite ſummos
Quiſque dies veſtros, nec tanto aſtate dolori.
(Horreſco referens) veniet properantibus annis
Invidioſa viro ſancto tam candida virtus.
Jam ſe ſe minui, ſibi quod prædixerit olim
Sentiet; heu patres ne tanto aſtate dolori.
Quid non inceſtus, damnataque Adultera poſſit?
Pſaltria quid nequeat mollis, turpiſque libido?
Proh ſcelus, ecce caput diſco defertur honorum
Juratum regi infande, Dux femina facti!
Tu puer ante aras calices mihi ſuggere puros,
Polluere haud ultra liceat ſacra Orgia noſtra.

Ad Jacobum Brixienſem Monachum, celebratio Carthuſienſis ſolitudinis, & duobus Hugonibus Hymnus.

Quando, Jacobe, ſparſimus tandem nuces
  Dudum relicto pueris levi trocho,
  Anilis ut fabellæ inane ſomnium,
  Reliquimuſque Græculas licentias,
  Quibus juventa pruriit frequens mala.

Quan-

Quando virilem ſapimus prudentiam:
Et cana barba jam ferit præcordia:
Severiores nec rubere nos decet,
Obiicitur ſi forte negligentia.
Quando vacare ſeriis proponimus,
Et cogitamus imminens jam craſtinum
Depoſituri forſan, & propediem
Mortale corpus anxium jugum bonis,
Ut omnibus vel ocyus vel ſerius
Eunda certi ſemita eſt occubitus,
Perpetuumque liberanda mole mens,
Mens bibitura ſempiterna pocula
Delicium ſuave, Cœli pabulum,
Sordidior ni temere deliquerit.
Quid improba tepebimus nequitia?
Quid maleſani turpe delirabimus?
Et quid agendum quando ſimus moniti?
Ceſſabimus, quod inſtat, eniti decus,
Et omnium ſublime munus aggredi?
Eja, Jacobe, præſtat hoc probe mihi,
Agenda vita hæc procul eſt infamia,
Statque inhiandum haud perituræ ambroſiæ
Sic ter vocatus annuat trinus Deus.
Quid tamen. abſtet? & tu identidem libens
Auſis idipſum certiore carbaſo,
Securiore tibi puppe credita,
Ut ſolitate conſtitutus integra
Carthuſienſe ſub jugum ſuavius
Jucundiore reſipiſcis ocio:
Mundana nec te revocant commertia,
Ambitiove prodiga inſolentius,
Non rixa mendax, non libido auritenax,
Non affluens lauticiæ pernicies,
Tumultuans vel improbe æmulatio.
Tantum modeſta vos habet frugalitas,
Nequitiæ quæ domitrix ſeverior
Nihil ſupinum, molliuſve ſuggerit,
Ne ſolitatis ardor hinc deferveat

Sin-

Sincera quo divina mens Carthusia est.
Christicolis anhela claustra plurima
Relligionis arduæ probaverim,
Ut in amore gratus est labor Deo.
Nonnulla nudo pede mensam quæritant,
Complura nuditatis hujus inscia
Mendiciter vixisse sponte deligunt.
Sunt cœnobitæ multiformis ordinis,
Sed fidei conspicuæ, & mentis bonæ,
Quis nuditas, & odio est mendicitas:
Carthusiensis grata nullis solitas.
Præsbyteris proprietas licentia est,
Hinc Parochiæ non amantur inopes,
Tumet libidinosa avara ambitio,
Discriminoso militant periculo.
An me, Jacobe, Judicem citas modo
Candidioris quem vocas propositi,
Quo nuda prodit veritas liberius?
Titillat ut petulcior Voluptia,
Et nulla mundo sine labe gaudia,
Carthusiensis mihi grata est solitas
Frugalitatis vinculo modestior.
Homo Deus sic agitur perfectius:
It mens Deo divina sic internior:
Sed sæpe cum necesse sit quo plectimur
Nec nuditas amica nec mendicitas:
Si minimo stat vita, non stat nihilo.
Sibi relicta (si comes frugalitas)
Procul negociis, & illecebris procul,
Proculque nuditate semper querula,
Fit solitate promptius mens enthea,
Frequentiusque amore summo rigua est
Delicium suavius quis appetat?
Nectareum quis mage mel liguriat,
Quod meditatu sit frequens vel unico?
Mens prona fertur in Deum Carthusia,
Mens sancta pudica, mundi nescia,
Cui solitatis dulce Christi vinculum;

Ut puerili vix peracta ætatula
Christus eremi coluit latibula,
Præsagiens hanc fore vitam cœlitum,
Mundana temnit omnia ut mens enthea.
O ergo Christi vera vitæ regula,
Religio beata, sancta solitas,
Sed numerosa, & populosa solitas,
Cui Christus auctor, & magister assidet?
Sed populosa civitas Hierusalem
Vera bonorum patria, & domus Dei.
Ergo beatis, Hugo magne, auspiciis
Quam labilis mundana sit conditio,
Ingenitæque conscius proterviæ,
Humana qua perennius mens angitur,
Instituisti claustra solitudinis;
Nec jam rogari passus ab Theutonico,
Sed fervidus jam solidus proposito,
Et solio Pontificis posthabito,
Occasione labis hinc edomita,
Proculque prorsus improbo periculo,
Sic æmulatus es Dei consilium;
Nec nostra jam dignaris hæc hospitia;
Sancta o superbia, sanctaque æmulatio,
Secura sanctæ norma rectitudinis!
Quid, bone Bruno, flagitas, quod ille te
Precetur ultro solitatis anxius;
Antistiti jam concito nil gratius
Septena dulce in iter astant lumina
Superna mens commonuit, viam parat.
Aude Comes beate sancte Presbyter,
Future jam Dux in eremo Præsuli,
Jube, jugum paratus ultro subiit.
Nil sceptra, nil jam curat agnos creditos,
Eremus huic est cura, grata solitas,
Stillat ubi perenne manna dulcius,
Halant ubi perenne cœli balsama.
Exilium fidele sic perambulat,
Vestigioque allectus haud ambiguo,

In comitatu ſtat Dei perpetuo.
Divina ſed quid non queat clementia?
Relligioſa dulce fragrat ſanctitas,
Spirat odora vita ſolitudinis,
Creſcit caterva ſolitatis incola:
Huc Galliis ex omnibus jam commeant,
Qui ſitiunt hæc pocula, has delitias,
Diſcubuiſſe gaudet hic Italia;
Currunt Iberi, navigat Britannia.
Nec labitur jam longius mox ſæculum,
Ecce jubar fulgidius reſplenduit:
Emergit alter Hugo, ſidus alterum,
Tum ſolidæ cœleſte dogma regulæ.
Hunc ſancta eremus, hunc ſtupeſcunt accolæ,
Adorat orbis hinc & inde confluus.
Ad te decus Carthuſiæ jam vertimur,
Sic humilem digneris, Hugo, barbitum,
Auſtera cujus probitas ſic nituit,
Sic vita ſolitudinis perſpicuæ,
Ut jam procul mortalibus ſis habitus,
Ore Deo ſimillimus conſpiceris,
Sermone, ſanctoque opere ut potens Deus.
Mirum decora ſi viget miraculis
Mens tua tam repoſta, tam recondita,
Tam ſancta quid non poſſit, Hugo, hæc tua mens?
Aſſeda Chriſtus aſſidet propoſito,
Et ſolitate gaudet ut ſancte obita,
Jam ſupplicantes non anhelant irritum,
Per te valere languidos quis ambigat?
Jam jus ſuum dementibus reſtitui,
Et abigi perſpeximus delirium,
Mortale quod non audeat conſilium.
Pontificem quis rite non admiſerit
Rogante rege, & inclita Britannia,
Sic annuente ſempiterno omnibono,
Cui ſemel ictum fœdus inſolubile eſt?
Lyconiæ tu dirutæ præficeris,
In lacrimaſque ſufficis lætitiam,

O ſan-

O ſancta vota, ſancta Chriſti acceſſio,
Benigna ſancti numinis Clementia!
Jam commones quo mereant Epiſcopi,
Quîs creditur procella navigantium,
Et miſerorum ſarcienda carbaſa;
Hæc ſolitatis erudita dogmata:
Conſpicuæque charitas Carthuſiæ
In miſeros anhelat ardor entheus,
Amore fragrat alma ſuaveolentia,
Numen honorum veneratur Anglia.
Sed, ſancte Paſtor, jam ſuperna gaudia,
Et ſubeunda vita ſempiternior,
Jam morte liberaberis beatior,
Jam pietatis munere tam fervido,
Quo nituiſti in ſolitatis ocio,
Lynconiæque in anxio negocio
Tibi fruendum jure Chriſtus offeret.
Ut tulit in natalibus blanditiis
Reges Eoos ille regum maximus;
Sic tibi, Sancte Præſul, in funeribus
Occiduos aſtare reges ſtatuit,
Pontificeſque illius orbis inclitos.
Ecce feretrum bajulant compoſiti,
Par pietatis ardor omnes occupat,
Et grave lacrimati, adempti incommodo,
Officio quo datur hinc te proſequi
(Pronus ut orbis undecumque convolat)
Te quiſque adorat, tibi quiſque flectitur,
Propitioque in numine ora ſolvunt,
Præcipue quîs ſolitas hereditas.
O ſancte noſtri miſerere Pontifex,
Lynconiæ perpetuum præſidium,
Carthuſienſis Hugo fama gloriæ,
Jam celebratum dogma ſolitudinis.

Divo Paulo Tarſenſi Hymnus.

Nunc ad te legis vix pubeſcentis honore
Immo infantis adhuc, nec adhuc plena ubera paſtæ,

At-

Atque auctoris adhuc madida sub cæde labantis,
Saule tremor, solvo: tu lintea plena secundis
Fer Zephyris, fremitu posito, pulsoque furore,
Quo Christo addictos quondam torquere solebas:
Cur secus accurras? quid longa insanior ira
Jam sævisse potes? si non illustria facta,
Persææque manus pietas, & gloria tangunt,
Qua salva Andromede est, & sancte cæsa Medusa,
Qua patriæ tumuisse tuæ laus inclita fertur,
Addita qua nova tunc cœlo tot sidera fama est,
At moveare, olim, quod Christi in munere magno
Mentito non illusu, nec somnio inani
(Ut clemens sine fine Deus) cohiberis habena:
Et feritate madens tetra in consortia divum
Cogeris, arcanique sinus dignaris honore,
Ardore afflatus supero, vivasque Tonantis
Percitus ad voces, quod nulli contigit unquam,
Quamvis innocuo, atque insonti pectore casto:
Sic bonitas immensa in te, sic prodiga fusa est.
Ergo Deo, & dulci, quem flagras, captus Jesu,
Quem vivus toties resonas & mortuus ore,
Elatos quo restituis in munera vitæ,
Ut tibi in officium blandum succurrit abunde,
Quantum Relligio, & Christi tibi gloria curæ,
Et me respicias, meaque in præcordia tendas,
Instillesque melos, quo jam Dionysia per te
Intonuit tuba divinos edocta triumphos;
Ut per te in lumen felix in dogma salutis
Commonitus pulsa invaluit caligine cæco,
Ignotumque prius numen Dionysius arsit.
Te cano, Paule, libens Christo in certamina magna
Auspicio æternum solido, & molimine firmo,
Delecte in rabiemque feram, sævosque furores
Eumenidum, & multa heu nimium jam cæde madentis,
Sanguine, nec saturi passim saliente tyranni;
Christicolis ut jam cæsis, sic morte parentat,
Paule, tua Christus, finemque imponere cladi
Morte tua instituit, non ultra passus iniqua

Sic ſævire ira tot in impia funera regem:
O fauſta, o non mors, o felix vita perennis,
Vita piæ vivens genti, cœtuque fideli!
Mirum ſi ſancti ſpirant hoc funere odores,
Si ſanctum jubar effulget, ſi lactis inundant
Flumina, nectareoque madent rigua omnia fonte,
Conſcia ſunt tam ſancti epuli, ſanctique holocauſti
Tam dulce halantis Chriſto, & cœleſtibus aris,
Tam dulce ardentis, caleant quo numina cuncta,
Quo flagrent non jam delira amentia corda,
(Dogmate ſi qua tument inſano, & inanibus auſis)
Nec pudeat tam veſanum excuſſiſſe veternum.

Divo Petro Max. Pont. primo.


Quo tandem ſolidum præ miſſis carmine pectus,
Petre, tibi accingar ſacra tam ſolemnia nixus,
Ut Chriſto comes is primus, cui pignora vitæ
Ultro offers, ſpondens certum, ſpondenſque fidelem?
Qui ſolus turbæ infenſæ diſcrimine magno
Exempto occurris gladio, nec linquis inultus
Turpe in vincla adigi detentum, & vindice nullo,
Intrepide pugnans, illo moriturus adempto.
Quique audes mare nec pavidus ſulcare profundum,
Et propere ad dominum ſicca decurrere planta,
Quod ſecurus amor monuere, ardorque fidelis?
An ne humiles ortus referam? ſubitoque relicta
Retia, quum prima excivit te voce magiſter,
Semper ut es præſto mandantis vota ſubire?
Eſt aliquid fleviſſe diu, dominoque perempto
Pene oculis, riguiſque genis mœrore litaſſe;
Cæcutis ut jam lippus, rimiſque fatiſcis:
Sed forſan tua mors humilis te moverit olim,
Quod cervice cruci demiſſa affigier oras,
Ut ſua in extremum maneat reverentia Chriſto,
Neve Deo moriturus eas in funere compar.
Non animo iſta ſedent noſtro: ſint grandia quamquam
Non

In ſolo ſpectanda Deo vel numine magno;
Scilicet unum illud præſtat, præque omnibus hic eſt,
Quod miſſos anteis omnes, quod credita primum
Puppis ſancta tibi eſt, quod ſancte creditus orbis,
Quod moriente Deo legis ſit ſumma novatæ,
Petre, tuo dicta arbitrio, quod ſingula cures
Pontificum ſummus, geminaque in clave miniſtres,
Deſque, adimaſque animas Cœlo, Stygiumque furorem
Pro libito avertas, nec te ſine vivere ſanctum,
Humano generi quod primum Chriſtus anhelat
Supremo hoc mortale genus dignatus honore,
Non horrens mortem in labes, & crimina noſtra:
Sic animæ ſunt curæ illi; viventibus amplum
It mundus nobis munus: poſt fata perennis
Sancta manet vita inſontes; hæc cura quietum
(Ultro poſthabito Cœlo, ſoliiſque beatis)
Sola Deum verſat, ſolo hoc in munere pendet
Per nos addictus pœnæ, ſævoque dolori,
Ærumnis tot ſponte obitis in commoda noſtra,
Sponte Crucem ſubiens crudeli funere functus,
Non ad delicias, non natus ad ocia vana,
Non ad opes, non ad luxum, faſtumve tumentem,
Qui ſolis lacrimis, ſingultu, & paſtus amaro eſt,
Felle ſatur ſupremum in munus, munere noſtro:
O pietas ſine fine vigens, ſine fine profunda!
O amor, o ſine fine Dei, ſine fine voluptas!
O bonitas ſine fine fluens tam ſancta fluenta!
Hoc, Petre, hoc tantum præſtas, ſanctumque mereris:
Scilicet hoc unum eſt, hos es quæſitus in uſus,
Hic animis ſanctæ Sedi; ſolioque fideli
Præficeris, ſancto Chriſti cauturus ovili:
Hæc mens ſola Dei, ſola hæc mandata voluntas,
Hoc opus, hic Chriſto gratus labor unica cura hæc:
Illæſam jam vult ſedem, ſic clavibus auget
Imperium, ſic ſufficeris moderator habenis,
Credita ſic cymba in tutum eſt, in littota ſalva
Scylla vorax, ſævumque vomens vitanda Carybdis:
Petre, opus excubitu eſt, monuit ter pervigil ales
Jam

Jam venisse diem, quo sancte obeunda potestas:
Commissum ne linque gregem, populumque fidelem:
Ocia sint sua sancta ovibus, divinaque Tempe
Exemplum Pastor ventura in sæcula longa,
Quod spectent proni qui sanctum hoc munus obibunt.
Sed jam sat monitum est, & fausto fine perorem,
De summa hic animarum agitur, de sanguine Christi:
Omnipotens Deus est Christus, non mota voluntas:
Justicia æternum constans, & criminis ultor:
Spectatæ fidei, & sanctæ probitatis amator.

VINCENTII A FILICAJA

FLORENTINI.



Beata Humiliana Regali filiæ improvisò extinctæ vitam impetrat.

OCcidit! inferias vidui comitentur amores,
  Effusaque fleat forma, leporque coma.
Occidit (heu matrum nimis anxia vota!) puella,
  Heu nimiùm matri chara puella suæ.
Ipsius ante oculos, ante ipsius ora Parentis
  Occidit, & subitum possidet ossa gelu.
Hanc sibi jam Charites quartam ascivere sororem:
  Hanc Tusci Proceres expetiere nurum:
Sed quò forma abiit? quo quo risusque, jocique,
  Et facies, qua non altera amabilior?
Et vox, dulce loqui quæ nocte, dieque solebat,
  Et facere innocuas auribus insidias?
Improba mors! cumulas quot crimina crimine in uno
  Quàm malè de tota posteritate meres!
Inflictum est ævo vulnus lethale futuro,
  Et plura in se unum funera funus habet.

Hîc præcisa ætas; hîc spes jugulata nepotum.
  Tota hîc pæne jacet semisepulta domus.
Quid faciat miseranda parens? num pectora palmis
  Tundit, & insana sidera voce ferit?
Quodque unum restat miseræ, num frigida membra
  Alloqui, & o saltem dicere, Nata, vale,
Num prensare juvat dextram, num claudere ocellos
  Quos tegit æterna ferrea nocte quies,
Et quos illa oculis modò plus ambobus amabat,
  Et solatiolum qui modo matris erant?
Fallor! habent magnæ nimis alta silentia curæ;
  Et levis est, vano qui madet imbre dolor.
Illa tacet, casuque animum labefacta sinistro
  Vim facit ærumnis, & grave vulnus alit.
O dilecta Deo, lacrimis quæ dicere legem,
  Et servare modum, temperiemque potest!
Una illi ingentem Divinæ Virginis Icon
  Spem facit, & magnâ cum Genitrice Puer,
Icon, sive cadat, seu sol caput exerat unda,
  Suppliciter flexo sæpe rogata genu.
Hanc venerata diu, Puer o dulcissime, dixit:
  Aspice, quanta mei pars inhumata jacet!
Nata jacet: natam mihi mors crudelis ademit,
  Natam animæ partem, dimidiumque meæ.
Ah si qua est pietas, matri succurre; decorum est
  Et matri natam reddere, meque mihi.
Sors utranque eadem maneat: servabimur ambæ,
  Anne ambas letho destinat una dies?
Auspice te, superas fas illi evadere ad auras,
  Et mortis duro a limine restitui.
Jam precibus mater Puerum Naina redemit,
  Et potuit veritas ille redire vias.
Nec frustra extinctum gemuit soror utraque fratrem
  Quem potuit reducem quarta videre dies.
Non minus infelix ego sum, nec parcius opto,
  Nec minus est fidei, nec minus ipse potes.
Eripe, namque potes, natam precor, eripe letho;
  Accedat palmis hæc quoque palma tuis.

Dixit, & exanimem ſigno præmuniit alto,
  Victa ſalutari mors ubi morte fuit.
Nec mora ſupra animi captum pulcherrimus Infans
  Inceſſu, forma, vultu, habituque Deus
Icone de parva (magnum, ac mirabile monſtrum!)
  Proſilit; & læto purpurat igne color.
Vix oculis, animoque fides, miratur olympus,
  Mirantur trepidi talia monſtra lares.
Ille ubi ter moto pede ſubſtitit, ora puellæ
  Luminaque æterno victa ſopore levat;
Et ſuperimpoſito, trepidant quo Tartara, ſigno,
  Vaneſcit fumum ceu vapor in tenuem.
Jamque habitat calor oſſa redux, oculoſque recenti
  Morte graves implet jam nova luce dies.
Forma redit, geminas & qui modo lampadas ignis;
  Nutriit, & roſeus qui fuit ante color;
Inque locum primæ ſe ſe nova ſubrogat ætas,
  Atque intermiſſum vita reſumit opus.
At mater (læto manant nam talia fletu
  Gaudia) feſtivas ſolvitur in lacrimas.
Nec jam oculis, ipſis nec habere amplexibus audet
  [Tanta rei novitas] quam cupit ipſa fidem.
O tandem exclamat: rurſum mea, tene ego vivam
  Aſpicio, an falſis ludor imaginibus?
Vivis io, mea nata: preces Deus audiit; ac tu
  Bis mihi nata; tibi bis ego facta parens.
Ille hauſtus Cœli puros, ille aſtra, diemque
  Reddidit; oh quantum vota, preceſque valent!
Jam fruere his donis, & quæ tibi tempora reſtant,
  Vive Deo, cui non vivere, pæne mori eſt,
Id te unum ſupplex moneo, ſemperque monebo,
  Idque unum poſco, filia: vive Deo.
Felix, cui nullo traducta eſt crimine vita,
  Nullaque de toto cui perit hora die.
Sic ait, & magnum voti rea numen adorat.
  Ah pereat, facilem qui negat eſſe Deum.

Ob Arni inundationem ad B. Humilianam precatio.

Fallimur, an vindex iterum Cœlo excidit imber,
Atque iterum infensis terra operitur aquis?
Oh utinam aut oculis extrema ærumna careret,
Aut oculis saltem crederet illa minus!
Spumeus inscensis equitat jam pontibus Arnus,
Jamque sibi tota sternit in urbe viam.
Affer opem, nostræ si qua est tibi cura salutis:
Sanguis, Diva, tuus te rogat, affer opem.
Aspice, ut immensum Cœlo ruat agmen aquarum,
Atque undis jam jam desinat esse locus!
Cum stabulis armenta suis (miserabile visu!)
Cum pastore pecus, cumque serente seges.
Non sine camporum fremitu, nemorumque fragore
Undosum per iter, qua data porta, ruunt:
Jam volucrum nidos phocæ populantur, & ulmos
Occupat expulsa jam Melanurus ave:
Jamq; (ingens monstrũ!) summa natat arbore Delphin
Materies duræ fertilis historiæ.
Quid querimur miseri? digitis a morte duobus
Absumus; atque vorat naufraga verba fretum.
Tolle, precor nimbos, tempestatesque coërce;
Pœnarum satis est, Diva, superque datum.
Ni te fœda movet patriæ trepidantis imago,
Ad te ambas tendit quæ ruitura manus:
Has ultor pœnas vel si Deus exigit, & nos
Post patriam eversam debita fata manent,
At saltem cineres, & non violanda sepulchri
(Hoc satis est miseris) jura tuere tui
Nostræ fata urbis tumulo conduntur in isto,
Semper & hæc illo sospite sospes erit.
Audimur! procul ecce fugit nimbosus Orion,
Humentesque Hyadum verberat aura comas,
Decrescitque Arnus, veterique modestius alveo
Redditur, & servat vallibus unda fidem.

Un-

Unde nova hæc Cœli facies? ubi Caurus, & Auster,
  Nubilaque epoto non satiata mari?
Quis postliminio reducem Solemque diei,
  Ereptumque oculis reddidit hisce diem?
Imperiosa precum vis est, & dicere legem
  Ipsi audet Cœlo, vimque jubentis habet.
Quantum, Diva, tibi servata hæc mœnia debent!
  Jure quidem patriæ diceris esse parens.
Auspice te, sudum, redivivaque cernimus astra:
  Auspice te, junctis jugera bobus arat
Agricola, & scissis anni spes creditur arvis.
  Usque adeo docuit multa rogare timor:
Multa rogare timor docuit; sed plura dedisti;
  Nostraque sunt donis vota minora tuis.
Verum aliquid possunt si carmina, non ego nostris
  Te indictam chartis, præteritamque sinam.
Nec te ardens Libyæ, nec te domus utraque Solis,
  Arctoi nec te nesciet unda maris,
Tuque mihi semper columen, tu rebus in arctis
  Tutela, ac magnum tu mihi numen eris.
Nunc ades, & patriæ serva communis amorem,
  Bisque tuam, salvis mœnibus esse puta.

De Eadem.

Nox erat, & facilem suadebant astra soporem;
  Subque interregno cuncta quietis erant;
Excubiasque animus jam non sopitus agebat;
  Cum se oculis offert Humiliana meis.
Oh numquam vigilem; vel si vigilare necesse est;
  Talia contingant somnia sæpe mihi!
Ite procul, qui vera loqui non creditis umbras;
  Desinite in somnis quærere nolle fidem.
Tuque Argiva tace jam fabula: non mihi eburnis
  Nocturna hæc facies exiit e foribus.
Falsa monent superi numquam; nec fallere Divum est,
  Et certe nequeunt ficta latere diu.
Illa mihi haud umbræ similis, nec qualis inane
  Accipere haud raro corpus imago solet;

Sed vera, aut veræ proprior ſe ſe obtulit, & quam,
  Si credas oculis, jure ſilere neges.
Neſcierim ſane, qua ſe ratione priori
  Reddiderit formæ, deſieritque mori.
Palla pedes illi prolixa fluebat ad imos;
  At pauper duro in vellere mundities.
Tegmen idem capiti; funis latus aſper habebat,
  Pandum extenta librum dextera, læva Crucem.
Mox ubi dulce oculos in me defixit amicos,
  Divino tales edidit ore ſonos.
O vita mihi chare magis, dum vita manebat,
  Caſte Poëta: bona te Deus auctet ope.
Sis licet incelebris, non tu ſine pectore corpus,
  Plebejamque ſitis non tua potat aquam.
Nec ſophiæ fontes labris primoribus hauſti:
  Cetera ſi deſint, eſt voluiſſe ſatis.
Tu prior aggreſſus cineri dare carmina noſtro:
  Tu cantare udis ante ſepulchra genis,
Ingenium, & lacrimis, vocemque afflare dolori,
  Et facere, ut me etiam fama loquatur anus.
Ni mens iſta tibi, patrio vix nota laterem
  Pæne ſolo, & mutus clauderet oſſa lapis.
Tu majora aude; tua ſunt mihi carmina curæ,
  Carmina, quæ porro nil niſi numen olent.
Ah pereant, inhoneſta ſuus quæ polluit auctor
  Scripta; ſed hac vatum pars quota labe caret?
Vix purum quicquam invenias, utinamque Poëſis
  Vel formoſa minus, vel mage caſta foret.
Tu mores huic redde ſuos, artemque pudicam,
  Qua potes, extremo vindica ab interitu.
Ipſa animos addam, ac vires, adero ipſa canenti:
  Ipſa operis conſors ipſa laboris ero.
Non imbellis enim; nec telum imbelle ſine ictu,
  Ut plerique putant, ſacra Camœna jacit.
Eſt ea certe audax feliciter, & ſuus illam
  Subſequitur cultu ſimpliciore decor.
Nec mirari auſis; nonne hanc decet eſſe, magiſtro
  Cantum olim fertur quæ didiciſſe Deo?

Ergo

Ergo macte animis: hac te fas ire volentem;
Hac iter est, raro qua via trita pede.
Te fortasse aliquis digito monstrabit; & hic est
Dicet, qui sacræ flagrat amore lyræ;
Quique altum resonare ausas, casteque locutas
Non injucunda vellicat arte fides.
Ne qua tamen, famæ dum te venientis imago
Implet, gloriolæ te levet aura, cave.
Fama malum est pulchrum, & quoddā sine crimine crimē
Deperit hanc, nimium qui sibi cumque placet.
Sit satis exiguis aliquid committere chartis:
Sit satis ingenio frangere nolle fidem:
Sit cineri superesse satis; quid in aëre prodest,
Et vanum in rapida scribere nomen aqua?
Non te sollicitos venari audacter honores,
Credula non votis te dare vela juvet;
Nec latum temere clavum indue, nec tua multus
Mane salutator limina sæpe terat.
Nec nitidis aulæ scopulis impinge carinam,
Sunt ubi tot syrtes, quot numerantur aquæ.
Te tua paupertas, & non ignobilis oti
Celabit fido tutius umbra sinu;
Et probitas (quoniam tibi præmia nulla parantur)
Census, crede mihi, sat tibi dives erit.
Altum alii teneant, quorum est audacia felix,
Dum tua vicinum palmula litus amet.
Quis furor est surdos ad lintea poscere ventos;
Fastidit gracilem fortior aura ratem.
Tu tamen obdura, vultumque immotus eundem
Exere; mutari nec tua fata velis.
Egregie immites fortunæ ulciscitur ictus,
Proterit invicto qui sua vota pede.
Sufficiant steriles, si qua est ea gloria, laudes,
Atque uni tua sit cura placere Deo.
Cetera, si nescis, velut ægri somnia, vanis
Undique nixa umbris nil nisi nomen habent.
Nonne audis, ævi torrens ut ad ima volutus
Secum una ingenti cuncta fragore trahat?

Sed tibi ſenſus hebes, ſurda velut aure cadentem
Excipiunt Nilum qui Catadupa colunt.
Si ſapis, illecebras, perituraque gaudia ride:
Sola diu probitas, & benefacta manent.
Dixit; & extemplo ſe ſe mihi, meque ſopori
Abſtulit; oh quantum nox fuit illa brevis;
Sunt ea dicta mihi ſemper vice legis habenda,
Quæ colui, & merito ſemper honore colam;
Nec tam firme altis hæret radicibus arbor,
Quam quæ animo arrectus tunc ſitiente bibi,
Sed tu, de noſtra quæ tam bene nocte mereris,
Ad mea, Diva, precor, ſomnia ſæpe redi.
Ipſa licet ſileas, vultus tamen ipſe docebit.
Non ſemel eſt miſeros erudiiſſe ſatis.

Ad Eandem.

Vidi te in ſomnis, an te vidiſſe putavi,
Frigida cum medium Luna teneret iter?
Te vidi in ſomnis: haud fallor; nec mihi certe
Suſpecta eſt animi relligioſa fides.
Nec vidi tantum; ſed te mihi, Diva, locutam
Auribus aſtipulor credulus ipſe meis.
Oh utinam quantum viſa, atque audita recordor,
Tantum ego non ſolito fortius ore tonem,
Sitque ratum quodcumque jubes, nec aranea vanum
Ah nimis exili in carmine ducat opus?
De te pauca quidem cecini; nam vectus in altum
Expavit reliquas currere linter aquas.
At quando hæ Musæ tua nunc ſub ſigna vocantur,
Atque hoc omne tibi militat ingenium,
In leges jurare tuas ut debeo, ſic te
Arma mihi, & vires contribuiſſe decet.
Jam vallum egredior, duce te; pugnamque capeſſo,
Atque tuo hæſura in pectore tela gero.
Nobiliore quidem tu cuſpide digna feriri;
Verum ego te feriam, nec tamen hoſtis ero.
Carmina erunt ictus, & ſacræ vulnera laudes,
Fama volet quorum forſitan ore loqui.

Hanc

Hanc ego militiam semper sectabor, & una
  Finis erit vitæ, militiæque dies.
Verum operis molem, pondusque hinc metior, illud
  Quod fero, & ignoro, qua ratione feram.
Tu mihi quodcumque hoc animi divinitus afflas,
  Nam sine te nostræ nil valuere fides.
Ac veluti ferrum fabrili adjuta lacerto
  Cos acuat quamvis, ipsa secare nequit;
Sic te, Diva, cano, licet inscius ipse canendi;
  Ac labor iste tuus, famaque tota tua est.
Sed Musas habeam iratas, artemque novercam,
  Si quid non sanctum scribere fert animus.
Nonne satis Cœlum stabulis implesse ferarum,
  Infamasse fuit sidera nonne satis?
Perdimus heu mores, bibimusque venena per aures;
  Et dulce est falli, cum dolus ipse placet.
Me fuco non picta adeat, nardoque peruncta,
  Nec quæ lascivam subdola Cypron olet;
Sed casta, & proprio contenta decore Camœna,
  Quæ prodesse magis, quam placuisse velit.
Quis cantare queat lascive, ac vivere caste?
  Raro iisdem lingua est improba, vita proba.
Te per ego has igitur lacrimas, numenque tuum te,
  Perque probaturum talia vota Deum,
Diva, rogo, hanc imis curam mihi fige medullis,
  Ingenii posthac & cape lora mei.
Aspice, ut Urbe procul vacuas dare versibus horas
  Nitar, & occultas promere mentis opes?
Hic ego, ne urbanum quærant sibi vulnus ocelli,
  Exigo securos, & sine nube dies.
Et nunc me quercus fide amplectentis ad umbram,
  Nunc lene ad murmur prætereuntis aquæ
Spes, dico, steriles, & vota antiqua valete;
  Mecum libertas & mea chara mane.
Fumum, & opes, vanosque alii sectentur honores;
  Possum fortunæ non ego ferre dolos.
Nec posco, ut centum findant mihi jugera tauri,
  Nec thoro ut aurato sit mea nixa quies,

Nec

Nec me alat ut Phaſis, nec textilis induat aura;
  Nec Tyrium vellus, linea nec nebula.
Sufficiant arcti fines, & pauper agellus:
  Sint epulæ haud emptæ, ſit mihi menſa tripes,
Et domus, & veſtis non abſona moribus, & quam
  Sedulitas Phrygiæ non variarit acus.
Rura colam, ruriſque artes; his vita magiſtris
  Deſuevit multum civica tela pati.
Gratia magna, iſtis lateam ſi tutus in antris,
  Et quis ego, & quid agam quærere nemo velit.
Repere me docuit fortuna; ſed abditus ima
  Sim terræ latebra, ſic mage tutus ero.
Aut ſaltem intonſi montes, nemora invia Soli
  Me miſerum veſtris condite ceſpitibus;
Ut ſi forte aliquas veniam laudatus ad aures,
  Me pulchre mendax tunc ego noſſe negem.
Quod ſi opere ex ipſo deprendar, & indice fama
  Proditus, a Muſis arguar ipſe meis;
Nunc mihi abortivam ſit fas præcidere laudem,
  Et prohibere malum rite puerperium,
Viribus ac totis inimicæ occurrere famæ,
  Ante ortum plauſus & ſepelire meos.
Tu modo (nam certe Divum eſt miſereſcere) ſaltem
  Ah ſaltem in ſomnis te mihi redde ſemel.
Ecce oculos claudo Solem precor ecce, Britanno
  Fonte moraturos ut cito mergat equos;
Utque facem revehens, producta nocte, diurnam
  Tollat ab Eoo ſegnius amne caput.
Jam vel ficta veni; pendebo loquentis ab ore,
  Et veros monitus vox mihi ficta dabit.

Ad eandem.

Eſſe aliquid rebar Muſas, aliquidque valere,
  Nunc nil poſſe illas, & reor eſſe nihil.
O patria, o quondam pace inclita, & inclita bello,
  Et ſophiæ quondam, Pieridumque domus,
Quàm non es quod eras! oculis latè omnia luſtro,
  Et patriam in patria quæro, nec invenio.

Flent

Flent inopes frustrà deserta in rupe Camœnæ,
  Barbiton & paries nunc inhonorus habet;
Pannosæque Artes lacrimis, & paupere lingua
  Præter vota sibi nil superesse dolent.
Est ne hominum, an sæcli vitium, vel Numinis ira?
  Nescio: tu dictis astrue, Diva, fidem.
Nam quid es in terris, nisi magni nominis umbra?
  Aut quid de te aliud, quàm levis aura sonat?
Ossa viatori nunquid tua flebile carmen
  Indicat, aut tituli gaudet honore lapis?
Cui versum fatear, cui te debere lituram?
  Anne tibi est aliqua linea ducta manu?
Laudibus ah pudeat cinerem fraudasse supremis,
  Teque secundæ iterum pæne dedisse neci.
Proh dolor! humanis respondent saxa querelis;
  Voxque sua est antris, littoribusque sua;
Nec desiderium potis est leo ferre leænæ,
  Nec fortè ignotis temperat a lacrimis.
Et nostri gemitus, & vox tibi nostra negatur,
  Natali ut taceas advena pænè solo?
Quid si Cœli haustus alios, aliumque bibisses
  Aëra, nosque eadem non genuisset humus?
Teque triumphati spoliis Acherontis onustam
  Gloria non fastis adderet Indigetum?
O sæclum infelix! Urbs o malè cauta, tuique
  Immemor, inque malis ambitiosa tuis!
Jam fuimus Tusci, fuit Arnus, & artibus artes
  Increvere; auri nunc dominatur amor.
Infra aurum leges, auro famulatur honestas,
  Aurum omnes magni Numinis instar habent.
Aurea tempestas jura omnia mersit; & ungue
  Jam secto Virtus, rasaque pæne caput
Incumbens tabulæ circumspicit anxia, quænam
  Seque, suumque velint littora naufragium.
Hinc nos relliquias priscæ vix laudis olemus;
  Et famam a vitiis hinc sibi quisque petit.
Fœnoris ingluvies hunc distinet: ille peculi
  Præda fit imprudens, mancipiumque sui;

Et

Et pavida extremos iterum trabe currit ad Indos,
  Joniumque onerat quæstibus omne mare:
Portanturque avidas miserorum fracta per undas
  Viscera; & ad clavum culpa, dolusque sedent,
Cæmentis alius terram premit, inque profundis
  Manibus explorat, quod modò carpet iter.
Strato alios dormire ostro, fundosque paternos
  Induere, & Syrio vivere more juvat;
Externamque comam, & pictos medicamine vultus,
  Panchæoque litas cortice habere manus.
Quis votum superis faciat, si plena Marone
  Lingua sibi, aut madidum Socrate pectus erit?
Aut lactis quem parte sui quinta imbuat uber
  Musarum, si nil, quo repleatur, habet?
His agimur miseri fatis, animumque supinum
  Indecores vitio, desidiæque damus.
Parce reis igitur fassis, pulsoque veterno,
  Tolle animi effœtum, Diva, precor, senium,
Publico & o tandem sine nos emergere cœno,
  Immensumque tuæ currere laudis iter.
Fallor, an ingenii rugæ jam sponte recedunt?
  Jam sum alius; venas jam novus ignis alit.
Durus eram, gelidusque lapis longo obsitus ævo;
  Exprimit abstrusas nunc tua dextra faces.
Atque utinam hæc longè volitet, latèque favilla,
  Occidat inque ortu nec vapor iste suo,
Nam si qua ingenio vis est, & gratia nostro:
  Sanguinis ingenui carmina si quid habent,
Stat pro te pharetram Latiæ vacuare Poësis,
  Doricaque Ausonia mittere tela manu
Et me tollere humo, totoque in sæcula nisu
  (Ipsa modò aspires) anteriora rapi.
Me duce, fortè alii, quos œstrum immanius urget,
  Monstratum unanimes ingredientur iter;
Teque volent meritam doctis intexere chartis;
  Nec pudor his fuerit, me præeunte, sequi.
Sic patriam ingratam, segnesque piabimus annos:
  Ore tuus nostro sic adolescet honos.

Quid

Quid moror? ingenium dat ſæpe coacta voluntas;
Rebus & in magnis vim ſibi quiſque facit.
Certè aliquam, laudis quamquam nihil indiga noſtræ,
Accipies famam; ſed magis ipſa dabis.

Ad Eandem.

Siccine tam velox vitæ fuga? ſiccine ſemper
Conjurant volucres in mea fata dies?
Meque mihi ſemper fur ſurripit hora, mihique
Non intellecto mors venit atra pede?
Paulatim morior: fruſtra id celare quid auſim?
Non ſum hodie, fueram qui mihi viſus heri.
Optima pars noſtri periit; manet altera fatum;
Sed manet? immo etiam, dum loquor, iſta perit.
Extincto jam flore vigor tepet igneus; & jam
Anticipata meo vertice candet hyems;
Et ſi forte animum, vireſque interrogo, vita
Sentio me ſenſim deficiente mori.
Hæc levius quererer, poſſem ſi dicere: vixi,
Dicere ſi poſſem: mors mihi ſera venis.
Quot mihi, ſi lapſi rationem temporis ipſe
Mecum recte ineam; quot periere dies!
Quam nihil heu vixi! turpi mea vita ſub haſta
Veniit; & pretium pœnituiſſe fuit.
Pœnituit, fateor, gemuique ſed impare luctu;
Et lacrimis certe defuit unda meis;
Necdum animam efflevi totam; dolor ultima quærit
Pabula; meque mei nunc meminiſſe pudet;
Ultriceſque habitant laniato in pectore pœnæ;
Ipſaque ſunt animo crimina ſupplicium.
His me, Diva, malis preſſum, & graviora timentem
Juncta quater nonæ tertia portat hyems.
Quid faciam? effugii nulla eſt via, nulla ſalutis;
Jamque extrema dies imminet: affer opem.
Affer opem, nam Diva potes: tibi mille juvandi,
Mille medendi artes; ah precor, affer opem.
Magna ſalutis enim pars eſt voluiſſe ſalutem;
Hanc volo, nec morbis blandior ipſe meis.

Ac veluti alpinis nix alta diutius hæret
 Verticibus, cultos at cito linquit agros;
Haud aliter mentes peccandi effrena cupido
 Obsidet agrestes, transilit ingenuas.
Mene igitur palmas ad te cum voce supinas
 Tendentem absumi tot patiere malis?
Ne omnino absumar, jam spes ejuro priores:
 Armo jam rigidas in mea vota manus;
Transactumque ævum doleo, metuoque futurum,
 Extremam lacrimans opperiorque diem.
En deserta tenent hic me loca, & apta dolenti,
 Solus ubi ærumnas alloquor ipse meas;
Meque urbi, populoque nego; nam culpa videre est
 Quod nocet, & sola vincitur illa fuga.
Ah quoties viridi (scis ipsa) sub arboris umbra,
 Frigida qua vitreo labitur unda pede,
Multa gemens, vincunt numero mea crimina, dixi,
 Silvæ hujus frondes, fontis & hujus aquas?
Ah tenera quoties incidere cortice juvit,
 Vitæ actæ seriem, desidiamque meæ.
Nulla exinde quies, finis mihi nulla dolendi est;
 Crescit nempe arbos, crescit & ipse dolor.
Hæc, mihi ne desim, perago; verum ardua tento;
 Et si velle mihi, non ita posse datum,
Tu patriæ tutela tuæ, morumque magistra,
 Tu firmare animum, propositumque potes.
Omne a stirpe mihi vitium vellatur; & insons
 Vita sit hæc saltem, si fuit acta nocens.
Non me auri, famæque sitis, non me ullus honorum
 Vincat amor; votum sit cupiisse nihil.
Ut cum summa dies fatalem advexerit horam,
 Sarcina sit scelerum nulla, vel illa levis.
Maximus hic rerum cardo est; quid cetera prosint
 Rite acta, hoc unum si male cedat opus?
Vidi ego, ut illimi niteat pauperrimus unda
 Rivulus, & fluvio casta tributa ferat:
Vidi itidem spumosum amnem, ripæque minantem,
 Centum aliæ sparsim cui famulantur aquæ.

Hic


Hic dorso nemora alta ferens magis æstuat, amplum
Cum se se, moriens, mittit in Oceanum.
Sic placidæ pereunt, bona quos commendat egestas:
Divitis at vita est anxia, morsque gravis.
Si mea non locuples, & non inhonesta futura est,
Diva, tibi voti debitor hujus ero.
Tu pia, tuque potens, & eris mihi maxima semper;
Te, nascente die, te moriente canam
Atque utinam facias, fuero cum versus in umbram,
Hæc tumulo ut verax carmina Musa notet
Hic jacet osor opum; fuit huic latuisse voluptas
Peccavisse dolor, pœnituisse salus.

Agit gratias B Humilianæ pro impetrato Uxori suæ laboranti feliciter puerperio.

Solvere jam tempus votum quinquenne merenti;
Ex animo grates jam tibi tempus agi.
Tempus agi grates, quas nunc foret æquius actas;
Parce, bonique, precor, consule, Diva, moram.
Conjuge servata, quam me mihi reddis! in uno
Corpore jam dicam convaluisse duos.
Hei mihi, qualis erat, clausa cum ægresceret alvo,
Maturumque uteri non bene ferret onus!
Pœne animam excussit; tam creber anhelitus, ac tam
Concitus, impatiens, irrequietus erat.
Quid facerem? fuerat vis tota absumpta medendi;
Ars deerat, medicæ destiterantque manus.
Ipse dolore amens miserum patris inter amorem,
Atque viri, herebam victus utroque malo.
Procubui genibus, palmas & utrasque tetendi;
Et dixi, fautrix o mihi semper, ades;
Nunc ades, ægrota rogo te pro conjuge conjux;
Pro nondum nata te rogo prole pater.
Duro utramque, precor, fato eripe, meque timori,
Laxatoque uteri carcere pande viam.
Vix ea fatus eram, cum vi patefacta repenti
Sponte sua veniens edidit alvus onus;

Eva-

Evaluitque uxor festivam enixa puellam,
  Cujus erat placido multus in ore parens.
O velox pietas ut spes inopina revixit;
  Inque oculis presso substitit imbre dolor!
Quis tanti putet esse preces, ut pareat æther,
  Abstineatque avidas mors quoque jussa manu?
Occidit illa quidem sesquiannum emensa, medullis,
  Et mihi luce ipsa filia chara magis,
Quæ solatiolum, quæ matris ocellus, amorque,
  Deliciumque sui quæ modo patris erat.
Sed quid ego extinctam doleo? fuit utile nasci,
  Utilius certe sed periisse fuit.
Nunc etenim sentit, quam se tibi debeat; & nunc
  Sidera emi nullo posse labore videt;
Fertque accepta tibi quæ possidet astra; tuumque
  Jam secura sui nunc mage munus amat.
Nos igitur tua cura sumus; nostræque vocamus
  Te merito columen, præsidiumque domus;
Utque diu natum serves utrumque precamur,
  Nec minor uxoris sit tibi cura meæ.
Hæc lateri assideat semper comes, una voluntas,
  Una fides ambos uniat, unus amor.
Fluctibus ac veluti, ventisque agitatur iisdem
  Cymba minor magnæ consociata rati,
Sic mecum ærumnas, & dura incommoda discant,
  Fortunæque vices hæc utriusque pati.
Illius ipse feram monitus, ferat illa monentem;
  Illi ego sim vitæ regula, & illa mihi.
Culpæ omni nec labe vacet modò uterque, sed omni
  (Quod magis est) culpæ suspicione vacet.
Audior, an fallor? patet isti janua voto,
  Donisque accedunt hæc quoque dona tuis.
Te tamen usque rogo; non qui thura irrita fundit,
  Ille colit superos; qui rogat, ille colit.



Filio

Filiolam suam extinctam alloquitur B. Humilianæ ope vitæ limen ingressam.

Nata, mei quondam lusus, mea sola voluptas,
  Bisdenus potuit quam dare mensis humo:
Non ego te vulsis ausim lugere capillis;
  Tam chari capitis non ego fata queri;
Nec possum lacrimis avidum satiare dolorem,
  Jacturæ quoniam gratulor ipse meæ.
Sævus ego videar (Naturæ ignoscite leges,
  Parce amor, hæc forti dum pietate loquor)
Sævus ego videar, dum sis, mea filia, felix:
  Mensura hæc nostri semper amoris erit.
Sat modicùm vixisse fuit, vitæque procellas
  Actutum sicco transiliisse pede.
Nunc te portus habet: fessi miserere parentis,
  Cujus erat medium fracta carina mare.
Ultima, quæ superant de me modo fragmina, serves;
  Tuque mihi tabulæ fungere nata, vice.
Nec non Cerchiaden bis, terque medullitus ora,
  Sit cymbæ felix ut Cynosura meæ;
Ne totus peream, & scopulos ne allisus ad istos
  Morte mea infames navita vitet aquas.
Illi ego non frustrà pro te, si rite recordor,
  Proque parente tua vota, precesque tuli.
Ne sis nunc injusta, mihi prope naufrago eandem
  Sæpe roga; & patri, filia, redde vicem.
Illius è verbis, cum vult vincire Tonantem,
  Aurea divinus vincula nectit Amor.
Illa roget, posito vindex cadit ira flagello:
  Illa roget: læsus projicit arma Deus.
Illi hominum pœnas donat, miseramque recudi
  Vultu alio sortem, si velit illa, jubet.
Hanc reverenter adi (nam quid clementius umquam?)
  Erroresque meos, & mea fata doce.
Dic, ni aliquid mihi præstet opis, discrimina mille,
  Mille instare metus undique, mille mala.

Dic ſtimulis animum fodiat, ne temporis hujus
  Poſſideam mores: dic, mea vinclà levet;
Et quas illa olim geſſit, mihi commodet alas,
  Quodque olim tenuit, nunc mihi monſtret iter.
Experto credas: nihil eſt humanius illa;
  Si fallo, iratam ſemper utramque habeam.
Per mea ſæpe mihi contraria fata, meaſque
  Juro per ærumnas, gaudia perque tua;
Non pater ipſe magis tibi ſum, quam filius iſti.
  Jam quid adhuc ceſſas? experiere; roga.
Cetera ſi diſpar, par eſſe in amore labora;
  Nempe illi hoc uno te decet eſſe parem.
Quod cœlum teneas, toto tibi pectore grator:
  Quod mea ſis proles, gratulor ipſe mihi.
Qua frueris, vitam ſed ſi mihi, nata, rependes,
  Vera meæ proles tunc ego prolis ero.

De Spei funere.

Cedat recenti fabula hiſtoriæ vetus.
  Agenore ortus quærere
Furtum ſororis irrepertæ ut deſtitit,
  Anguem necatorem neci
Dedit. Bubulcus inde conſperſit ſolum
  Semente dentium fera,
E cujus alvo bellicoſa militum
  Repentè meſſis exiit,
Periere utrinque mutuo qui vulnere.
  Felicitatem ſic ego
Fruſtra diu venatus, occidi improbam
  Spem [verſipelle, ſuppiter,
Sævumque monſtrum] cujus è cadavere
  Mille hinc, & inde prodiit
Deprœliantum exercitus Pathematum,
  Quaſi ultor extinctæ Spei.
Sed primo in ortu (vix mihi ipſe credidi)
  Aſſurgere ulnas in decem,

Diſpo-

Diſponere agmen, dimicare, interfici
  Res una. Quale [Dii boni!]
Certamen illud, quo cupido, & ambitus,
  Amorque non ſanus mei,
Nec non ſecundi livor impatiens loci,
  Primique ſemper appetens,
Utrinque conſcivere mutuam ſibi
  Mucrone fraterno necem.
Sic undequaque victa poſt Pathemata,
  Thebana jam non conſtruo,
Ut Cadmus olim, ſed quieti, & otio
  Perenniora mœnia.

De Bellis ſui temporis.

Neroniana dum favilla Romuli
    Arces, & alta mœnia,
Septemque colles undequaque devorat;
    Totamque luctus, & pavor
Urbem pererrant, atque deſperatio:
    Ambuſta ſolus non ſine
Riſu, & cachinno tecta miratur Nero,
    Oratque ventos, deſidem
Flabro ut favillam fortiore ſuſcitent.
    Sic Bætis, Iſter, Sequana,
Paduſque dum cruenta Neptuno ferunt
    Tributa, dumque bellicus
Bacchatur ignis, donec aut igni fames,
    Aut eſca deſit, & locus:
Fumantium tot urbium cadavera,
    Tot regna depaſtam facem
Rex ridet Hebri amarulento ſcommate,
    Nec parcit iræ follibus
Redintegrare jam ſeneſcentem rogum,
    Prunaſque prunis addere.
Bellum o malorum fertile! o nullis Hydram
    Flammis profligandam! lues
Hæc unde ſæva? dulcis unde inſania
    Mortes emendi? ſanguinis

Parumne fuſum eſt? aut parum miſeri ſumus?
    Male ah ſit illi, nexuit
Qui Tempori alas. Pigrius quid Tempore,
    Quod Pacis ad charæ oſcula
Precem tot annis publicam nondum tulit?
    Sed progredi expeditius
Momenta vultis pigra? votorum, precor,
    Alas meorum ſumite.

De ſua Creatione.

Informe, & atrum nuper eram Chaos;
  Nutu ſed uno congeriem Deus
    Diſcrevit indigeſtam; & aura
      Spiritui data; ſanguini ignis.
Porro ſibi undam fluxa Pathemata,
  Sibique inertem corpus iners humum
    Aſſumpſit; & metus rigentes
      Quandam hyemis, virideſque quandam
Spes induerunt veris imaginem;
  Æſtas nec anno defuit huic novo,
    Præfervido æſtivam, igneoque
      Ingenio referente flammam.
Autumnus atque nullus adhuc. Quid heu
  Quid cunctor amens? fructu operum, precor,
    Abundet autumnus bonorum
      Perpetuos pariturus annos.

Ad Benedictum Gori Advocatum ex Collegio Nobilium.

De contempta terreni honoris.

Quid eſt, quod intus me cruciat, Gori?
  Honor ne? verùm ſive honor illud eſt,
    Sive umbra honoris; quale jam illud?
      Si bona res, nocet undè tantùm?
Si prava, tantùm quid placet? o malum
  Dulce! o voluptas exitiabilis!

Volens, & invitus peræquè
Discrucior, cruciari & opto.
At dulci amara ope malè credulus
Quonam usque abutar? dempto ego cortice,
Atque intus inspecta medulla
Quid sit honor, patere ut requiram.
Heu quale monstrum! Pars hominem refert
Superna, in anguem desinit infima;
In piscem, ut olim desiiisse
Pulchræ Acheloïades feruntur.
Quo abundat intus felle honor, en meos
Lino ipse ocellos, & video statim,
Ut subdolè assentatur, utque
Spe miseros alit inquieta,
Vanaque rerum semper imagine,
Non rebus implet. Sic Latiæ fami
Frumenta deposcenti, arenam
Plena tulit, sabulumque navis.
Idolum id ergo quod facimus Deum,
Cœlo & locamus non sine victima,
Rem ludicram, atque imaginosam,
Et nitidam sine corpore umbram
Frangamus ambo. Fregi ego sæpiùs,
Frangam & deinceps, dum ratio sinet;
Latumque cur paulò ante clavum
Induerim, puto, nosti abundè.
At luce honorum quid tibi cum extera?
Te clarus uno luce nites tua,
Nec dignitatum in te parerga,
Sed te homines venerantur in te.
Te multa fandi lactea copia:
Scientiarum te phaleræ omnium
Ornant ferè omnes: te clientum
Turba vocat simul omnis unum;
Et seu reorum præsidio exeris
Stylum, atque linguam; sive agis in reos
Vi legum, & exemplorum; adoptat
Penè sequax tua vota Judex.

Optare honores quàm miserum! assequi
Quàm turbulentum! Laus tibi maxima,
Dicère si nullum assecutus
Esse gradum, meruisse cunctos.

De Pratura Volaterrana,

Ad Comitem Franciscum Montani.

Me Prætore quater gelidi rediere Decembres,
Quaterque arista floruit.
Quid, Montane, actum? dices: magna, ædepol, egi
Magna, hercle, nec pauca admodum,
Quæque operæ pretium sit dicere. Redditus urbi est
Diu negatus Histrio;
Bisque novem clausæ, populo indignante, per annos
Jam comicæ patent fores:
Sublati anfractus passim, salebræque viarum
Hinc saxo, & hinc laterculo:
Defensæ leges: odia intercisa: diremptæ
Lites perantiquæ, & graves:
Indictum sceleri bellum: Meretricia labes
Absterſa: difficillimis
Nec non temporibus servata annona. Quid ultra?
Non orphano, non virgini,
Præsidium viduæ non defuit, & mihi toto
Nox una quadriennio
Extra urbem haud sane transacta; data inde Latinæ
Sunt subcisiva tempora,
Etruscæque lyræ nonnumquam. Nec, pluraque forsan
Egisse me non abnuo.
Egi autem? sim stulte audax, nisi cetera dicam.
Egi hæc, Deo sed auspice,
Atque auctore Deo. Frustra vigilo ipse, vigil ni
Urbem Deus custodiat.

*

Ad Benedictum Gori Advocatnm ex Collegio Nobilium.

Plusquam sena, Gori, lustra tenet nos bene mutuus,
Nec vulgaris amor; nosque animi glutine par fere
Ætas, par studium, parque etiam copulat indoles.
Quā rarū,atque novū! nostri equidem temporis hic amor,
Sed priscum redolet; nec similem sane alium reor.
Et si post cinerem vixerimus, postera sæcula
Dicent forte, duos nec titulis, nec genere impares,
Et non in literis incelebres [parce etenim loqui
De te cogor ego, de me etiam dum loquor insimul]
Dilexisse adeo se invicem, & ardentius in diem.
Nunc te Clavis habet: me Cecina; & legibus oppida,
Et gentes regimus, maximæ opus molis, & arduum,
Et plusquam Herculeum; quippe lues publica, fertilis
Mille hydra est capitū,fronte nova utcūque regerminans
Par tu certe operi; nec tibi tu, nec populis dees.
Desum sane ego, desum (fateor) meque mei pudet.

Ad Scipionem Filium.

Nosti ne, Fili, Rege sub optimo
Quot genti Etruscæ Dii tulerint bona?
Pauca ipse dicam; cetera ingens
Numen habent reticenda vulgo.
Nobis, priorum non sine temporum
Livore, nupsit libera servitus,
Non serva libertas, ut olim;
Cum rabida Imperii libido
Tot, viscera, Urbes, in sua verteret
(Crudele spectaculum!) & per avi nepos,
Fraterque per fratris cadaver,
Perque patris sibi natus ipse
Viam pararet. Cum in pretio furor,
Suspecta virtus, quæque velis, loqui
Periculosum, quæque nobis,

Eſſet atrox, miſerumque prorſus.
At jure quivis dicere nunc poteſt.
Haud liber eſſem, ni penitus foret
Amiſſa libertas. Amor nos
Ferre jugum docuit; ſaluſque
Extrema paſſis hæc fuit unica.
Negetur? an ſi Relligio auctior;
Merces nec uſpiam bene actis
Larga deeſt, neque pena culpæ.
An ſi modo Arnum, dum fremit undique
Arma arma Miles, Gallica, Iberaque
Armenta non potant; nec uſquam
Caſtra tenet metuenda Teuton,
Inſubri acerbus Teuton, & Itali
Auri, & cruoris plus nimio appetens;
Non Principi hæc accepta ferri
Par fuerit, tribuique noſtro?
Non alta ſepes, non rigida Alpium
Compago, ſed mens provida Principis
Contra hoſpitum infidas, graveſque
Teutonum amicitias, & agger,
Vallumque facta eſt. Quæ fierent modo
Cædes, rapinæ, incendia? quis thorus
Intactus? aut quæ ſepta florem
Virginei tuerentur horti?
Incognita eſſent hæc utinam! ſciunt
Sabaudi, & omnis, quam Padus alluit,
Fere ora, quam ferox, & aſper,
Quamque parum malefidus hoſpes
Ab hoſte diſtet, longe etiam, ut ferunt,
Ipſo hoſte pejor. Grator Etruriæ
Huic grator ætati, & futuræ
Invideo, tibi & inviderem:
Tibi, inquam, amarem ſi minus; inſimul
Aut ſtare poſſent invidia, atque amor,
Nate, inviderem, cui beate
Eſt, & erit veniens in ævum,
Et cui, Deorum non ſine munere,

Sanctum, atque fortem, Disque simillimum,
Et publicæ felicitatis
Fata vadem tribuere Regem.

Ad Benedictum Gori Advocatum ex Collegio Nobilium.

Mirere, Gori; poscere abs te debui
Quam re integra, sententiam,
Re jam peracta, posco. Quantum Carminis
Utraque lingua scripserim,
Quantumque porro scriptitem, nosti probe,
Scripturus, adsit si Deus,
Et si quid oti detur, ævo in ultimo
Donec receptui canam.
Poëta sed nec esse, nec dici volo;
Prætore monstruosius
Nam quid Poëta? semifer Cacus: triceps
Chimera: Centaurus: Gyges,
Tartessiique forma Pastoris triplex
Minora certe monstra sunt;
Proinde nulli, nec rogatus, versuum
Feci meorum copiam.
Nuperrime autem vir rogavit haud quidem
Illiteratus, & mihi
Apprime amicus, lucubrantiunculam
Ut pangerem Poëticam.
Resistere ipse, rem, locumque incongruum
Causatus; instare acrius
Ille, ac magis, magisque. Quis pugnæ exitus?
Vinci mehercle malui,
Nec non spopondi lucubrantiunculam,
Lateret auctor dummodo,
Accepta lex; fecique; cur id fecerim,
Nunc accipe. Obstrictus mihi
Quamplurimis vir iste de causis erat;
Rebarque non improvide;

Om-

Omnem priorum, si negaverim ultima,
Perisse prorsus gratiam.
Antiquiora quippe merita intercidunt,
Nisi augeas recentibus.
Mei hæc profecto consili ratio fuit.
Quid sentias, tu scribito.
Damnantis æque grata libertas erit,
Probantis ac modestia.

De Balneis Pecciolensibus ad P. Vincentium Mariam Fratrem cum iisdem valetudinis causa uteretur.

Dum flagrat æstas, teque salsi rheumatis
Ardentior longe altera
Æstas adurit; efficaci & istius
Lætaris usu Balnei;
Quid aptius, magisque fraternum, & pium,
Quam flamine ut Poëtico
Utramque, frater, temperem? quare hactenus
Rem carmine indictam, & fere
Longo ævo adesam, Balneique originem
Bibacula aure sorbeas.
Pisano in agro forte Mathildes erat:
Magna illa Mathildes, colit
Quam Romuli Urbs augusta, & æternum colet.
Ut moris est, indagine
Repente silva, mons repente cingitur.
Venator hinc, odoraque
Canum præalta, & ima vestigantium
Vis: hinc & aëris rapax
Grassator Astur, atque, Falco in alites,
Clamore non sine absono,
Emissus, & jam jam cruentis unguium
Amplexibus prædam tenens.
Hos inter Asturi omnium longè optimo,
Longèque pernicissimo

Re-

Rebulliebat ſanguis, aſpera hinc cutis,
    Et furfuroſæ ſquamulæ,
Scobentis atque indeſinenter ungulæ
    Voluptuoſa immanitas.
Hic, dum perempto, jam vocatus, alite
    Cuſtodis ad manum redit,
(Res mira!) ter, quaterque in undæ venulam
    Siticuloſus mergitur,
Et convaleſcit. Illicò res diditur,
    Locuſque aditur, venulæ
Facto haud ſemel periculo. Hinc ferri ſtatim
    Cœmenta, lympham colligi,
Et conſtrui ædes, & quod uſui poteſt
    Ægro eſſe, Mathildes jubet.
Dein poſtea ætas auxit, atque operi novum
    Priſco parergon addidit.
Hanc certa, Frater, haud fides Annalium
    Narratiunculam mihi,
Sed vir probatæ integritatis, & quidem
    Non indiſertus rettulit.
Utcunque ſit; ſeroſus hîc ſanguis tuus,
    Unde ille tam mordaculus,
Ac ſalſus humor, inſitam abſtergat luem,
    Atque illicò abſtergat. Modum
Excedo, & opto intemperanter; at quoque
    Intemperanter diligo;
Et quæ cupita tempus expectant ſuum,
    Matura non, ſed ſera ſunt.
Vota interim præcurre ſucceſſu optimo;
    Soſpeſque viſe ſoſpitem.

De recidivo dolore poſt obitum Filii.

Crudi vulneris eſt manus amicas
Formidare medentium, pati mox,
Dein ultro petere, ac rogare. Verùm
Mihi nil ſimile accidit. Duobus
Olim è filiolis ademptus alter.

Vix

Vix flevi, & patienter orbitatem
Tuli; & plaga animi recens medenti
Mollem præbuit, obviamque se se.
At (quis tale aliquid putasset unquam?)
Quartæ post hyemis fugam cicatrix
Penè obducta recruduit. Dolorne,
Undæ instar Batavam rigantis oram,
Fluit nunc, refluitque nunc? senectæ
An dicam hoc vitium mala æstimantis
Plus æquo, & fatue superbientis
Malorum prope dignitate quadam?
Sed quorsum dolor iste perduellis?
Vana hæc, & petulans querela quorsum?
Si queri est opus, & dolere; quid non,
Heu quid non doleo meum dolorem,
Querelasque meas queror? bene actum est.
Importune dolor sile, quiesce.
Jam Patrem exuo; grator orbitati;
Grator morti etiam, & mihi ipse grator.
Me ne obsistere Numini? absit, absit.
Illi soli honor; illiusque ad aram
Natum sponte superstitem, measque
Res, meque immolo victima, & sacerdos.

Se adhuc Puerum semel amore captum, & deinde numquam.

Et me sævus Amor tunc puerum, & nihil
Tale umquam veritum, vulnera nec prius
Expertum feriit. Roscido acerbior
Pomo, & pulchra nimis Virgo nigerrimis,
Heu me perdite amans, cœpit ocellulis,
Gaudebamque capi, vinclaque erant mihi
Libertate magis dulcia. Sic ego
Sic illa æque avidis luminibus diu
Arsuram penitis visceribus facem
Potabamus. Erant contiguæ domus;
Hinc nullo unanimes obice identidem

Nativis animæ ſedibus exules
Errabant; dubiumque alter, an altera
Arderet gravius. Juge ſilentium,
Cautique intuitus, flammaque pectore
Pluſquam ætas caperet clauſa. Quid amplius?
Egerunt oculi cauſam, & utrinque amor
Inſignem retulit victor adoream.
Semiannus parili nos face torruit;
Mox non ſponte abii. Mentior heu! mei
Pars externa abiit, reſtitit intima.
Nam quæ balſama vel temporis, aut loci
Sanent chara animæ vulnera ſauciæ?
Nullâ eſt arte lues hæc medicabilis;
Non ſanatur Amor. Tertius arſerat
Jam Cœlo Procyon, cum viro idoneam
Illuſtri egregius junxit Hymen thoro.
Arſi una, & rigui, nec ſcio cur ego
Non totus perii. Sed miſeram mei
Non ſane immemorem plaga animi, & gravis
Cura, exſpeſque dolor Manibus intulit,
Extremique comes tæda fuit rogi.
Quem Divum, atque hominum mentis inops miſer
Non culpavi ego tunc? Quas lacrimas dedi!
Quas voces! tumulum tunc ego ad illius
Omnes delicias, & genium, & jocos,
Spemque omnem poſui, bellaque amoribus
Indixi, rigido ſtat mihi perpetim
Exin corde ſilex, corque adamantinum,
In me tota ruat nec ſi etiam Venus,
Nec pomum triplices rurſus ob aureum
Si certare velint, Judice me, Deæ,
Bruma unquam tepeat pectoris algidi.
Occiſi ad tumulum Pyrrhus Achillei
Mactavit ſobolem quid Priameiam?
Pœna injuſta, & atrox. At ſi ego perdidi
Affectu miſeram, nonne meos modo
Affectus jugulem? Nulla nocentior,
Nulla umquam cecidit purior hoſtia.

Ad Hirundinem albam.

Alba Hirundo tenerrima
Dum vagatur, it, & redit
Garrula, incomitataque,
Vi coëgit amabili
Hasce me dare voces.
Alba Hirundo magis nive,
Qua favilla ego jam senex
Urar, accipe. Amo, & mihi
Flammula interiorem edit,
Devoratque medullam.
Virginem egregiam hactenus
Plus amavi oculis meis,
Atque nunc amo; nec pudet
Si meos aliquis Cato
Deprehendat amores.
Deprehendat, & increpet,
Rideatque. Volo tamen
Mittere hanc ei epistolam,
Quam tuâ sine ut occulam,
Alligemque sub ala.
Ut Columba solet, schedam
Fer deinde Virgini;
Umbilico in Etruriæ
Solitudinis hospita
Degit illa prope Arnum.
Vade; candida candidam
Prendet, ac dabit oscula,
Terque litterulam, & quater
Perlectam: ut valet, inquiet,
Quidve agit meus ille?
Ille nunc quid agit meus?
Frustula inde sui offeret
Panis, & cyatho e suo
Portiunculam aquæ optimæ;
Tuque mox duplici ala

Um-

Umbellam facies ei.
Vade. Quæ ſit Amaſia
Nemini volui hactenus
Dicere, at volo nunc tibi.
Puritas ea ſancta eſt.

Ad Chriſtinam Svecorum Reginam.

Regum maxima, grandiorque Regno,
Terque auguſta Virago, terque fortis,
Necnon ter ſapiens, Joviſque veri
Cerebro edita Pallas: ecquid iſtud
Rei eſt? Te ne ego mortuam ſilebo,
Qui vivam cecini? & Latina nondum
Vectigalia non ſoluta ſolvam?
Si faxo, male ſit meis Camœnis;
Irritumque moleſta opus faceſſat
Meo ſemper aranea in papyro.
Sed te dicere, totque geſta, plenus
Aleæ labor eſt periculoſæ,
Et magnum quoque terreat Maronem.
Quid poppyſmate Pegaſum canoro
Conſcendiſſe iterum velim? ſat ipſe
Satis cum ſolio tuo loquutus,
Nunc tecum liceat loqui. O beata
Tempora! o geminam mehercule albo
Signandam trieteridem lapillo!
Quæ nam ſors fuit illa, Dii, Deæque,
Sors plane omnibus invidenda, noſtram
Tanti pendere Barbiton, mihique
Tantum mittere ſæpe litterarum!
Quid dico litteras? per ampla nonne
Eſt Panegyris unaquæque, Vatum
Dum clamas veterum, & recentiorum
Nulli cedere me, præire multos?
In me dum reducem aſſeris Petrarcham,
Sed mendam reducem ſine ulla, & a me
Uno hæc ſæcula noſtra Taſſiano

Ex-

Expectare Poëma non secundum?
Famam haud aucupor, & parerga vero
Non addo, neque scitulus videri
Volo, optoque. Silere an illud ausim
Quod scribis? Fateor mei hac malignâ
Invitâ genii severitate,
Quâ nil pæne meo sapit palato
Invenisse nihil tuo in libello,
Quod valde haud sapiat meo palato?
Atque illud quoque; præmium nisi esset
Virtutis Deus ipse, & ipsa Virtus,
Par toto reperire in orbe posset
Nil præmî tua musa, musa grandi
Oestro percita, Principumque laudes
Magnorum eximias referre nata,
Quam nunc si audiat, haud Achilli Homerum
Rex Pellæ invideat? Quid illa porro?
Non præconia posco. Laus profecto
Debetur mihi nulla præter unam,
Nare ubilibet optimum sagaci
Quod venor, poteritque dicere Orbis
Christina extera vidit, & probavit
Magni carmina docta Filicajæ.
Quid quod te mihi ubique debitricem,
Solvendo neque idoneam fateris,
Ut Regnum pigeat fere abdicasse?
Quid quod crimine ab omni avara fata
Plane absolvis, utrique te Parentem
Spondens filiolo? Alterum Lycæo
Et Senensi ubi miseris: cape inquis
Hunc mei, & sile amoris arrhabonem,
Donec grande aliquid, sonantiusque
Pro te gessero, meque, teque dignum?
Hæc dum cogito, vix mihi ipse credo,
Provocoque ad epistolas, meique
Suspecta est oculi fides. Quid ultro?
Te superstite non ego Maroni
Augustum (mihi crede) non Petrarchæ

Robertum, tenero Adriæque Cycno
Invidi haud ego Tuſciæ Leonem.
Nunc buſtum Chelys ad tuum reclinis,
Fracta, & diſſona feriatur, ac te
Noſtræ hæ litterulæ, ſideſque noſtræ,
Ubertim lacrimis gemunt obortis.
Me infelicior eſt, fuitque, eritque
Quis mehercle homo: quidve non ſibi ipſos
In Reges Libitina vult licere?
Jacturam ne ego publicam quærar nunc,
Privatam an prius? o ſevera Fata?
O infortunia magna litterarum!
O cuncta irrediviva Plectra, & ipſo
Cum Phœbo exanimes novem Sorores!


In funere Victoriæ Roboreæ Magnæ Ducis Etruriæ.

Hæccine mille olim ſpoliis, tituliſque ſuperba,
  Atque auras tendens vertice in ætherias,
Pulchra, ingens, auguſta, Jovi ſacra Quercus Etruſco?
  Hæccine Thyrreno Quercus amica Jovi,
Quæ mare, quæ terras texit regalibus umbris,
  Et cujus trunco publica nixa quies?
Proh dolor! hæc ima dudum a radice revulsa
  Pondere victa ſuo eſt, ſeque ſuoſque premit.
Lapſa tamen ſublimis adhuc; umbramque ruinis
  Tot ſimul aggeſtis ipſa ruina facit.
Stantem, hoſpes lapſæ confer: ſtetit illa, repentè
  Caſura; ut ſtaret firmiùs, hæc cecidit.




Bis miſeri occidimus; nec mors ſatis omnibus una eſt;
  Auribus appulsa eſt prima, ſecunda oculis.
Immo, cum, Princeps, iterumque iterumque perires,
  Tecum ipſi ante obitum non ſemel occidimus.
Et clades iſthæc dicenda? & plaga vocatur
  Hæc ingens animi plaga, dolorque dolor?


O ſegnes voces, ignavaque nomina! & o quàm
Impar ſæpe ſibi grandia nomen habent!
Te moriente, dolor ſua trans pomœria fertur
Improbus; & ſtupor eſt qui dolor ante fuit.
Noſtra ergo exanimes in morte ſilebimus; & vox
Si qua ſonet, noſtræ vox ea mortis erit.




Quo tot ſe lacrimæ vertent? & quouſque dolore
Imperioſe dabis libera vela dolor?
Ipſos pænè oculos efflevit Etruria: nec dum
Viſa ſibi infelix eſt gemuiſſe ſatis?
Dicta dies lacrimis funebrem inſtaurat honorem
Et fari lacrimas, mœſtitiamque jubet.
Sed quali attritæ ſine fulmine ſpeſque, ſaluſque
Publica: quot Populos una ruina premat:
Qua Reges norma, qua matre, ac Principe regnum:
Quo careat fulcro Regia, quis referat?
Heu quàm flere minùs miſerum, quàm flenda referre
Quotque unum hoc ingens funera funus habet!



Inſtaurat pietas mœrorem; in juſque vocari
Et verba, & lacrimas hæc pia pompa jubet.
Quicunque aut regno, fortunæ aut fidit adultæ;
Atque negat, fragili grandia ſtare loco
Te videat, Princeps; cadis alto à culmine regni,
Nec parvæ eſt molis dicere, quanta cadas.
Sed cadis; atque tuum tot jam, velut agmine facto,
Celsæ animi dotes fruſtrà obiere latus.
Serò tamen victa es; viridiſque, ac pulchra ſenectus
Bis ſeptem evaſit ſoſpes olympiadas,
Ac tecum potuit mors tranſegiſſe videri,
Ceu moritura tui portio nulla foret.
Jam longæva peris; ſed cui longæva periſti?
Quis non ſerò ortam dicat, obiſſe citò?



Heu quid noſtri adimis partem, partemque relinquis?
  Vel redde alterutram, mors, vel utranque adime.
Vel de ſpectaclo ſpectatrix facta, triumphi
  Pompa ſit iſta tui quàm truculenta, vide.
Hinc ſophia, hinc pietas, convulſis crinibus ambæ,
  Mœſtæ ambæ, ac lacrimis, illuvieque graves:
Juſtitia hinc, virtuſque animi, ceu Præficæ, ad urnam
  Nullo emptæ pretio, ſemineceſque gemunt.
Forſan & ipſa gemes, teque ipſa fatebere ſontem,
  Sed quàm pulchra ream te modò culpa facit!
Non vita Princeps caruit; ſed Principe vita;
  Si nòn ſæviſſes, viveret illa minùs.



Ut nubes inter fulgur ſub paupere Cœlo
  Dum fugit, emenſum jam tenebreſcit iter:
Clara per hanc noctem ſic dum, Victoria; tranſis,
  Etruſcum hoc Cœlum triſtior umbra tegit.
Fulminis utque atrum pallet jubar: haud ſecus atræ,
  Infauſtæque ardent hæ ſine luce faces.
Ergo agedum (namque ipſa tuo te lumine velas,
  Spectarique nequit Sol niſi Solis ope)
Te nitor oſtendat nobis tuus; ac nova oriri
  Trans Abylam, & Calpen ceu videt aſtra ratis;
Sic oriare novum trans mortem ſidus; & olim
  Si nituiſti oculis; menti, animoque nite.

Mare Inferum in ejusdem funere.

Me miſeram! vidi, & perii? Quid, mors, ego de te,
  De vobis, oculi, tam male quid merui?
Vidi obitum Dominæ; atque utinam vel cœca fuiſſem,
  Vel foret hiſce oculis non ita certa fides!
Hinc me, undaſque meas lacero; ac velut ora videri
  Quolibet in ſpeculi fragmine tota queunt;
Sic ubicunque mihi ſpeculum fracta unda miniſtrat,
  Jacturæ faciem conſpicit ipſa meæ.


Eheu me miseram! sic fata efflevit, & imum
  Ter pede Tusca æquor præssit utroque Thetis.

Mare Superum in ejusdem funere.

Surde, undisque tuis longè, Adria, surdior, audi,
  Quàm sis infelix, ac tua fata dole.
Grande Metauro Arnus, tibi grande, & utrique dolendū
  Frustra interposita nunciat Alpe malum.
Nunciat extinctam, cui Tuscia serviit, & quam,
  Si famæ credas, interiisse neges.
Ac ceu parte una trabs icta, utrinque tremiscit,
  Icto uno Italiæ sic mari, utrumque dolet.
Nempe dolete ambo; par causa utrique dolendi est.
  Sol gemino hic voluit nasci, & obire mari.

In Librum Theophili Pytonilli, qui inscribitur sacrum Enchiridium ad Sacerdotem Parænesis.

Huc Mysta, huc magni semper mihi numinis instar,
  Si venante animo gaudia quæris, ades.
Huc ades, atque oculis librum hunc sitientibus hauri,
  Quippe oculo hic debet non fugiente legi.
Magna quidem, magna ille aperit monimenta, sed ipsis
  (Heu meminisse pudet!) non bene nota viris.
Quanta lues, nox quanta animis offusa! perissent
  Omnia, sed vetuit relligionis amor.
Vicit amor, populis jamque omnibus, omnibus ultro
  Vulgandum terris nobile crevit opus.
Humanam haud ego crediderim, certe imbuit illud
  Quinta parte sui nectaris ipse Deus.
Magnum est posse legi, magnum posse ista probari,
  Majus utroque tamen, quod licet ista sequi.



D A-

JO: ANTONII FLAMINII
SERRAVALLENSIS, MARCI ANTONII PATER.

Ad Julium II. Pont. Max.

MAxime cœlicolum cultor; quo præside majus
  Nil videt; aut terræ clarius orbis habet:
Quem divum genitor Romanâ in sede locavit;
  Et summum in terris jussit habere locum;
Res gravis est, cui te moderantem cuncta necesse est
  Consulere, ac totis viribus esse ducem.
Cura tibi, & generis late commissa potestas
  Humani; quod te numinis instar habet:
Ut spernenda tibi non sit pater optime nostri
  Tutela; aut tantis destituenda malis.
Aspice, quo rerum nostrarum summa redacta est,
  Et patrium, cujus vix manet umbra, decus.
Terra potens opibus, populisque, & fortibus armis,
  Magnorumque altrix tam numerosa ducum,
Quæ domitrix rerum, cui terræ paruit orbis;
  Gentibus exposita est, servitiumque timet.
Quanta sit hæc Latiæ subeunda iniuria genti,
  Quam fœdum patriæ dedecus; ipse vides.
Cura tibi, scimus, debetur publica rerum,
  Teque patrem populis omnibus esse decet.
Hoc tamen ante alias pars hæc pulcherrima rerum
  Poscit; & imprimis digna favore tuo est.
Hic vetus imperii locus est: hinc clara propago
  Pontificum: hic rebus gloria parta tuis.

Hæc patria, hæc ſedes ſimul eſt tibi, qua regis orbem,
Et caput in populis hic quoque Roma tua eſt.
Mille alias poſſim cauſas memorare: ſed iis tu
Non egeas; nec te me reticente latent.
Serviet ergo, quibus dominata eſt Romula tellus?
Itala, tam turpi terra premere jugo?
O patria! o Divum ſedes! certiſſima cuſtos
Imperii, & terris omnibus ante pavor!
Sic ne igitur vilis? ſic tu contempta jacebis?
Non arma arripient? non feret ullus opem?
O pater, & tantæ tu, Romule, conditor urbis;
O decus antiquum, bellipotenſque genus.
Si vobis, ſi ſenſus ineſt, ſi gloria tangit,
Famaque ſub Stygias pertulit iſta domos:
Non facinus tetrum, ſtirpiſque infamia veſtræ,
Non acris animas ira, pudorque movent?
Quo nunc Italiæ? quo belli gloria ceſſit?
Et vetus armorum militiæque decus?
In tenebras abiit majorum lumen, & ingens
Gloria, quæ toto ſplenduit orbe, perit.
Brute, tuum hic nomen, tibi cruris gloria, Cocles,
Fit minor: & dextræ Scævola languet opus.
Aule, lacus tibi nunc decreſcit fama Regilli;
Noſtra iterum Senones ſigna, Camille, petunt.
Magna parens, tellus altrix fecunda virorum;
Tam ſterilis fœtu? tam ſine honore jaces?
Nullus erit Coſſus? non Manlius? impia nullum
Curſorem tali tempore bella dabunt?
Non quiſquam ſummis eludet montibus hoſtem?
Nec ſpes in Deciis ulla ſalutis erit?
Spes igitur rebus jam feſſis una: ſuos quem
Non decet in tantis deſeruiſſe malis.
Aſpice nos placido, Latii pater optime, vultu;
Et mala mox oculis mitibus iſta vide.
Inſpice: tam gravia hæc, tam mox horrenda videbis
Ut mens inſpectis non queat illa pati.
Peſtis atrox ſævit: morbi contagia creſcunt:
Et mala præteritis aſperiora ferunt.

Sic ubi conceptum eſt membris lethale venenum;
Inficit, ac ſenſim ſpargitur atra lues.
Hic agitur rerum de ſummâ, deque ſalute
Certamen durum eſt totius Auſoniæ,
Si male res cedunt, libertas interit: & res
Hæc ſtragem nobis, ſervitiumque parit.
Huc demum tracta eſt Italæ ſors ultima gentis:
Noſtraque tam dubio, vitaque, morſque loco eſt.
Quod ſi nos, tanti fortuna inimica duelli,
Cogat Santonico ſubdere colle jugo:
Quid tibi mentis erit? quo te nunc vertere poſſis?
Quid tutum credas rebus ineſſe tuis?
Quid Latium de te? quid regna externa loquentur?
Quis rumor cunctis partibus orbis erit?
Exeat hæc igitur? tam turpis fama vagetur?
Hanc ferat in populis Auſonis ora notam?
Inſultare aliquis, vel dicere poſſit, Julo
Pontifice, Italiam barbara jura pati?
O natum vere tunc infelicibus aſtris,
In patria qui ſic vivere poſſit humo!
Tu potes in tanto rerum diſcrimine ſolus
Optatam populis ferre ſalutis opem,
Et potes, & debes rebus ſuccurrere lapſis:
Ne Latium caſu mox graviore cadat.
Viribus ipſe vales propriis, quas ampla miniſtrat,
Et magis Oenotrii pars metuenda ſoli.
Tot tibi nunc parent urbes; tua jura ſequuntur
Tot populi; ut poſſis omnibus eſſe metus.
Adde tot inſignes equitum, peditumque catervas;
Tot ſimul egregios ad tua ſigna duces.
Flos Italæ, virtuſque tibi delecta juventæ
Militat: in caſtris hæc habet arma tuis,
Quot confecta tibi jam tali bella fuerunt
Milite? quot tali parta tropæa manu?
Irrita ceſſerunt tibi numquam cœpta: nec ullæ
Conatus vires impediere tuos.
Maieſtas tibi tanta dehinc, tu tantus in iſtâ
Sede nites; uni ſic tibi poſſe datum eſt;

Totus ut a nutu terrarum pendeat orbis
  Ipse tuo, Christi qua patet orbe fides.
Cui solium Petri sic scandere contigit umquam?
  Cui numquam mersæ sic dare vela rati?
Dux opus est acris populos qui cogat in unum:
  Qui male concordes jungat ad arma manus.
Sed nemo est, tibi quem conferri posse putemus;
  Aut melius, quam tu, qui ferat ullus opem.
Fac tantum norint Itali te velle, coibunt:
  Et novus in cunctis protinus ardor erit.
Qui Senones nostris? quis miles Santonus armis?
  Belgica quæve Italis sint satis arma tuis?
Ausonio quoties jam milite Gallia victa est?
  Quot sævis pœnas cladibus illa dedit?
Nulla fuit, simili quæ non invaserit olim
  Eventu Latias gens inimica domos.
Quid genus Æacidûm, quos patrum bellica virtus
  Compulit a nostris finibus ire procul?
Aut tibi Pænorum referam numerosa potentum
  Agmina? quid Cimbros, Teutonicamque manum?
Aut Herulos memorem perfusos sanguine nostro?
  Aut Hunnas acies: semiferumque Geten?
Non desunt vires; modo non concordia desit,
  Atque habeat, qualem res petit ista, ducem.
Hæc tua sunt igitur: te solum hæc cœpta reposcunt:
  Auspiciis sunt hæc bella gerenda tuis.
Magna quidem est, verùm provincia grandibus ausis
  Convenit, & curam postulat ista tuam.
Ingentes animos ingentia facta sequuntur:
  Nec tenues curas mens generosa capit.
Tradita præcipuè gentis tutela Latinæ
  Est tibi; & ad partes it prior ista tuas.
Quod licet (& poscunt nunc summa pericla) rogamus,
  Tuta sit ut tanto præside nostra salus.
Sit defensus honor, libertas publica, per te;
  Pristina sit Latio te duce parta quies.
Barbariem hanc magnis expertus sæpe periclis,
  Dum licet, Ausonio pellere Marte para.

Non tu tutus eris, non cani limina Petri,
  Ni properes: tutus non locus ullus erit.
Sæpe nocet gravibus morbis cessasse medentem:
  Sæpeque dilatam cura repellit opem.
In te oculos, in te verterunt ora Latini,
  Hoc sperant urbes, suppliciterque petunt.
Adde ingens decus hoc titulis, quos inclita virtus,
  Cœlestisque favor tot peperere tibi.
Nam quamquam in populis tua tantum gloria crevit,
  Ut facile augeri non queat illa magis;
Tot tamen ex factis, nullum præstantius, & quod
  Te magis insignem reddere possit, erit.
Fama hæc Auroræ croceos properabit ad ortus;
  Ad loca, quæ Phœbo deficiente tepent.
Fama hæc Ismariam Rhodopen transibit, & Hemum,
  Et populos medio quos videt axe dies.
Italia est, quam tu tutandam sumis, & in quâ
  Est tua cum nostrâ Marte tuenda salus.

Ad Sodales; quos ad dandam Genio operam invitat.

Horrida sævit hyems: large præbenda sodales
  Ponite in arsuro ligna cremanda foco.
Cernite quam Boreas Arctois concitus oris,
  Irruat in medium pronus ab axe diem.
Cernite, quam gravibus tellus sit operta pruinis,
  Quam rigido glacies strinxerit arva gelu.
Uritur apricis in collibus herba, decusque
  Exuit: in stabulis delitet omne pecus:
Nec variis volucres concentibus æthera mulcent:
  Nec duram scindit curvus arator humum.
Nec, quamvis animi fidens, mare navita tentat;
  Cæruleâ vastum nec trabe sulcat iter,
Ima petunt curvi, nec se delphines in auras
  Tollunt, nec summo gurgite monstra natant.
Quin etiam rapidi cursus frenantur aquarum:
  Fluminaque ingenti frigore victa rigent.

Vi-

Victa riget Sperchi, Lædeaque Phasidis unda;
  Ister, & auriferi lucida arena Tagi.
Quique iterum ardentes optaret cernere ripas
  Xanthus, & Eurotas lauriger, & Simois:
Quæque superfuerant undis tot ab igne crematis,
  Ostia sunt glacie quinque coacta Padi.
Heliadum lacrimæ cessarunt: humor inhæsit,
  Nec Phaëtontei fluminis auget aquas.
Verrebat parvo piscator stagna phaselo:
  Protinus est mediis cymba retenta vadis:
Et captus pariter bis capto pisce resedit;
  Raptoremque suum præda jocosa tenet.
Ergo agite, & largâ Vulcania munera silvâ
  Congerite; & multo splendeat igne focus:
Et genium curate simul, curate sodales:
  Tuque puer trimi pocula prome meri.
Sic tetricos motus, sic & mala frigora mecum,
  Strymona, & ad gelidos usque fugate Getas.

Epithalamium.

Candida divitibus Venetum demigrat ab undis
  Nereidum sacri (si reor) una chori.
Qualis, cum cœlo discussâ nocte sereno,
  Candidus advenit Phosphorus ante diem:
Vel qualis croceo solita est Aurora nitore,
  Spargere purpureum nocte abeunte jubar.
Ipsa verecundo demissam lumine ducit
  Virgineâ sponsam diva Erycina manu.
Hinc Pæan sua plectra movet, Divæque sequuntur,
  Et choreas celebrant ex Helicone novem.
Fallor? an ista Simo tibi lux celeberrima fiet;
  Teque simul chorus hic festaque sacra petunt?
Lætus Amor tibi serta ferunt, & Phœbus, & Evan;
  Fertque simul blandum Gratia juncta pedem:
Spargit & innumeros flores, dum conjugis artus,
  Et tenero amplexu mollia membra foves.

Lilia non ceſſat, nec olentem ſpargere thymbram,
  Et vario mixtas fundere odore roſas.
Jam clamatus Hymen: cedant tibi pectore curæ:
  Solliciti nulla eſt jam tibi cauſa metus.
En conjux tibi certa manet: nil vota moratur:
  Quique ſolutus erat, jam tibi certus amor.
Et licet expoſitum tibi jam per limen aperto,
  (Quid Simo docte paves?) ire redire gradu.
Janitor haud uſquam eſt, nec lex tibi cauſſa timoris;
  Nec pudor amplexus impediere tuos.
Oſcula da liber: duras reminiſcere noctes.
  Eſt tua: quid dubitas? eſt tua, pone metum.
Digna quidem merces: vel ſi tibi forte labores
  Obiiciat conjux dura, Joviſque ſoror.
Si tibi monſtra forent clava domitanda trinodi;
  Vel leo, vel triſti dente timendus aper.
Et pariter jubeat tenebris horrentia regna,
  Teque velit Stygiâ trans vada lintre vehi.
Vel ſi Cyaneos etiam rapiare per æſtus,
  Aut te Piſæâ currere lege velint.
Nec minor hæc merces, quam ſi tria vallibus Idæ,
  Arbitrium repetant Numina nuda tuum.
Nec ſi fulgenti veniens Titonia bigâ
  Apprenſum conjux te per inane vehat.
Alma Venus formam, Charites tribuere decorem,
  Vivendi legem Juno pudica dedit.
Quam nec Penelope vincet patientis Ulyſſei:
  Caſta nec accenſos Hippias ante rogos,
Nec quæ carbones audita cæde flagrantes
  Conjugis inſuetâ morte perempta bibit:
Nec quæ deſumpſit formamque, habitumque virilem
  Non pavida in triſti Marte ſecuta virum:
Nec tu quæ vivum paſſa es præbere ſepulchrum,
  Conjuge conſumpto conjugis ipſa tui.
O felix conjux! felicia vincula! prodi,
  Et thalamos intra jam nova nupta tuos.
Flava verecundo ſparguntur ut ora rubore!
  Vera pudicitiæ qualia ſigna dedit!

Intra

Intra: quid dubitas? lacrimis quid pectora turpas,
Pectora brumali candidiora nive?
Sic tibi, sic decimum properet bona Cynthia mensem:
Et videas uteri pignora chara tui.
Sic Lucina tibi præsenti numine parcat:
Pondera neve obsint grata, puerque latens.
Chare puer, ne læde precor, ne læde parentem:
Nec non sueta nimis viscera forte graves.
Cumque tuos tacito vultus natura recessu
Formarit, facies & rudis intus erit;
Multum ex patre feras, similisque enascere proles,
Plus tamen ex ipsâ matre decoris habe.
Tuque puellarum virgo decus, optima sexus
Fama tui, & castæ virginitatis honos;
Vincla fove; dignumque tuis complectere demum
Moribus, & verâ simplicitate virum.
Inque fide stabili maneas per tempora concors:
Legitimi quando es parte recepta thori.
Sic durent vultus; viridi candore juventa
Floreat; & tarde sit tua forma senex.

Villa Galeoti.

Dives in Euganeis Galeoti, villâ, diserti
Carmine quo tolli te modo posse rear?
Digna quidem studio majori, digna poëtæ
Ingenio & venâ fertiliore fores.
Quidquid erit, meritis nos inferiora, tuisque
Laudibus haudquaquam scribimus ista pares.
Non te myrtetis viridaria culta Diones,
Aut decorat viridis tonsile buxus opus.
Non cœlebs platanus viduâ te protegit umbrâ,
Lata beant pinguis sed magis arva soli.
Vero rure places: tibi jugera læta quotannis;
Et fartas fruges angulus omnis habet.
Nec tibi sola Ceres: Baccheia munera large;
Inque cavo domitas Cæcuba multa lacu.

Nec

Nec tibi in Autumno pomis fit inutilis annus,
Divitiis arbor vincitur ipsa suis.
Mugitus latâ referunt in valle juvenci,
Prurit & in pugnam fronte tener vitulus,
Cristata ingenti spatiantur sordida corte
Altilia: & pavo plurimus, anser, anas.
Hic turtur vidua est, illic philomela canoro
Concentu; & modulis aëra mille ferit.
Convocat hinc parvos blande modo sedula pullos,
Aut avidos quernâ villica glande sues.
Hic stabula alta vides, illic & ovilia, pastam
Mollis ubi expectat plurimus agnus ovem,
Inde focum vernæ lutei tibi vespere cingunt,
Et crepat in lato silva benigna foco.
Vescitur hic lætus primâ sub nocte colonus,
Et curas multo diluit ille mero.
Nec, cum canet ager, dat segni membra veterno,
Tristis hyems pigro cum premit arva gelu.
Aut avidis igitur jam retia tendere turdis,
Aut timidum damam fallere casse parat.
Et modo vicinâ piscem vel captat in undâ,
Aut leporem canibus lata per arva fugat.
Hanc repetis crebrò, felix Galeote, quietem,
Tædia te quoties urbis iniqua premunt.
Hîc mentem, hîc corpus renovas, hîc rustica tecum
Musa vacat, segnem nec tamen esse sinit.
Nos quoque Pieridum quota turba venire solemus,
Ociaque in læto ducere grata solo.
Salve rus felix, salve jucunda Camœnis,
Carminibus sedes non reticenda meis.
Te pia, si quicquam possit, mea Musa merentem
Tollet, & æterna sedula laude vehet.

In invidum, retrogradi versus.

Exitium caput hoc fugiat; nec turbida pressum
Tempora te curis, ut precor, aspiciant.

Nam

Naufragium pia non moveant; sed concita nusquam
  Cærula te reddant, te freta littoribus.
Æquoreis cibus & monstris sint corpora nunquam:
  Libera sic diris sint tua fulminibus.

In Silvam Jo: Gazoldi.

Quæ silva hæc? felix. felix? quàm dives? ut hortos
  Phæacum, ac ditis vicerit Alcinoi. (quam:
Qui potis est? plura hæc mala fert. quot mala? mala in-
  Poma quot olim hortus non tulit Hesperidum.

Francisci Saxatelli Epitaphium.

Si pensare brevis licet ævi tempora factis;
  Et vixisse diu gloria parta facit:
Saxatelle ducem Pylium Francisce, Phrygemque
  Æquasti; patriæ, militiæque decus.
Vix quater exieras lustrum, cùm laude perenni
  Attulit in Venetis pugna cruenta necem.

In picturam puerorum certantium.

Injecere manus, & prensavere capillos
  Infensi pueri; pugnaque cœpta gravis.
Clamat hic; inclamat pariter contrarius illi;
  Desine; te linquam; desine, & alter ait:
Sic, dum non linquit, dum finem non facit alter;
  Infensis pugna hanc durat ad usque diem.

Ad inclitum Joannem Saxatellum.

Saxatelle decus patriæ, tutelaque nostræ,
  Et gentis splendor, famaque prima tuæ:
Sæpe tuas tento complecti carmine laudes:
  Obruor, ac tantum Musa recusat onus.

Quis tenui cyatho concludat fluminis undam?
Audeat aut vaſtum currere lintre fretum?
Me novus inceſſit, ſtimulatque hic ſæpius ardor:
Mox vires deſunt, ingeniumque cadit.
Auſa nimis medio conatu Muſa reſedit,
Et traxit retro tacta pudore pedem:
Quod ſi non valeo, noſtriſque eſt viribus impar
Hoc, toties quod me jam voluiſſe vides:
Inclite Joannes, hîc mentem vatis amici
Suſcipe, & hanc quæſo muneris inſtar habe.
In magnis recipi pro facto prona voluntas
Debet; & imprimis digna favore venit.
Dicta ſit hæc igitur laudum mihi ſumma tuarum
Maxima; qui merito non potes ore cani.

Ad Philippum Beroaldum Juniorem.

Clari progenies colenda patris,
Gentis præcipuum decus Latinæ,
Sermonis patrii, potenſque Graii
Clarorum ſpecimen virum, Philippe:
Quas umquam tibi gratias decenter
Pro tantis meritis agant uterque
Major Flaminius tuis, minorque?
Novi, quid deceat, ſcioque quantum
Hic natus, pater inde, debeamus:
Sed vires nequeunt: onus recuſant
Imbelles humeri. Quid ergo agendum
Jam nobis ſupereſt, quibus facultas
Impar officiis nequit referre
Quicquam pro meritis? manebit uſque
Infixa hæc animis tenax utrique
Noſtris gratia, nec valebit ulla;
Quamvis longa dies, bonis locatam
Hanc ex pectoribus movere quondam:
Non ſi nos Pylii ſenecta regis,
Annoſæ aut maneant dies Sybillæ.

Epitaphium Camillæ Venereæ.

Si genus, & rarum formæ decus adjuvet usquam,
Grataque purpureo flore juventa queat:
Si valeant animi dotes, ac vivida virtus,
Impia Parcarum sistere fila trium:
Tot flexisse bonis non exorabile fatum,
Et duræ poteras frangere mortis opus.
Ingruit infelix, heu vis, quæ lege perenni
Perderet, inque brevi conderet ista loco.
Diva Gnydi luge Charites lugete benignæ:
Pars jacet hic vestri quarta, Camilla, chori.

In Galli obitum.


Immatura mihi gallum mors abstulit, heu, heu!
Pallida per Stygias jam volat umbra domos.
Quam bene doctus erat cantu prædicere lucem!
Et matutinum præcinuisse diem!
Lucifer in cœlo Phœbi dat signa propinqui:
Hic mihi sed terris Lucifer alter erat.



M. AN-

M. ANTONII FLAMINII

SERRAVALLENSIS.



Hymnus in Pana.

JAm ſatis cecini fera
Regum prœlia: nunc age
Mater Pieri, quem Deum,
Quem dulci Æoliæ fidis
Plectro rite canemus?
An te Lanigeri gregis,
Silvarumque virentium
Cuſtos, cui nigra Mœnali
Terga, cui gelidi placent
Summa templa Lycæi?
Nymphæ ſemiferam Jovis
Prolem dicite; dicite
Pana capripedem leves
Suetum cum Dryadis choros
Silvis ducere in altis.
En ut grata ſilentia
Cantu noctivago Deus
Rumpit, cernite, io, venit,
En venit capitis feri
Serta pinea quaſſans.
Huc concurrite virgines
Intactæ, & pueri integri:
At quibus ſcelera impia
Mentem ſollicitant, procul

Hinc abeſte profani:
Abſint & querimoniæ,
Et miſtus lacrimis dolor.
Hic lætus choreis dies
Ducenda hic leve tinnulâ
Carmen voce ſonandum.
O Pan Najadum pater,
Qui per dævia montium,
Valliumque reconditarum
Agreſtes agitas canum
Cinctus agmine lyncas,
Te Divum atque hominum ſator,
Silvarum dominum dedit
Eſſe, qua roſeus dies
Surgit, quaque cadens rubris
Ponti mergitur undis.
Tu fontes liquidos gregi, &
Læta pabula ſufficis:
Tu cuſtos ovium potens
Dictus mollia candidis
Exples vellera lanis.
Quos tu, ſancte, pio ſemel
Agnos lumine videris,
Illos nec ſtabulis lupus
Infeſtus rapiet, mala
Nec contagia lædent
Felices nemorum comæ,
Quæ te, cum vaga roſidus
Veſper ſidera protulit,
Dulci carmina fiſtula
Audivere canentem.
Tunc puræ melius nitent
Noctis conſcia ſidera;
Tunc auræ Zephyri tacent:
Tunc lætas croceis humus
Spargit floribus herbas.
Non tam dulce ſonat cadens
Udo in gramine Cycnus, aut

Veris tempore floridi
Ales ſub ſilvæ querens
Denſis Daulias umbris.
Ergo Hamadryades Deæ,
Limpidis ubi procubat
Umbra ſaxea fontibus,
Ludunt in numerum, & levi
Campos ter pede pulſant.
Tu vero choream regens
Cantus ingeminas, ſonant
Lætis omnia plauſibus,
Et cultrix nemorum gemit
Imis vallibus Echo.
Mox feſſa Dryadum agmina
Propter gramineam ſedent
Ripam fluminis, hic ubi
Dulcem mollis amaracus
Late ſpirat odorem.
Et dum ſuave rubentia
Carpunt mala, vel aureos
Crines frigidulis aquis
Immergunt, liquida ſimul
Voce carmina dicunt:
Ut fulgentia ſidera,
Et magnas Superum domos
Linquens, ad vaga flumina
Paverit niveas oves
Majæ clara propago,
Qua Cyllenia verticem
Rupes umbriferum nigris
Late fontibus irrigat,
Et gratas pecori vago
Semper ſufficit herbas.
Hic flavæ Dryopes ſinu
In molli recubans Deus,
Cœlo frondiferum nemus
Præfert, heu nimium gravi
Victus vulnere Amoris

At felix Dryope novem
Poſt faſtidia menſium
Optatum ex utero dedit
Pondus, vix puer hauſerat
Dias ætheris oras,
Fugerunt Dryades, parens
Fugit territa, nam inguinum
Tenus hircus olens erat
Infans, binaque flammeæ
Stabant cornua fronti
Tunc illum genitor ferens
Albis pellibus abditum,
Ad magni ſolium Jovis
Venit, nec mora riſit im-
Menſi rector olympi:
Riſerunt Superi, at Venus
In ſinu puerum tenens,
Viſus paſcit amabili
Monſtro, grataque turgidæ
Libat oſcula fronti
Salve, ô Najadum potens,
Salve, & hinc lacrimabiles
Morbos, & miſeram famem in
Extremas Arabum domos,
Et feros age Turcas.

Hymnus in Auroram.

Ecce ab extremo veniens Eoo
Roſidas Aurora refert quadrigas,
Et ſinu lucem roſeo nitentem
Candida portat.
Ite pallentes tenebræ ſub Orcum,
Ite, quæ totâ mihi nocte diros
Manium vultus, mihi dira ſemper
Somnia fertis.
Da lyram vati puer; ipſe flores
Sparge dum canto. Bona diva ſalve,

Quæ

Quæ tuo furvas radiante terras
Lumine lustras:
En tibi suaves violas, crocumque,
En odorati calathos amomi:
Surgit, & nostros tibi dulcis aura
Portat odores.
Deferat laudes utinam, precesque,
Quas tibi supplex mea Musa fundit
Jam pio sanctos bene docta divos
Tollere cantu.
Quis tuam digne celebrare lucem
Possit, ô almæ genitrix diei:
Quis tuam formam ô Dea, ante Divas
Pulchrior omnes?
Ut genas cœlo roseas, comamque
Auream profers, tibi fulva cedunt
Astra, decedit rutilante victa
Luna decore.
Te sine æternâ jaceant sepulti
Nocte mortales; sine te nec ullus
Sit color rebus, neque vita doctas
Culta per artes,
Tu gravem pigris oculis soporem
Excutis; lethi sopor est imago,
Evocans tectis sua quemque lætum ad
Munia mittis.
Exilit stratis rapidus viator,
Ad jugum fortes redeunt juvenci;
Lætus in silvam properat citato
Cum grege pastor.
Ast amans caræ thalamum puellæ
Deserit flens, & tibi verba dicit
Aspera, amplexu teneræ cupito a-
Vulsus amicæ.
Ipse amet noctis latebras dolosæ,
Me juvet semper bona lux; nitentem
Da mihi lucem, Dea magna, longos
Cernere in annos.

De Deliâ.

O fons Melioli facer,
Lymphâ ſplendide vitreâ,
In quo virgineum meum
Lavit Delia corpus.
Tuque levibus enitens
Arbor florida ramulis,
Quâ latus niveum, & caput
Fulſit illa decorum.
Et vos prata recentia,
Quæ veſtem nitidam, & ſinum
Foviſtis tenerum uvidâ
Læti graminis herbâ
Voſque auræ liquidi ætheris
Noſtri conſciæ amoris ad-
Eſte, dum queror, atque vos
Suprema alloquor horâ.
Si ſic fata volunt fera,
Si ſic eſt placitum Deis,
Ut nobis amor impia,
Morte lumina condat:
Saltem pro pietate meâ
Hoc concedite, frigidum
Ut corpus liceat mihi
Veſtrâ ponere terrâ.
Sic ſatis moriar libens
Si ſpes hæc veniat ſimul,
Quod nullo melius loco hos
Linquet ſpiritus artus.
O ſi tempus erit modo,
Cum ſuetum huc aditum ferat,
Quæ nos ante diem nigros
Cogit viſere manes:
Et locum adſpiciens, ubi
Illo purpureo die
Me vidit, miſerum ſuis

Mul-

Multum quærat ocellis;
Sed jam frigida pulverem
Inter ſaxa videns, ſtatim
Pectore ardeat intimo, &
Me ſic fata repoſcat.
Ut vitæ veniam impetret,
Et cogat Superos ſuum
In votum, humida candido
Tergens lumina velo.
Pulchris undique ramulis
Inſtar imbris, in aureum
Manabant dominæ ſinum
Flores ſuave rubentes.
Talis Idaliâ Venus
Silvâ, ſub viridi jacet
Myrto, puniceo hinc & hinc
Nymbo tecta roſarum.
Hic flos purpureas ſuper.
Veſtes, hic ſuper aureos
Crines, hic roſei ſuper.
Oris labra cadebat.
Ille gramine roſcido
Inſterni, hic vitreâ ſuper
Lympha nare, alius cito in
Girum turbine verti.
Leni murmure candidum
Audiſſes Zephyrum tibi
Palam dicere, regnat hîc
Blandi mater Amoris.
Tunc mecum ter & amplius
Dixi, aut venit ab æthere
Hæc alto, vel Oreadum
Certe ſanguinis una eſt.
Sic & blanda protervitas,
Sic & virgineum decus
Oris, verbaque dulcia
Memet abſtulerant mihi;
Ut ſuſpiria ab intimo

Fundens pectore, sæpius
Dicerem; huc ego quâ viâ,
Quove tempore veni?
Nam super nitidum æthera
Evectus volucri pede, &
Magni concilio Jovis
Interesse videbar.
Illo ex tempore frigerans
Fons, & prata recentia, &
Arbor florida sic mihi
Mentem amore revinxit;
Ut seu nox tenebris diem
Pellit, seu rapidum fugit
Solem, non aliâ miser
Unquam sede quiescam.

Ad seipsum, de adventu Hyemis.

Jam bruma veniente præterivit
Æstas mollior, & cadunt ab altis
Frondes arboribus; tepor Favoni
Immanes Boreæ furentis iras
Formidans abit: illum agri voluptas
Canoræ volucres sequuntur, ergo
Et nos dulcia rura deseramus,
Dum Ver purpureâ comâ decorum
Reducat Zephyri tepentis auram.
Horti, delitiæ meæ, valete:
Fontes luciduli valete: salve
Mihi villula carior superbis
Regum liminibus: recedo, sensum
Sed meum hic animumque derelinquo.

De laudibus Lauri.

Laure conspicuo nitens
Semper tegmine frondium,
Quas nec bruma gelu rigens,

Nec

Nec ſævi rabies Noti
Læto privat honore,
Te canam nemorum decus,
Arborumque virentium;
Inter quas ita gloria
Præſtas, ut teneras ſuper
Vites tollitur alnus.
Iratæ fugiens minas
Junonis, celeri ut pede
Latona Ortygiam attigit,
Te visâ gemini ſtatim
Solvit pondera fœtus;
Hinc tantis meritis parem
Phœbus reddere gratiam
Quærens, horrificum neci
Ut Pythona dedit, tuâ
Cinxit tempora fronde;
Dein vocalibus Aonum
Silvis inſeruit, te ubi
Lactis fluminibus leves
Nymphæ, & capripedes rigant
Dulci nectare Fauni,
Nec colles Heliconios
Dextro contigerit pede
Te quiſquam ſine, nam prius
Ex lauro capiunt ſua
Sancti præmia vates.
Quin & limina Cæſarum,
Victoremque etiam tuis
Exornas foliis ducem;
Cum victoria nobili
Plena pulvere venit
Cum primum hæc Dea præpete
Pennâ fortia Romuli
Intrat mœnia; poneris
Tarpeii in gremio Jovis
Lætæ nuncia pacis.
Quamvis ipſe Dieſpiter

Crebris fulminibus Deum
Templa concutiat, tamen
Nullis ipſa tonitribus
Igni tacta coruſco es,
Quis te laudibus efferat
Dignis, Laure? nocentium
Tu purgamina ſordibus
Præbes, veraque corneâ
Mittis ſomnia portâ.
Te pulcherrima ſoſpitet
Latona, & cohibens levi
Arcu Cynthia belluas;
Te Phœbus viridem tuus
Omne ſervet in ævum.

Ad Bacchum.

Age Bacche quis furor me rabidum occupat? io,
Rapior, & alta curſu volucri in nemora feror,
Ubi ſacra Mænades cum Trieterica celebrant,
Furibunda ſolent vagantes agitare tripudia.
Audire videor alto reboantia ſtrepitu
Ubique æra, jam choris, jam videor nemori vagis
Celer intereſſe turmis; evoë mihi ſola ſub
Pedibus tremunt, nubes evoë pulverea diem
Mihi tollit, adeſt, adeſt jam Semeleia propius
Soboles, io venit, tinnula cymbala reſonant,
Phrygiis recurva ſtridet grave tibia calamis;
Evoë vagus abit animus; evoë tremula flagris
Mihi terga quatit furor. parce precor, precor, animum
Stimulis citare tantis, alios rape celeres
Per opaca Thraciæ rura, alii capita rotent
Hinc & hinc reflexa, thyriſque feras hederigeris
Lanient, in ocioſis ego ſacra latibulis
Faciam, aureiſque Bacchi pia numina fidibus
Referam novus ſacerdos; tua Liber initia
Cantabo, & iſta, donec mihi vita ſupererit,
Habitabo nemora, ſemper tuus Evie famulus,
Quod ſi bene pater Evantum me inſerere choris

Ani-

Animo eſt, & altæ furibundum per juga Rhodopos
Agitare; tuo mihi ſaltem munere liceat
Rabidi furorem amoris compeſcere pater, &
Da ſervitio gravi dominæ vivere vacuum.

Ad Agellum ſuum.

Umbræ frigidulæ, arborum ſuſurri,
Antra roſcida, diſcolore picta
Tellus gramine, fontium loquaces
Lymphæ, garrulæ aves, amica Muſis
Ocia, ô mihi ſi volare veſtrum
In ſinum Superi annuant benigni;
Si dulci liceat frui receſſu;
Et nunc ludere verſibus jocoſis;
Nunc ſomnum virides ſequi per umbras,
Nunc mulgere mea manu capellam,
Lacteoque liquore membra ſicca
Irrigare per æſtum, & æſtuoſis
Curis dicere plurimam ſalutem:
O quæ tunc mihi vita, quam beata.
Quam vitæ ſimilis foret Deorum!
At vos ô Heliconiæ puellæ,
Queis fontes, & amœna rura cordi,
Si cara mihi luce cariores
Eſtis, jam miſereſcite obſecrantis,
Meque urbis ſtrepitu tumultuoſæ
Ereptum, in placido locate agello.

Ad eundem.

Venuſte agelle, tuque pulchra villula
    Mei parentis optimi
Olim voluptas, & quies gratiſſima
    Fuiſtis: at ſimul ſenex
Terras reliquit, & beatas cœlitum
    Petivit oras, incola
Vos alter occupavit, atque ferreus
    Amabili veſtro ſinu

Me lacrimantem ejecit, & caris procul
Abire juſſit finibus.
At nunc, amica rura, vos reddit mihi
Farneſii benignitas.
Jam vos reviſam, jam juvabit arbores
Manu paternâ conſitas
Videre; jam libebit in cubiculo
Molles inire ſomnulos,
Ubi ſenex ſolebat artus languidos
Molli fovere lectulo.
Gaudete fontes, rivulique limpidi,
Heri vetuſti filius,
Jam jam propinquat, voſque dulci fiſtulâ
Mulcebit, illâ fiſtulâ,
Quam veſtro Jolæ donat Alcon maximus;
Ut incliti Farneſii
Laudes canentē Naidum pulcher chorus
Miretur, & Pan capripes

Ad Apollinem.

Cynthii cultor nemoris, beatas
Voce qui nymphas cytharaque mulces,
Phœbe ſupremi Jovis, & Deorum
Blanda voluptas:
Si tibi ſemper mea mens ab annis
Serviit primis, neque dulce cordi
Eſt meo quicquam ſine te, precanti
Annue dexter.
Ut mihi optatum dat habere agellum
Clara Farneſi pietas, gravique
Liberans curâ jubet ocioſam
Ducere vitam;
Sic tuo vati liceat, perenni
Nomen illius celebrare cantu,
Et viri in noſtris vireat libellis
Gloria ſemper,
Myrtus ut luco viret in latenti,

Fon-

Fonte quam nutrit liquido decoræ
Nais, & ſævas hyemes, & æſtus
Arcet iniquos.

Ad Gratias.

Gratiæ, pulchræ Veneris ſodales,
Queis ſine gratum nihil aut venuſtum eſt;
Non Amor, non ipſa Venus, jocive,
Blanditiæve,
Tris fero vobis violæ coronas
Flore fulgentes, ego terna vobis
Candidi lactis, totidemque libo
Cymbia mellis.
Vos meis dulcem numeris leporem
Addite; ut ſemper bene docti ad aures
Grata Farneſi veniant Jolæ
Carmina veſtri.

De laudibus Mantuæ.

Felix Mantua, civitatum ocelle,
Quam Mars Palladi certat uſque & uſque
Claram reddere gentibus, probiſque
Ornare ingeniis virorum, & armis;
Te frugum facilis, potenſque rerum
Tellus, te celerem facit virente
Qui ripâ, calamiſque flexuoſas
Leni flumine Mincius ſuſurrat,
Et qui te lacus intrat, adveniſque
Dites mercibus invehit carinas.
Quid palatia culta, quid Deorum
Templa, quid memorem vias, & urbis
Moles nubibus arduis propinquas?
Pax ſecura loco, quieſque nullis
Turbata exiliis, frequenſque rerum
Semper copia, & artium bonarum.
Felix Mantua, centieſque felix,

Tan-

Tantis Mantua dotibus beata,
Sed felix magis, & magis beata,
Quod his temporibus, rudique sæclo
Magnum Castaliona protulisti.

Ad Dianam.

Casta Latonæ soboles, Jovisque,
Quæ pharetratis comitata Nymphis
Cynthium collem peragras, nigrique
Silvam Erymanthi,
Bochius linguæ decus utriusque,
Doctus errantes agitare cervos,
Hanc tibi villa media locatam
Dedicat ulmum,
Unde veloci domitæ sagitta
Pendeant lynces, timidique damæ,
Atque vivacis tibi consecrata
Cornua cervi.

Ad Nymphas de fonte Philalethis.

Naiades pulchræ pulchris è fontibus ortæ
Hanc lympham vobis Philalethes dedicat: illâ
Nec fons frigidior quisquam, nec purior, at vos
Arenti vestram lympham defendite ab æstu,
Neu sitiant myrti, neu desit floribus humor,
Et domino ruris viridem servate senectam.

Ad Alexandrum Farnesium Cardinalem.

Farnesi vatum decus, & spes unica, nostri
Solus principium, & finis tu carminis esto;
Utque optata mihi dexter facis otia, sic te
Mansuro liceat cantu celebrare, meisque
Floreat æternum tua virtus inclita chartis;
Quod spondent Musæ, & cultus mihi semper Apollo:
Nam qui nec vates, nec dulcia carmina curat,
Ille

Ille licet gazas Arabum, Crœſique talenta
Congerat, & priſco ſit regum a ſanguine cretus;
Attigit infelix ubi metam ignobilis ævi,
Deſpectum jacet in tenebris ſine nomine corpus,
Villicus occulto moriens ut pauper agello:
Quæque pio vati prudens ſi dona dediſſet,
Viveret exequiis invitâ morte ſuperſtes,
Illa meretrici dabit hæres. o male ſani
Diſcite divitiis uti ſapienter. avaris
Obruit hic aurum terris, cæcoque furore,
In mediis opibus vivit rerum omnium egenus.
Alter, avaritia ſævâ plus morte peroſus,
Rem patriam ſtulte vetitos effundit in uſus,
Ingentemque auri ſcurræ populantur acervum.
At ſapiens recte diſpenſat dona Deorum,
Dat partem patriæ, reficit labentia templa,
Et Muſas fovet, & ſacros ante omnia vates.
Ergo illum dulci tollunt ſuper æthera cantu,
Mortalemque vetant inviſæ occumbere morti.
Sic Mæcenatis, quo Thuſcia gaudet alumno,
Uſque feret nomen diverſas fama per oras,
Dum rapidus circum terras volvetur olympus.
Ille quidem magnos reges æquaverat auro,
Cumque ipſo curas partiri & gaudia ſuerat
Auguſtus Cæſar, rerum cui prima poteſtas:
Sed nil Auguſtus, nil pondera divitis auri
Profuerunt, vitæ legeret cum fila ſuprema
Parcarum manus; obſcura caligine lethi,
Conſitus inferna ſemper latuiſſet in umbras,
Ni miſerata virum divini Muſa Maronis
Ipſius ad clarum famam evexiſſet olympum.
Scilicet ingeniis varia eſt vis inſita: rerum
Invigilant alii cauſſas aperire latentes,
Et convexa poli penetrant, maneſque ſub imos:
Hic jura imperiis deſcribit: at ille rotundo
Attentum ore tenet populum, magnumque Senatum.
At ſi quem placidis naſcentem vidit ocellis
Caſtalii regina chori, & formoſus Apollo,

Ille urbis ſtrepitum fugit, & viridantia ſilvis
Rura colens gaudet longos extendere in annos
Magnanimum heroum divino carmine laudes.
Ergo age virtutem, juvenum flos candide, ſolam
Mirare, & doctos tua ſemper cura poëtas
Ornet, alatque, tuum ut vivat per ſæcula nomen.

De ſe ægrotante.

Ergo adeo cœptum peraget mors impia curſum;
  Ut poſt everſæ triſtia fata domus,
Me quoque ſurripiat primo vix flore juventæ?
  Et noſtra exiguus jam tegat oſſa lapis?
Dii, quorum auſpicio communes hauſimus auras,
  Parcite nunc vitæ rumpere fila meæ.
Parcite, ſi veſtros ſuſpexi ſemper honores,
  Si nullo infecta eſt candida mens ſcelere.
Non prius ac cœli curſum confecit, Ibero
  Tingit anhelantes gurgite Phœbus equos;
At nunc perpetuam nobis mors pallida noctem
  Portat, & infernos cogit adire lacus,
Et nondum eſt rugis facies mihi languida, nec dum
  Infecit nigras alba ſenecta comas.
Sic roſa vix lætum calathi pendebat honorem,
  Cum cadit, & rutilo murice pingit humum.
Jane pater, noſtræ quondam ſpes una juventæ
  Jam condes manibus lumina noſtra tuis,
Jam me poſtremo tumuli donabis honore,
  Et cupies tantis non ſupereſſe malis.
Aſt ego ſecura nequicquam mente parabam
  Grandia mox Umbri dicere facta Ducis:
Ut validas olim bello devicerit urbes,
  Quem tremuit victis pulcher Iſaurus aquis:
Ut nunc indomitos certet contundere Iberos,
  Italiæque gravi ſolvere colla jugo.
Hæc heu Perſephone, ſupremi nuntia luctus,
  Vota dedit levibus diripienda Notis.

Sæ-

Sæpe salutifero morbum depellere succo
  Tentavi, at nullâ cesserat arte dolor.
Sæpe Deûm supplex clamavi numina, sed non
  Audierunt nostras numina surda preces.
Quod si tanta sitis, nostræ si tanta cupido est
  Mortis, & effugii spes mihi nulla manet:
Ah liceat saltem Elysios invisere campos,
  Et fortunatæ regna beata plagæ;
Hîc ubi cum molli Nemesis formosa Tibullo
  Ludit, & est vati Lesbia juncta suo.
Et mihi, qualis erit, teneris comitata puellis
  Occurret celeri candida Lygda pede.
Et dulces dabit amplexus, & basia junget;
  Junget & optati gaudia conjugii.

De Hercule & Hyla.

Quid mirare, tuo si regnat corde Lycina,
  Nec cessat tantis te cruciare malis?
Crede mihi, non solus amas: Veneris puer omnium
  Est Divum, atque hominum maxima pernicies.
Audistine, humeris cœlum qui sustulit altis,
  Ausus & inferni regna subire Dei?
Ille idem tanto puerum dilexit amore;
  Ut seu nox alto surgeret Oceano,
Seu roseo terras vestiret lumine Titan,
  Hercule cum magno candidus esset Hylas.
Nulla dies miserum puero sine vidit amantem,
  Nec cum tergemini corpora Geryonis
Sterneret, atque alios invictus mille labores,
  Imperio duri susciperet domini.
Quin etiam Colchos peteret, cum pulcher Jason
  Amphytrioniadæ tunc comes ibat Hylas.
Ibat Hylas, clavamque gerens, Libycamque pharetram,
  Qualis cum molli Parthenice pluviâ
Stat gravis, ac Phœbi radiis aspersa nitentem
  Dat lucem, Paphiæ rarus honos Veneris.

Et jam Pleiades cœlo caput attollentes
  Linquebant sacras Nereidum choreas,
Cum Pagasæ curvis e littoribus digressi
  Currebant celeri per vada salsa rate:
Quos comitabantur cinctæ fulgentibus armis
  Pallas, & ipsa potens cœlicolum domina.
Jamque volans undis Nerei mirantibus, Argo
  Mysorum claris urbibus appulerat.
Hîc juvenes pictis e puppibus egredientes
  Deponunt altis membra sub arboribus:
Et molles sibi quisque toros bene olentibus herbis
  Extruit: intonso creverat herba solo.
At formosus Hylas taciti per devia montis
  Ibat luciduli sumere fontis aquam.
Fons erat in silvâ puris argenteus undis,
  Quem bicolore tegit populus alta comâ;
Ac circum Paphiæ densant umbracula myrtus,
  Et parit assiduas aura benigna rosas,
Narcissumque, crocumque, immortalemq; amaranthum,
  Et te flebilibus scriptum, Hyacinthe, notis,
In medio faciles nudato corpore Nymphæ
  Ludebant sparsis per rosea ora comis,
Quæ puerum cupido miratæ lumine, cum vix
  Illius molles tingeret unda pedes;
Abreptum subito vitreum traxere sub amnem,
  Ut quondam veris tempore purpurei
Stella volans, cœlo noctis delapsa per umbram
  Emicat, inque alto conditur Oceano.
Tunc lætus clamat summâ de puppe magister,
  Candida felici pandite vela Noto,
Pandite, nam cœlo Superi bona signa dedere;
  Sic ait, & placidis per mare fertur aquis.
At miser Alcides casu perculsus acerbo
  Amissum toto littore clamat Hylam,
Littore Hylam, furibundus Hylam per devia quærit.
  Qualis thuricremas parva juvenca Deûm
Concidit ante aras; sed fati nescia mater
  Non jam frondifero pascitur in nemore,

Nec

Nec dulcem puri libavit fluminis undam,
Sed fertur celeri per nemora alta pede
Omnia mugitu complens, si forte veniret
Bucula maternis obvia luminibus.
Sic Heros, Hyla ingeminans, Hyla omnia replens,
Errabat dubio per loca sola pede.
Quantas ille fero profudit corde querelas,
Pallenti quantas ore dedit lacrimas!
Cum sæpe optaret scopulo se mittere ab alto,
Aut vitam rapidis ponere fluminibus.
Interea curvo solvens de littore funem
Colchorum fines iverat Æsonides;
Quem desiderio pueri confectus inani
Mox sequitur lacrimans Amphytrioniades,
Hos tu sollicitos Heroum doctus amores,
Disce libens duræ ferre jugum dominæ;
Nec te jam pigeat quemvis perferre laborem:
Omnis amor longo vincitur obsequio.

De se proficiscente Neapolim.

Pausilypi colles, & candida Mergilina,
Et myrteta sacris consita littoribus,
Si mihi post tantos terræque, marisque labores
Contigerit vestræ limina adire Deæ,
Limina, quæ vates speculâ fundavit in altâ
Actius Eois clarus, & Hesperiis,
His ego pileolum figam, & calcaria, & ensem,
Et quæcunque vagus arma viator habet:
Nec mihi jam quisquam vel prudentissimus ullas
Aut pelagi, aut terræ suaserit ire vias,
Non mihi Persarum si detur regia gaza,
Non mihi si rubri serviat unda maris.
Quis furor est, nullis unquam requiescere terris,
Atque alia ex aliis semper adire loca?
Nec vitare graves æstus, nec frigora sæva,
Nec timuisse vagæ mille pericla viæ?

Felix, qui parvo contentus vivit agello,
  Nec linquit patriæ dulcia tecta domus!
Quem versare juvat fœcunda ligonibus arva,
  Et nitidam vitis fingere falce comam;
Aut gelidam summo lympham deducere clivo,
  Æstibus ut mediis arida prata bibant;
Aut tondere gregem lucenti vellere amictum,
  Et tonsum liquidis mergere fluminibus.
Hic laribus certis, certisque sodalibus utens
  Magnorum vitâ cœlicolum potitur:
Nec violentus eum crudeli vulnere latro,
  Nec fera cæruleo perdidit unda mari.
Ille suis moriens suprema dat oscula natis
  Deficiens castæ conjugis in gremio.
Illa viri fugientem animam dulci excipit ore,
  Et claudit tenerâ lumina cara manu:
Dehinc tumulum viridi componit margine fontis,
  Quà vetus arboreis decidit umbra comis:
Huc madefacta piis lacrimis fert liba quotannis,
  Cum pueris veniens mœsta puella suis;
Et magnâ manes compellat voce mariti,
  Spargens fictilibus lac niveum calathis;
Nec potis est dulci tumulo se avellere, donec
  Hesperus invitam cogit abire domum.
O fortunati cineres, umbræque beatæ,
  Morte obitâ si quem talia fata manent!
At me, dum terras, & vasta per æquora curro,
  Si vocet in Stygiam pallidus Orcus aquam,
Quis tumulum faciet? tumulo quis tristia libans
  Dona, peregrinas flebit ad inferias?
Jam valeant Alpes, & nimbifer Apenninus,
  Tuque maris nostri littus utrumque, vale,
Me juvat umbrosis vitam nunc degere in hortis,
  Et Phœbo, & Musis otia digna sequi,
Tum rerum causas, eventaque dicere; quâ sint
  Lege colenda homini Numina sancta Deûm;
Qui deceant mores; faciat quæ vita beatum;
  Quid verum falsis distet imaginibus.

In

In primis celebrare patrem fidibus juvat, a quo
  Ex nihilo vates omnia facta canunt,
Cœlicolæ quem tergeminum venerantur, & unum,
  Qui mare, qui terras, qui supera alta regit.
O utinam ille suo me sistat numine sancto
  Ad fortunati littora Pausilypi,
Littora divino quondam celebrata Maroni,
  Et patrio Minci flumine cara magis;
Littora, quæ toties viderunt Calliopeam
  Dictantem vati carmina docta suo.
Sirenes illis stupuerunt versibus, illis
  Carminibus omnis Nereis obstupuit.
Ipse pater Tegeæus amœna vireta Lycæi
  Linquens insolitis cantibus intererat;
Quem comitabantur silvarum numina Fauni,
  Et Nonacrinæ maxima turba Deæ.
Ille coronatus viridanti tempora myrto
  Dicebat laudes, candide Daphni, tuas,
Et quæ Mænalius dulci cantarat avernâ,
  Dum pascit niveas Alphesibæus oves,
Tum miseros Galli consolabatur amores,
  Duritiam incusans, pulchra Lycori, tuam.
Hinc lætas segetes, & Bacchi dona canebat,
  Et pecus, & liquidis dulcia mella favis,
Mox se se attollens numero graviore sonabat
  Trojani referens horrida bella ducis;
Erroresque vagos, & diruta Pergama flammis,
  Visaque Tartarei pallida regna Dei.
Tum patri celebrata prius certamina, pæne
  Femina cum Phrygias perdidit una rates.
In primis fatum miseræ deflebat Elisæ,
  Quam tulit, heu, diro vulnere sævus amor.
Siste ratem, Ænea, properas quid funus amanti?
  Per Veneris quæso numina siste ratem.
Quod si forte tuæ non est tibi cura puellæ;
  Ah saltem in gremio concidat illa tuo.
Vos o ceruleæ formosâ Doride natæ,
  Vos dominum ad littus, quæso, referte, meum;

 Sic

Sic vestro nulli veniant in amore dolores,
  Sic vobis semper mutuus adsit amor:
Ille canit, celso properant de vertice lauri,
  Et prata omnigeno flore colorat humus.
Tune sacrum felix aluisti terra Maronem?
  Tune pio celas ossa beata sinu?
Anne etiam, ut fama est, vatis placidissima sæpe
  Inter odoratum cernitur umbra nemus?
Felices oculi, fortunatissima silva,
  Et quidquid sancto nascitur in nemore!
Cui non sit dulci patriâ tua dulcior ora?
  Quis non te lucis præferat Elysiis?
Jam mihi Benaci lætissima littora sordent,
  Jam formosus aquis Mesulus irriguis.
Me tibi, terra beata, dico; tu meta laborum,
  Jamque senescentis grata quies animi:
Tu, dum fata sinunt, lucemque, auramque ministra:
  Tu precor extincti corporis ossa tege.

Ad Antonium Gibertum.

Docte puer, magni pulcherrima cura Giberti,
  Progenies silvis edita Pieriis,
Te dulces oras in luminis egredientem
  Excepit tenero Calliopea sinu:
Et capiti imposita lauri de fronde coronæ
  Formosa Aoniis ora rigavit aquis,
Cui puero favet illa, is firmâ ætate, poëtas
  Antiquos doctis versibus æquiparat;
Ipsum admirantur populi, juvenesque, senesque
  Attoniti pendent vatis ab ore sacro.
Seu vexat miseras discordia flebilis urbes;
  Ille suis mulcet pectora carminibus,
Seu gravis ira Deum morbos exasperat; iras
  Condonant vati numina magna pio.
Sic Divos citharâ placabat Thracius Orpheus;
  Sic hominum cultus molliit ille feros.
Fortunate puer, tanto dignatus honore,
  Despicito quidquid mobile vulgus amat.

Est

Eſt patruus tibi præſtanti virtute Gibertus,
Quem tellus magnæ ſuſpicit Heſperiæ.
Hoc duce relligio multos neglecta per annos
Jam rediit; pulſa eſt vana ſuperſtitio.
Ipſius pare ſanctis hortatibus, ipſum,
Care puer, magni numinis inſtar habe.
Hoc duce Sirenum cantus, & pocula Circes,
Et Veneris ſævas effuge blanditias.
Qui ſequitur Venerem, fugit illum candida Muſa:
Ah miſer ille puer, quem Dea docta fugit.
Blanda Venus pueros nigrum deducit ad Orcum
Inſidians; cœlo candida Muſa beat.
Incautas juvenum mentes in monſtra ferarum
Vertebat Solis filia blanditiis.
Blanditiis captus, qui dextrâ vicerat Hydram,
Hac eadem nevit Lydia penſa manu.
Alcide infelix, ubi ſunt Erymanthia monſtra,
Victaque tergemini corpora Geryonis?
Et tremefacta tuâ pallentia Tartara clavâ,
Fultaque cum magni ſidera numinibus?
Alcide infelix, tantis de laudibus iſtis,
O pudor, exuvias una puella capit,
Nos vero capiant Muſarum gaudia ſancta,
Gaudia Dis etiam cognita cœlitibus,
Quos teneræ mulcent jucundâ voce ſorores,
Et citharæ cantus ſuavis Apollineæ,
Cum pater auratis celebrat convivia teſtis,
Et dapibus menſas pulchra juventa onerat.
At puer Idæus niveo ſuccinctus amictu
Miſcet ſupremo dulcia vina Jovi.
Hunc puerum Virtus tantò præfecit honori,
Huic puero Pietas munera tanta dedit.
Ille colens centum ſalientem fontibus Idam,
Sive vagas arcu ſollicitaret aves;
Sive ſub umbroſâ captaret frigora quercu,
Qua fugiens liquido murmurat unda pede,
Pieridas, Phœbumque patrem, Divoſque canebat,
Qui virides ſilvas, qui ſupera alta tenent.

Dum canit, inclusum fulvis Jovis armiger alis
  In sedes illum transtulit æthereas;
Felices Superum sedes, quas candida vestit
  Purpureo semper lumine Lætitia.
Tu quoque Musarum veneratus numina, dignum
  Cœlesti puero te bone finge puer.

De fama Idmonis periclitante.

Intemerata fides, sancti germana pudoris,
  Tuque honor, & nudæ simplicitatis amor:
Si teneris Idmon coluit vos semper ab annis,
  Et mens a turpi crimine pura nitet;
Vos juvenis famam præsenti arcete periclo,
  Et facite illa magis splendeat atque magis.


Via Viterbiensis.

Quæ fueram pediti via vix superabilis ante,
  Per me securum jam rota currit iter.
Scilicet hoc tibi præcipuum nunc, maxime Paule,
  Debetur munus pro pietate tuâ;
Qui cupidus regum magnos componere motus
  Hac senior toties isque, redisque viâ.


Lusus pastorales.

Pan pater, & Silvane senex, Faunique bicornes,
  Tuque pharetratæ candida turba Deæ;
Si mea vos dulci delectat fistula cantu,
  Si semper vobis annua dona fero:
Parcite purpureos, quæso, violare racemos,
  Neu tangant avidæ lutea pruna manus.
Hunc agrum dat habere mihi Farnesius heros:
  Gratus ego hæc illi munera prima dico.







Cum facies iter hac, Farnesi candide, Iolam
  Ne pudeat quæso semper adire tuum.
Te vocat arguto viridissima silva susurro,
  Te liquidi fontis garrula lympha vocat;
Villula pulchra, tui memorabile munus amoris,
  Jamdudum gestit ora videre tua,
Magne puer, ne parva precor fuge limina: sæpe
  Pastorum subiit Juppiter ipse casas.



Dum sonat argutis latè vicinia grillis,
  Tu Pholoë, dulci pressa sopore jaces.
Ipse vagor mediâ solus de nocte, tuosque
  Ad caros postes florida serta fero;
Quæque teris nudâ calcando limina plantâ
  Osculor, & lacrimis tristibus illa rigo.
Tu precor aut nostri miserere; aut si tibi tantum
  Displiceo; hic animam ponere, dura, jube.




Et tonat, & vento ingenti nemus omne remugit;
  Et cadit effusa plurimus imber aqua;
Noxque soporiferis alis circumdata, cæcam
  Horrenti latebrâ nubis opacat humum.
Ipse tamen Veneris crudeli compede vinctus,
  Ad dominæ cogor pervigilare fores.
Sævit hiems, Auster densissimus aëre sævit,
  Sed gravius nostro pectore sævit Amor.




Sic tibi perpetuam donet Venus alma juventam,
  Ne faciem nitidam ruga senilis aret;
Post cœnam cum matre tuâ, dulcique Lycinna
  Ad matrem, Pholoë, cara venito meam.
Hic simul ad magnum læti vigilabimus ignem;
  Candidior pulchrâ nox erit ista die.

Fa-


Fabellas vetulæ referent; nos læta canemus
Carmina; caſtaneas parva Lycinna coquet.
Sic noctem teneriſque jocis, riſuque trahemus;
Dum gravet incumbens lumina noſtra ſopor.




Eſto magna Ceres, & Pan mihi teſtis, amantum
Et quæ firma facit fœdera, ſancta Venus:
Nulla dies, Ligurina, tuo me ſolvet amore,
Non ſi me Dryadum ſanguinis una petat.
Ut rupem hanc validis impellunt flatibus Euri,
Sed nullo rupes verbere pulſa labat;
Sic ſemper mea magna fides immota manebit,
Et mea mens uni ſerviet uſque tibi.
Dii faciant, in amore pares vivamus; & uno
Ambos una tegat funeris hora loco.



Hos tibi purpureos in ſerta nitentia flores,
Dum Sol exoritur, Theſtyli, cara lego;
Dumque lego, crebra ingeminans ſuſpiria dico,
O utinam fieri vos mea dona queam!




Huc ades ô mea, Lygda, parum decede calori,
Dum medio cœli ſol gravis orbe furit.
Nonne vides, ut tota fluas ſudoribus? utque
Jam laſſæ nequeant ſtringere farra manus?
Hic patulæ ramis ſociant umbracula fagi,
Quas circum irriguis Meſulus errat àquis.
Nec ſalſæ deſunt oleæ, nec olentia cepe,
Nec liba, aut veteri cymbia plena mero.
Huc ades; ardenti maneat ſub Sole Nigella:
Te molles umbræ candida nympha decent.




Rivule frigidulis Nympharum è fontibus orte,
Qui properas liquido per nemora alta pede;
Si


Si formose venis formosum ad Phyllidis hortum,
Arentique levas aurea mala siti,
Illa tibi centum dabit oscula, queis tua fiet
Dulcior Hyblæis unda beata favis.




Cum ver purpureum tepidi fert aura Favoni,
Ornatur variis floribus almus ager;
Formosæ rident silvæ, sunt omnia læta,
Et cantu volucrum dulcia rura sonant.
At mihi tristis hiems formosior, & mihi vere
Lætior adveniet, si, mea Lygda, redis,




Cum Boreas læto silvam spoliavit honore,
Squalet ager, misto nix jacet alta gelu;
Non liquidi currunt amnes, stat nubibus aër
Obscurus, volucrum garrula turba silet.
Tale facis ver cara tuo, Ligurina, recessu;
Te sine formosum, te sine dulce nihil.




Ut quondam nivei correpta cupidine tauri
Mugitu resonat buccula mœsta nemus,
Illius caros si forte abducit amores
Pastor, non miseram gramina læta juvant,
Non liquidi fontes: talis mea vita, paterno
Postquam rure procul me sine Lygda fugis.



Aspicis, ut læti surgunt per gramina flores?
Explicat ut virides arbor ubique comas?
Ut melius fulgent Soles; ut nubila cœlo
Diffugiunt? terris diffugiuntque nives?
Hæc facies, hæc est Lygdæ ridentis imago;
Tristitiam vultu sic fugat illa suo.




Vidisti nitidas per candida lilia guttas
  Ludere, cum tenui decidit imber aqua?
Et rorem de puniceis stillare rosetis,
  Cum spirat nascens frigora blanda dies?
Hæc facies, hæc est Ligurinæ flentis imago,
  Illius lacrimis me ferus urit Amor.




O quæ venusta Sirmionis littora
    Colis Catulli candida
Musa, & beatam citrii silvam doces
    Pulchram sonare Lesbiam;
En nos Taburni in valle florida tibi
    Aram virenti e cespite,
Et terna melle, terna lacte, ponimus
    Spumante plena cymbia:
Et te vocamus voce supplici, Dea,
    Ad sacra parva, sed pia;
Ut nostram Hyellam fistula dulci canas,
    Quâ nulla rure pulchrior
Vixit, nec ulla vivet ullo tempore
    Cani puella dignior.
At tu vireta amœna, & undas limpidi
    Relinque Benaci libens,
Et hic Favoni lenis aura murmurat,
    Et hic avium dulci sono
Mulcetur aër; prata floribus nitent;
    Purique fontes vitreis
Lymphis decentes frigerant nemorum Deas,
    Cum fessa damarum nece,
Et icta luce fervida Solis redit
    Pudica Dianæ cohors.
Quare, ô puella candida, huc aditum feras,
    Nobisque versus dicito,
Per quos Hyella vivat, usque dum tua
    Formosa vivet Lesbia.

Caper,




Caper, capella cœlitum beatior,
Quem tam venusta, tam puella candida,
Stipante maximo capellarum grege,
Agit per alta montium cacumina,
Cum Sol recludit splendido cœlum die,
Albentque læta rore cano gramina.
At cum furentis excitatus ictibus
Solis siticulosus ignescit calor,
Nec aura pulchris arborum instrepit comis,
Te ducit illa fontis ad lympham sacri,
Qui prosilit virente murmurans specu;
Domus choreis Naidum gratissima
Et semicapri dulce lenimen Dei,
Cum fessus a labore montivago redit.
Hinc te reductis vallium cubilibus
Sistens, tenello lassulum sinu fovet,
Cingitque carum floreis sertis caput,
Suadetque blandos sensim inire somnulos,
Nunc mollicella barbulam mulcens manu,
Nunc dulciora melle fundens carmina
Canente garrulo alitum simul choro.
Exin cadente Sole cum nox extulit
Micantibus stellis coronatum caput,
Et prata grillis personant argutulis;
Te bella Hyella cum tuis uxoribus
Domum reducit mollia ad præsepia,
Vobisque salsas frondium dapes parat.
Cui vita capro contingit jucundior?
Quem capripes Pan, aut potens pecorum Pales
Benigniore vidit umquam lumine
Caper, capella cœlitum beatior?



Caper capellis ire dux ad pascua
Suetus, quid ægros ultimus trahis pedes?
Tu primus alta montium cacumina,

Cum

Cum Sol quadrigis aureis portat diem,
Primus reposta vallium cubilia,
Quo fons loquace limpidus lympha vocat,
Primus petebas nocte cum prima domum
Magnis capellas antecedens passibus,
Nunc mœstus, æger, ultimus prodis domo.
Caper misellc, num requiris candidam
Hyellam? & illa absente nec thyma dulcia,
Nec umbra dulcis, nec tibi est dulcis liquor?
Caper misellc, Hyella bella est mortua,
Luge misellc, bella Hyella est mortua,
Aliumque valle pascit Elysiâ gregem;
Videtque puro lacte fontes currere,
Auraque longe dulciore vescitur;
Neque amplius redire, si velit, huc queat,
Neque si queat, redire jam amplius velit.
At tu morere, dominamque visc trans Styga;
Aut vive posthac omnium miserrimus,
Caper misellc omnium miserrime.



Adeste ô Satyri, bonique Fauni, &
Quidquid capripedum est ubique Divum,
Mecum numina sancta lacrimate.
Vestra mortua bella caprimulga est,
Illa candida, bella caprimulga,
Quæ vobis bona liba factitabat,
Quæ dulcem mihi caseum premebat,
Quæ tam carmina bella cantitabat.
Tecum delicias, Hyella, ruris,
Tecum gaudia ruris abstulisti.
Te formosulus hortus ille, quem tu
Lætum virginea manu rigabas,
Te fons prosiliens specu e virenti,
Quem illo floridulo ore basiabas,
Te lugent nemora, atque vallis, in qua
Pascebas niveas tuas capellas,


Nunc pictas Dryadis legens corollas,
Nunc dulci resonans avenâ in antro.
At tu si sapis, o puella Ditis,
Huic dato nitidas tuas capellas;
Hac pascente domum tuæ capellæ
Ferent ubera teneriora, lacque
Longe dulcius effluet papillis.
Nullam rura tulere doctiorem
Aut miscere coagula, aut decoras
Molli texere fiscinas hibisco,
Aut per florida prata cum puellis
Choros ducere obstupente pago.

Sic tibi perpetuam donet Pomona juventam,
Hortule, dic tanti quæ tibi caussa mali?
Ille tuus decor in tenues evanuit auras,
Ut riget informi cum fera bruma gelu.
Non rosa formosum calathi jam pandit honorem,
Non violæ ridet purpura lucidulæ.
Aruit ille suo viridi cum gramine rivus;
Dædala nec dulci voce susurrat apis.
Quæque decora albis canebat floribus, ipsa
Ponit odoratas citria silva comas.
Ah nivei subito cur nigrescunt Hyacinthi?
Atque notis implent flebilibus folia;
Cur vivax apium moritur, croceumque papaver:
Et panace fusis rosida lacrimulis?
Hortule, num luges fatum infelicis Hyellæ,
Et piget extinctam vivere post dominam?
Illa quidem fuerat vivens tibi caussa decoris:
Illa tibi moriens abstulit omne decus.


Cum pater invitum Nisæ sociasset Jolam,
Venissetque viri jam nova nupta domum.
Non potuit tantos pulcherrima Hyella dolores
Ferre, nec erepto vivere conjugio.

Sed

Sed veluti flos virgineo decerptus ab ungue,
Cum vita dulcis tabuit ille decor;
Tabuit ille decor, quo nil formosius ulla
Ætas, nil umquam vidit amabilius.
Occidis infelix primo sub flore juventæ,
Occidis, heu nullo tempore digna mori.
Sed tua fama superstes erit, quotiesque viator
Præteriens tumulum viderit, & titulum;
Ille tuo lecto suspirans nomine dicet:
Pulchrior in terris nulla puella fuit.




Cum pulchra infelicem animam exhalaret Hyella,
Talia cum multis dicta dedit lacrimis:
Duritia, formose puer, mihi durior ipsa,
Idem luce mihi carior, atque anima:
Tu licet ipse meam crudeli morte juventam,
Crudelis, lympham miseris ad Stygiam:
Non tamen ulla mihi vis carum nomen Jolæ
Obliviscenti deleat ex animo.
Seu Cytherea meam campis lugentibus umbram
Sistet, seu campis sistet in Elysiis;
Semper ero memor ipsa tui, quamvis laticem omnem
Lethæum aridulis faucibus ebiberem.
At tu, care puer, pro tanto gratus amore
Transibis quoties heu misero cineres,
Dic lacrimans; heu, cara puella, malus tibi vitam
Abstulit, & diro funere mersit amans.
Ah nunc saltem in morte quiescas, hoc tibi Jolæ
Qui potuit miseram perdere, mandat amor.




Quisquis es upiliove bonus, bona vel caprimulga,
Siste gregem, & sacro munera fer cineri:
Da violas tumulo, fundat dulcissima vina
Cantharus, & tepido lacte madescat humus.

Dehinc lacrimans ſic fare: Cinis cariſſime nobis,
  Nunc cinis, aſt olim candida Hyella, vale.




Sic Pan bicornis, & Pales vitam tuam,
    Tuumque ſoſpitent gregem;
Parum reſiſte, paſtor, & pictis ſacrum
    Lapidem corona floribus
Hic eſt Hyella, quâ nec ulla pulchrior
    Pavit capellas femina,
Nec paſtor ullus garrulam unquam fiſtulam
    Inflavit ore dulcius.
Nondum miſella terna luſtra clauſerat,
    Cum vidit ultimum diem.
Ut flos apricus, terra quem mater ſuo
    Dulci educabat in ſinu;
Tunc primum hiare cœperat, cùm tabuit,
    Calore tactus fervido:
Sic pulchram Hyellam flore ſub primo impotens
    Amoris æſtus perdidit.
At tu viator (ſic faveat Amor tibi)
    Precare terram, ut pulveri
Sacro puellæ ſit levis; dehinc floribus
    Hanc ſpargito, & felix abi.




Paſtores teneras procul hinc arcete capellas,
  Et ſacram nigris ſpargite humum violis.
Neu veteris Bacchi, neu dulcis copia lactis,
  Neu deſit numeris tibia flebilibus.
Hic bona Hyella jacet, pecoris formoſa magiſtra,
  Junctaque cum domina fida capella ſua.
Illam ſævus amor nimium infelicis Jolæ
  Perdidit, hanc caræ perdit amor dominæ.
Nam ſimul exhalantem animam conſpexit Hyellam,
  Ipſius ante pedes concidit exanima,
Fortunata capella, polo fulgere ſupremo
  Dignior, Icariæ quam canis Erigones.


Si tua magna fides dominæ comes ire ſub umbras
  Audet, & ante diem reddere dulcem animam:
At florens tua fama viget, ſemperque vigebit,
  Exemplum ſanctæ maximum amicitiæ;
Dum ſilva gaudebit aper, dum monte capellæ,
  Dum patulis ulmi decidet umbra comis.



Deliciæ ruris cum pulchra periret Hyella,
  Cum domina periit fida capella ſua,
Non ipſam violenta lues, non aſpera febris,
  Sed dominæ ſubita morte peremit amor.
I nunc, & Pyladas, & amoris nomine Oreſtas;
  Et jacta fidos, Græcia, Perithoos.




Cum miſera ante diem, fida comitata capella,
  Iret ad infernas candida Hyella domos,
Ille malus ſævis redimitus colla colubris
  Cerberus, inviſas qui cubat ante fores,
Non pavidam horribili tremefecit voce puellam;
  Nec rabidis illam dentibus appetiit:
Sed tremulo blandæ gannitu vocis adulans,
  Et lingua lambens crura, pedeſque ferâ,
Ætherias voluiſſet eam remeare ſub auras,
  Et tam formoſæ virginis ire comes;
Quique tot Heroum magnas latraverat umbras,
  Optavit parvi nunc gregis eſſe canis.




Cum nemorum decus, & culti ſolatia ruris
  Venit ad Elyſias candida Hyella domos;
Obſtupuere omnes, fixoque in virgine vultu,
  Spectabat pro ſe quiſque oculis avidis,
Ardentes oculos, ſuraſque, humeroſque nitentes,
  Brachiaque, & flavas per roſea ora comas.
Atque aliquis juratus ait: non pulchrior unquam
  Venit ad Elyſios ulla puella choros.

Quod



Quod nulla nec formosior, nec fistulam
Inflare dulcem doctior niveos greges
Unquam Taburni pavit inter horrida
Pineta, pastores tuis hunc Manibus
Dicant Hyella lucum opacum, & hos duos
Fontes amœnos, qui levi cum murmure
E rupe muscosâ alter, alter e specu
Pendente decidunt, at in medio jacens
Tua ossa fictilis urna habet opulentior,
Quam dives Hermus, undaque aurifera Tagi.
Hanc nos quotannis, cum Favoni candida
Fert aura Ver insigne floreis comis,
Dulci Lyæo, & lacte, & agni sanguine
Rigabimus: tum virgines circum integræ
Ducent choreas, & tuas laudes canent.
Hyella mons, Hyella vallis garrrula
Sonabit, & cum Sol diem face aureâ
Illustrat, & cum nox polum umbra condidit.
At magnus Alcon fistulâ, quam capripes
Illi dedit Pan, triste carmen ordiens
Narrabit, ut te crinibus passis Deæ
Oreades defleverint, cum pallidum
Videre vultum, ut arborum tonsis comis
Te silva mœsta luxerit, te limpidi
Fontes, Hyella, te Taburni horridæ
Flevere cautes; cœrulâ se condidit
Sol nube, dira ne videret funera.
Quin sævus ille lacrimis mortalium
Gaudens Cupido flexilem arcum, & igneas
Fregit sagittas. Quantum hiems gelu aspero
Concreta Veri floreo cedit, rubus
Quantum virenti acantho, agris tantum omnibus
Tibi puellæ cesserant, ut ramulis
In valle myrtus avia nitentibus
Crescit, quam amico rore fontis educant
Nymphæ decentes: sic amabilis tua

Juventa surgens enitebat: nec rosa
Rubente mane lucidum calathi sui
Pandens honorem, est pulchrior, nec pulchior
Aurora, croceo cum gerit diem sinu
Comâ refulgens aureâ, quis simplices
Mores, & artes Cypria dignas Dea
Æquare possit laudibus? seu fiscinam
Virente hibisco texeres; formosius
Jurabat esse nil Pales: seu duceres
Choros sub altis arborum comantium
Ramis Napeæ candidæ, & Phœbi soror
Stabant stupentes: seu levi nemorum Deos
Calamo canebas. silva dulci carmine
Gaudebat, ipse Mænalus, quantum sui
Fauni sonora fistula. Salve o bona
Hyella, salve, & montibus nostris ades.
Tu Pana maximum, & sorores Naidas
Pastoribus beata concilia tuis,
Morbosque lacrimabiles precibus piis
Averte, lucum & vise sæpius tuum.



Dum te flebilibus numeris moriturus Jolas
  Cantat, ades vati, candida Hyella, tuo.
Tale mea carmen moduler tibi arundine, quale
  Deficiens dulci gutture cantat olor,
Ut tua pastorum volitet vaga fama per ora,
  Dum lætas segetes pinguia rura dabunt,
Dum flores apis, & rivos dum gramen amabit,
  Dum metuet celerem tarda capella lupum.
Digna quidem fueras, quam maximus ille Menalcas
  Diceret argutis semper arundinibus,
Et quam posthabita Neptunine Galatea
  Cantaret Siculi clara Thalia senis:
Et facerent, si te natam felicibus annis
  Vidissent oculis, candida nympha, meis.
Te juga Parnasi resonarent, te juga Pindi,
  Notior Arcadiæ nulla puella foret.


Per

Per nemora, & silvas, incisum cortice levi
  Mille tuum nomen viveret arboribus.
Tu quoque par esses Amphionio Aracyntho,
  Et par Mænaliis, care Taburne, jugis.
Magne pater, tali fortunatissime alumna,
  Tu viridi servas ossa beata sinu,
At miserà ante diem crudeli funere rapta
  Ivit ad infernas non reditura domos.
O mihi Threiciam citharam si Musa dedisset,
  Quæ potuit silvas ducere montivagas,
Per tenebras Orci, per pallida regna silentum
  Quæsissem Manes, cara puella, tuos;
Nec me tergemino terreret Cerberus ore,
  Nec torvæ anguineis crinibus Eumenides.
Vel mecum vitæ repetisses lumina, vel me
  Obrueret Stygio mors violenta lacu.
Sed citharæ si nil prodessent fila canoræ,
  Movissem fletu numina dura pio.
Vidissent umbræ tenues, regemque superbum,
  Tisiphonemque malis illacrimare meis.
Sic licet ille fero crudelior angue Tyrannus,
  Non vacuum blandi pectus amoris habet.
Ipsum etiam, qui cuncta domat, Cythereius ales
  Vicit, & invito lenia corda dedit;
Tempore quo magnæ Cereris pulcherrima nata
  Ad nigras Erebi candida venit aquas.
Illa quidem caris nymphis comitata legebat
  Purpureos flores saltibus, Enna, tuis,
Jamque parans in lucidulo se fonte lavare,
  Traxerat è niveo mollia vincla pede,
Cum pavidam, & matrem queribunda voce vocantem,
  Abstulit infernis luridus Orcus equis;
Nec veritus natam Jovis est violare supremi:
  Tantum forma potest, & violentus amor.
Cur igitur caram mihi non donaret Hyellam?
  Cur lacrimis flecti nollet amantis amans?
O qui pallentes Erebi me ducat ad umbras,
  Et genibus sistat me, pater Orce, tuis!


O quales tibi manarent mea lumina fletus!
  Funderet ô quantas lingua diserta preces!
Me certe facerent pietasque, dolorque disertum;
  Verba ministraret dulcia dulcis Amor.
Quid loquor infelix? nulla est revocabilis arte,
  Cum semel extincto lumine vita fugit.
Non revocat Syringa sua Pan magnus ad auras,
  Non Phœbus revocat te, Cyparisse, tuus.
Ipse foret quamvis Cybele gratissimus Attis,
  Liquerat infernas non tamen Attis aquas.
Ah quoties nato mater Berecyntia dixit:
  Per lac, quod dederunt ubera nostra tibi,
Perque uteri tolerata decem fastidia menses,
  Redde oro puerum, Dis mihi care meum.
Non ego, felices Superum translatus in oras
  Tithoni vivat sæcula longa, peto,
Auroræ liceat carum servare maritum,
  Æqualemque Deis reddere cœlitibus:
At mihi cum paucos Attis serviverit annos,
  Ad tenebras redeat flebilis umbra tuas.
Nunc pia templa colens Divis operetur, & omnes
  Per populos ritus, & mea sacra ferat.
Dulcia purpureæ nunc carpat dona juventæ,
  Nunc decoret silvas candida forma meas.
An magnum est, animam si de tot millibus unam
  Des matri, vitam quæ dedit ipsa tibi?
Sic lacrimans ait: ille suis immanior umbris,
  Maternas dura respuit aure preces.
Vix licuit miseræ Manes descendere ad imos,
  Atque umbræ dulci basia vana dare.
Crudelis Pluto, nimium crudelia fata,
  Quæ vitæ nullas, heu, posuere moras!
Cum silvam glacialis hiems spoliavit honore,
  Vere novo silvæ læta juventa redit.
Occidit Oceani cum Sol demersus in undas,
  Nascitur adducto pulchrior ille die.
At nobis nec læta suo cum vere juventa,
  Nec mersa immiti funere vita redit.

Ul-


Ultima cum Parcæ legerunt fila severæ,
  Urget perpetuus lumina clausa sopor.
Quem tamen æterno celebrarint carmine Musæ,
  Ille vel invita morte superstes erit.
Sic vivis, vivesque æternum, pulcher Alexi,
  Et tu cum Gallo nota, Lycori, tuo.




Pan, nemorum decus, & Satyri, nymphæque decentes,
  Quæ blando agrestes uritis igne Deos
Si formosa pie coluit vos semper Hyella,
  Si mea vos semper dulcis avena canit;
Vos facite, ut longum vivant mea carmina in ævum,
  Et cum carminibus candida Hyella meis.



Pan pater, & veneranda Pales, Faunique valete,
  Tuque mihi quondam, care Taburne, vale;
Vos mihi vos misero silvæ placuistis opacæ,
  Dum niveum in vobis pavit Hyella gregem,
Et mecum tenera furtim ludebat in herba
  Ludere cum magno digna puella Jove.
Tunc mihi purpureo fulserunt lumine soles,
  Tunc fuit heu nimium candida vita mea.
Nunc nemora, & fontes, & cœli lumen, & umbræ;
  Nunc ingrata meis omnia sunt oculis.
Mors mihi sola placet: mors o dulcissima rerum
  Huc ades, & vitam, mors bona, redde mihi.
Illa meam vitam rupes habet, illa sepulchro
  Servat delicias terra beata meas.
Pastores, illa dominæ me jungite in urna,
  Taliaque inscriptis addite verba notis:
Formosam tuus ardor Jola absumpsit Hyellam;
  Te miserum letho perdidit illa suo.



Ingrate Sol ortum quid approperas tuum
Quo lux mihi, si luce non datur frui?
Redisne, grex ut redeat in silvam meus?
At hunc Hyellæ mors acerba perdidit.
Redis, magis, magisque tabescam ut miser?
Et te fatigem questibus semper novis,
Dominæ revisens pulverem sacrum meæ?
An tu quadrigas aureas tuas refers,
Ut luminibus aliquam afferas lucem meis?
At illa lacrimis, tenebrisque horridis
Assueta lucem odere; nec radiis tuis
Imbres suos siccari amant, quibus genas
Rigant, & ora amoris usta incendio.
Sed fulgeas licebit, & radiantibus
Terras, maria, cœlumque lustres ignibus;
Tamen omnia tenebris inhorrescunt mihi.
Ex quo meus Sol mihi suam lucem abstulit,
Deisque Manibus occidens eam tulit.



Hanc laurum, formosa, tibi formosus Iolas
Sevit, & hanc madidis irrigat usque genis.
Seu tenebras Vesper, seu lucem portat Eous,
Et laurum lacrimis irrigat, & tumulum.
Hinc tumulus violas, & laurus protulit umbras,
Umbræ iisdem crescunt, & violæ lacrimis.
Cumque umbris, violisque amor infelicis Iolæ
Crescit, cumque ipso crescit amore dolor.
Hic dolor, heu, miserum letho dabit, hic bona Hyella
Mox pueri apponet ossibus ossa tuis.
Et quos felici conjunxit fœdere quondam,
Nunc infelici funere junget amor.

Hæc, dulcissime Turriane, lusi
Molli carmine, nec laborioso,
Dum ver florida lætum agebat ætas,
Quam jocus decet, ac leves cachinni.
Nunc Musas vocor ad severiores,
Nunc rerum juvat explicare caussas;
Et cœlum memorare, cœlitesque,
Et qui cœlitibus præest beatis.
O molles elegi, lyræque dulces,
O & myrtea serta, fistulæque,
Faunique, Dryadesque jam valete,
Et cum frondiferis Hyella silvis.
At tu progenies Jovis supremi,
Patris deliciæ, Deûmque amores,
Per quam magna canunt sacri poëtæ,
Felix Uranie, mihi benigno
Ades numine, supplicemque tolle
Me tuo rutilante curru ad astra.

De liberalitate Alexandri Farnesii Cardin.


Dilectus Phœbo, & Musis, sed pauper Iolas,
Et semper domini pascere suetus oves;
Nunc dives pecoris, Farnesi munere factus,
Factus & illius munere dives agri:
Divino juveni, meritis pro talibus, ipsam
Et vocem, & calamos, ingeniumque dicat.

Ad Agellum suum.


Umbriferæ platani, & formosæ cyparissi,
Antraque muscosis roscida pumicibus,
Non mea vos nymphas resonare docebit avena
Amplius, ad cantum me vocat alter amor,
Farnesi virtus mihi dulcem in pectore flammam
Suscitat, hunc ignem dulcis avena canet,
Vos nomen juvenis divini discite, laudes
Semper & illius, pulcher agelle, sona.

Ad Alexandrum Farnesium.


Farnesi, nomenque tuum, laudesque sonabit
Hoc nemus, & culti vallis amœna soli;
Dum potero meminisse, tuo quod munere dives
Musas, & Musis ocia grata colo.



Has tibi odoratas, Farnesi magne, corollas,
Mittit ab Aonio candida Musa jugo:
Quod carum Nymphis tua virtus ditat Jolam,
Restituens patrii dulcia rura soli.
Hæc cape nunc, majora dehinc habiturus, Jola;
Tu modo præsenti numine semper ades.



Pauperies hominum fera pestis, & ira Deorum
Excruciare malos nata, bonosque simul,
Quære alias sedes; nam te Farnesius heros
Amplius in nostra non sinit esse domo.
Ecce venit properans pleno lætissima cornu
Copia, quem sequitur dulcis & alma Quies,
Illa timere famem diram vetat; altera mandat,
Ut Phœbo, & Musis ocia digna colam.
Magnus Alexander, magna hæc qui donat habere,
Jure mihi magni numinis instar erit



Ne mea, Farnesi, properent ad carmina nymphæ,
Neve meas curet Pan Tegeæus oves,
Si mea te præter cantabit fistula quemquam,
Si mihi non magni numinis instar eris.
Et merito, mihi solus enim facis ocia, solus
Tristitiam longe, pauperiemque fugas,


Ad Damianum Damianium.

O vinum tenue, aureum, ſuave,
Inſtar nectaris, o merum Deorum,
Vitæ præſidium meæ fugacis,
Cedant Pæonii tibi liquores,
Et quidquid remedi ſalubrioris
Oſtendit medicæ repertor artis.
Jacebant lateris dolore membra
Semimortua; febris æſtuabat,
Ut fornacibus ignis, ipſe plantas
Lethi limina dura transferebam;
Cum tu languidulos fluens in artus
Cœleſtis liquor & levas dolorem,
Et vitam mihi reddis. ergo, docte
Damiane, tuum merum, tuamque
Vineam aureoli mei parentem,
Dulci carmine concinam, recepta
Vita dum ſuperat mihi; & rogabo
Votis aſſiduis Deum quotannis,
Ne venti, pluviæve, ſiccitaſve,
Aut vis grandinis, improbive fures
Lædant aureoli mei parentem.

Ad Somnum.

Huc ades ô bone Somne, veni dulciſſime Somne.
  Et mea furtiva lumina claude manu.
Somne veni, en volucres tibi dulcia carmina dicunt,
  Invitat placido te vaga lympha ſono;
Te violæ, te lilia pulchra, tuumque papaver,
  Teque vocant plenis Creſſia vina cadis.
Nec tamen ipſe venis: quidnam mitiſſime rerum
  Jam ſurdum precibus te facit eſſe meis?
Non ego vel fœdo maculavi crimine vitam,
  Vel populi mores, & malefacta ſequor.
Si neſcis, ego ſum Muſarum, Somne, ſacerdos,
  Nutriit in tenero me pia Muſa ſinu,

Et citharam dedit: hos dulces tibi condere versus
  Jam meditor, propere tu modo, Somne, veni,
Ni properas, lethi sopor ingruit, & mea sævus
  Lumina perpetua fundere nocte parat.
Ergo age, Somne, gradum celera, ne fama vagetur
  Immeritum culpa me periisse tua;
Nam si nulla meæ tangit te cura salutis;
  At pareas famæ, si sapis, ipse tuæ.



Jam luculentâ, Marce, pecuniâ
  Tumultuosum per mare cursitans
  Quam comparasti, disce tandem
  Disce precor sapienter uti.
Nam congerendis divitiis modus
  Hic esse debet, pauperiem ut tibi,
  Tuisque liberis repellens,
  Lætus agas superest quod ævi.
Ergo relictis navibus, & mari
  Ad tuta ruris te refer ocia;
  Insanientis & procellæ
  Dirum alii paveant furorem.
Quis non benignæ culta nitentia
  Terræ minaci præferat Adriæ?
  Quis candido gregi catervas
  Comparet horribiles natantum?
Quod si lucellum te capit: & sua
  Sunt lucra gnavis agricolis, pecus
  Saltusque, & arva diligenti
  Sunt domino bene fructuosa,
Nam terra mater reddere diligit
  Magno colenti semina fœnore,
  Ni tu recusas illam aratro,
  Assiduisque juvare rastris.
Est hic agellus, villaque collibus
  Fundata amœnis, quam liquidi ambiunt
  Fontes, & arcens umbrâ opacâ

Sil-

Silva canis orientis æstum.
His tu exemptis incipe tempora
Post longa tandem vivere; conjugis
In dulcis amplexu daturus
Lætam animam veniente letho.

Ad Stephanum Saulium.

Ne tu beatum dixeris, optime
Sauli, superbo limine civium
Qui prodit hinc & hinc catervâ
Nobilium comitante cinctus;
Non si feracis occupet Africæ
Quidquid præaltis conditur horreis,
Gemmasque lucentes, & auri
Possideat rutilos acervos.
Nec ille felix, qui valet omnium
Caussas latentes cernere, sidera
Notare doctus, & profundas
Ingenio penetrare terras.
Sed tu beatum jure vocaveris
Qui mente purâ rite Deum colit,
Ejusque jussa ducit amplis
Divitiis pretiosiora.
Non ille vulgi gaudet honoribus;
Sed carus ipsi Numinis est honos;
Pro quo tuendo non recusat
Dedecorum genus omne ferre.
Quin & relictis cœtibus urbium
Mens ejus altum transvolat æthera,
Deique summi, cœlitumque
Colloquio fruitur beato.
Cœlestis ergo jam sapientiæ
Plenus, periclis altior omnibus
Quiescit in Deo, furentum
Despiciens hominum tumultus.
Sic prœliantes æquore turgido
Ventos reducto montis in angulo

Miratur, & gaudet procellâ
Terribili procul esse pastor.

Ad Donatum Rullum.

Quis cuncta possit, Rulle, pericula,
Motusque mentis dicere turbidos
Qui sævientis instar undæ
Nos variis agitant procellis?
Hinc prœliatur sollicitus timor,
Hinc spes bonorum credula, gaudium
Nunc tollit altè, nunc doloris
Dejicimur furibundo ab æstu.
Non sic benignus cœlicolum pater
Humana finxit corda; sed insolens
Nos fastus ad tumultuosa
Hæc freta præcipites adegit:
Cùm vita nullis ante laboribus
Turbata cunctis afflueret bonis;
Nec mortis occurrens imago
Cor trepido quateret tumultu.
Quod ergo tantis auxilium est malis?
Ecquid Platonis docta volumina,
Cultique præceptor Lycæi
Sollicitam recreare mentem,
Modumque curis figere tristibus
Possunt? vel auri perpetuo fluens
Rivus? vel in sublime tollens
Per titulos popularis aura?
Fomenta sunt hæc prorsus inania;
Luduntque falsa vulgus imagine;
Vulgique primores acuti
Viribus ingenii tumentes.
At tu beatam ducere si cupis
Vitam, periclis liber ab omnibus
Adhæreas Deo, piaque
Mente sacrum venerare numen.
Hinc hauries veram & sapientiam,

Verumque honorem, & divitias; ferus
Quas nec tyrannus, nec tremendi
Vis rapiat truculenta belli.
Quidquid bonorum cernitur uſpiam,
Hoc fonte manat: quo ſine, quis, licet
Tetraſque, cœlitumque regna
Poſſideat, miſer uſque vivet.

De Joviano Pontano.

Qui cecinit claro fulgentia lumina cœlo
Pontani doctis verſibus Urania,
Phœbe, tuis magnam lucem addidit ignibus, utque
Nunc melius niteant ſidera cuncta, facit,

De Joanne Cottâ.

Si fas cuique ſui ſenſus expromere cordis,
Hoc equidem dicam, pace, Catulle, tua:
Eſt tua Muſa quidem dulciſſima; Muſa videtur
Ipſa tamen Cottæ dulcior eſſe mihi.

Ad Balthaſarem Caſtilionem.

Si truculenta ferox irrumpis in agmina Marte,
Diceris invicto Caſtilione ſatus.
At molli citharâ ſi condis amabile carmen,
Caſtalia natus diceris eſſe Dea.

Ad eundem.

Horrida terribilis cum tractas arma, Maronis
Caſtilione tui carmine digna facis.
Idem cum molli vacuus requieſcis in umbra
Caſtaliæ, æterno digna Marone canis,

Ad Andr. Naugerium.

Naugeri, ne quis tibi certet, neve laboret
Incaſſum, laudes æquiparare tuas:

Sive Epigramma facis juncto pede, five soluto
Defles magnanimum funera acerba virum.

Ad eundem.

Quot Bruma creat albicans pruinas,
Quot tellus Zephyro soluta flores,
Quot spicæ Libycis calent in agris,
Quot vindemia porrigit racemos,
Quot vastis mare fluctuat procellis,
Cum nascens pluvias reportat hœdus,
Quot Ceraunia frondibus teguntur,
Quot cœlum facibus micat serenum;
Quot sunt millia multa basiorum,
Quæ dari sibi postulat Catullus,
Quotque sunt atomi Lucretianæ
Tot menses, bone Naugeri, tot annos
Vivent aureoli tui libelli

Ad Actium Sannazarium.

Quantum Virgilio debebat silva Maroni,
Et pastor, donec Musa Maronis erit;
Tantum pæne tibi debent piscator, & acta,
Acti, divino proxime Virgilio.

Tumulus Agustini Niphi.

Qui docuit rerum Niphus cognoscere caussas,
Non rerum oblitus, hoc jacet in tumulo;
Sed cœlo meliore sui cum parte receptus,
Nunc gaudet melius discere quam docuit.

Gasp. Contareno.

Contarene, tuo docuisti magne libello,
Extinctis animas vivere corporibus.
Ergo jure tui vivunt monumenta laboris,
Et vivent sæclis innumerabilibus.


Ad Marium Molsam.

Postera dum numeros dulces mirabitur ætas,
  Sive, Tibulle, tuos, sive, Petrarcha, tuos:
Tu quoque, Molsa, pari semper celebrabere fama;
  Vel potius titulo duplice major eris.
Quidquid enim laudis dedit inclita Musa duobus
  Vatibus; hoc uni donat habere tibi.


Ad Achillem Philerotem Bocchium.

Achille, pater elegantiarum,
Si Marcum tibi vis suos ocellos,
Seu quid charius est suis ocellis,
Debere, ut decet optimum sodalem,
Noli subripere, obsecro, quod illi
Multo charius est suis ocellis
Sed quid charius est suis ocellis?





HIERONYMI FLORELLII



In obitum Jo: Medices Cardinalis.


AUdito Juvenis caſu, quo concidit omnis
Relligio, & Tuſci ſpeſque, decuſque ſoli,
Ingemuit graviter Tybris: nimiumque licere
Falciferæ morti, Fata, dediſtis, ait.

In eundem.

Joannes jacet hic Medices, quo nemo per orbem
Veſci auris fuerat dignior æthereis.
Sed terris illum tantùm oſtendere, nec ultra
Inter mortales eſſe dedere Dei.


Ad Joannem Auſtrium.

Viciſti bello Mauros, genus acre virorum;
Viciſti haud ſuetos vincier ante Scythas.
I perge Auſtriacæ ſtirpis generoſa propago:
Stat caſura armis gens Othomana tuis.



NICODÆMI FOLENGI

MANTUANI.



Ad Laurentium Medicem.

ME mea, Laurenti, ſtimulat, trahit inque libellis
  Sæpe meis gaudet nomen habere ſuum,
Vita, ſalus, uxor, pax, Gemma, Serena, comeſque,
  Flos, hera, lux, genitrix, ſpes, roſa, alumna, ſoror.
Non hominum titulos, nec me ſinit illa Deorum
  Concinere, aut Martem, ſed Venus una juvat,
Una Dionei ſolatur barbitos illam
  Carminis; & curas ſic procul uſque fugat.
Sic lætis celebrat Saturni feſta cachinnis,
  Vincat age, & quæ fert cor, ferat illa modos.

Ad eundem.

Hinc fluit orator Lygurum, Trinacrius inde
  Nuncius, aut Veneta miſſus ab urbe ſenex,
Nunc Sixti mandata legis, nunc Herculis aures,
  Laurenti, præſtas Mineiadumque viris.
Improbus ipſe tamen tantis in motibus ad te
  Carmina per pluvias, flumina perque tuli.
Da veniam, veniam mereor, cum nil mihi præter
  Hæc tua quam ſervet bibliotheca, velim.
Gratius, Auſoniæ cum ceſſerit ira, legentur
  Forſitan, aut pœnæ crimina morte luent.

Ad eundem.

Vatibus hic ſemper mos, ſi nova mœnia viſunt,
  Extitit, ut ſecum munera danda ferant.
Bella gerunt alii deſcripta, tragœdia multos
  Attrahit: aut ſciſſis nænia mœſta comis.
Hos mage proſa juvat: laudes hic concinit ejus,
  Quem petit: ille poli ſigna, vel orbis iter.
At me virgineus torquet calor, & mea juſſit
  Carmina laſcivos ferre Cupido ſales.
Sis precor his nuper contentus, maxime Tuſci
  Rector agri; dabimus poſt meliora tibi.

Ad eundem.

Arſerat in Tuſcos Campania tota penates,
  Magnaque jam miſeras cinxerat ira domos.
Jam pater innati pectus, jam matris in alvum
  Filius, inque nepos fata gemebat avi.
Nulla ſenum verbis reverentia, nulla precantum
  Gratia, nullus ibi tinctus in ore pudor.
Quiſquis agri innocuas flammis depoſcere ſedes,
  Partirique ſibi præmia certus erat.
Tu Petrides nutu pacaſti cuncta ſub ipſo.
  O facies telis invidioſa nimis!

Ad Librum.

Forſan ut indocti petiture palatia civis
  Cura tibi ornatus non, Liber, ulla fuit?
Falleris; haud cenſor quiſquam præſtantior, & qui
  Laurigeris melius ſerta referre ſciat.
Quin ſi forte leget, crebro Laurentius aurem
  Vellet; ut eſſe tibi crimina mille ſcias.
Tu tamen haud fugies; ſed me dementia, dicas,
  Audacem Medices fecit, amorque domus.

Ad

Ad eundem.

Omnia cum poſſis depoſcere; cum tua quiſquis
Vota velit, ſemper, vis tamen ipſe nihil.
Nititur aſſidue parere Senatus, & orat,
Laurenti, jubeas; ſed magis ipſe taces.
O Petridæ virtus invicta, quod exigit alter
Non habet, & renuis tu quod habere potes.

Ad eundem.

Cuncta ſua Cæſar tentavit fraude, nec Urbis
Horruit excidium, grandis ut inde foret.
At tibi cum cedant omnes, ſumaſque precentur
Imperium; mavis attamen eſſe minor.
Cedat Juleæ ſtirpis tibi gloria, cedat;
Fortis es ingenio; fortis at illa manu.
Illa recuſantes populos vi traxit, & armis,
At tua, Laurenti, pax vel ubique jubet.

Ad Librum.

Heu, Liber, heu dulcis labor, heu ſolatia, quam te
In populos vereor tam cito ferre pedes!
Non delatores aberunt, non criticus aſper,
His ſcaber, his audax, his reſupinus eris.
Pone metus, quicumque tuos meditabitur annos
Laudabit, teneris obiicietque choris.

De Serena.

Gaudeo, quod facilem me novit Gemma, nec iras
Tuta meas horret, tuta minaſve timet.
Sic placido me capta, feros expellet amantes;
Dira nec in pectus audiet ulla meum.
Dura nimis ſemper fragiles odere puellæ
Corda virum, durus ſit precor hoſtis amor.

Ad Serenam.

Quod violæ in ſilva Phœbo redeunte virenti,
  Fuſaque per noſtros lilia mane thoros.
Prata, quod agreſtis menthæ, cumuliſque referta
  Serpylli; Zephyro quodque movente crocum.
Quod ter coccineo veſtis ſaturata veneno;
  Et roſea affractis unda relapſa cadis.
Igne quod admoto ſtorax; quod ſuccus avaræ
  Frondis; & Aſſyrio ſemina miſſa polo.
Quod variis doctus guttis componit aliptes;
  Hoc, mea lux, redolet ſpiritus uſque tuus.

Ad Flavium Folengum.

Non auri, nec opum tuis acervos,
Mi Flavi, foribus venire Jani
Prima juſſimus in die; ſed aſtra
Res, & ſæcula protegant rogavi,
Quod Dii pauperibus dedere feci;
Sed tu munera verſibus poëtæ
Commutare magis potes beatus.

Ad Marioticum Vicecomitem.

Gnoſſia das omni, patribus pejora miniſtras
  Pocula; quid confert ſumptus hic ergo tibi?
Dum tituli in populo quæris, Mariotice, pompam,
  Ebrius hinc nimium diceris, inde tenax.

De Scardua Barbato.

Seu Socratis mores, ſeu triſtis jura Catonis,
  Seu Flacci numeros, ſive Maronis opus:
Seu rus, ſive cibos, ſeu principis atria, ſive
  Rem ſocii laudas, invidiave premis;
Ore fluant quæcumque lubet; rudis annuit, atque
  Verum eſt agreſtis Scardua ſemper, ait.

De

De Tono Rustico.

Munera consuluit Tonus, quî posset amicum
  Vicinis cæsi detinuisse suis.
Cras refer in triviis, ait omnibus ille casisque
  Hunc fore subtractum; sed rapit ille suem.
Prædicat hoc; Tonusque frui sue se putat unum;
  Sed vacuam reperit mane inopinus aram.

Ad Marinum Pecorinum.

Dicis, quod male concoquis, Marine,
Quod tres vel duo prandio vitelli
Quoquo sufficiunt, tibi videtur.
Potu uno esse duos parum vitellos.

Ad Jollam Floranum.

Hydropicus quoties mihi nomine diceris, ira
  Rumperis; & mixtum semper, Jolla, bibis.

De Nigra vinosa.

Omnia Franchinus madidæ vir pocula Nigræ
  Surripuit, vegetis subsecuitque cubos.
Illa merum scabra sartagine protinus hausit,
  Demersa in vegetem terque quaterque plaga.
Pluribus addicit vix mulsa, nec invenit usquam;
  O gula, quam crebro callida corda facis!

De Lyco servo.

Oculum capillis contegit semper Lycus.
  Cur hoc? an altero videt nunc rectius?

De Luchina paupere.

Ovorum calathos dum fert Luchina gemellos
  Ad fora, sic cœpit conjubilasse sibi.

Centenos ex hac referam mercede trientes;
His iterum pullos, ovaque multa feram.
Deinde favos, & oves fœcundi fœnoris, ex quo
Fructibus, atque herbis fertile juger, emam.
Redditus hic fundum, dabit ille palatia, moxque
Ancillas, pueros, firmata, chrifon, agros.
Jam cito adorabit me patria tota, genuque
Dum flectit, calathos fregit, & ova cadens.

De Lyco Servo.

Cum cœnant alii, domino Lycus aftat, & inquit:
Jejuno, trepidus fed quater ante bibit.

Ad Antonium Pelotum.

Hoc eft, quod tibi debeo, Pelote,
Carmen; non tibi laudibus potis fum
Ullis tollere te, vacare ludo
Nulla eft gloria; fed tamen vocari
Nofter gloria ludus ifte gaudet.
Non nos pocula, res, agros, nec aurum,
Sed fors lufimus ipfa cui juberet
Carmen folvere; nec triformis ortu
Nos vidit Venus, occidenfque nobis
Sat millefima pars fuit diei.

Epitaphium Malacifii.

Infertor falium facetus olim
Et mordax Malacifius fepulchro
(Heu mors!) hoc tegor, haud præibat alter
Me: convivia cantibus, jocifque
Seu vellet decorare: five mille
Maternos numeros, modo redactos
Ad mentem, recitare: dedecebat
Nec noftrum lyra pollicem, paratus

Cun-

Cunctis deliciis eram, jocisque
Semper, præcipue jubente Turco.

De Nigro.

Nemo Nigro improbior, fulvique tenacior auri;
Innumeris contra fastibus ille tumet.
Vellet inauratas, structasque tapetibus ædes,
Vase abacumque omni; sed nimis æra juvant.
Stat toga purpureo decies sibi mersa colore;
Stant jura, & vates; sed nimis æra juvant.
Vellet agros, vellet pallatia condere, servos
Exornare togis; sed nimis æra juvant.
Solvit, emit, gemit inde, hilaris videt empta, sed aurum
Flet cum non reperit, sic Niger usque dolet.

Ad Laurentium Medicem.

Parce precor, Cosmæ stirps inclita, parce dolenti,
Si quandoque meus fert maledicta liber.
Nec mihi lingua nigra est, nec dens rubigine tinctus,
Publica sed lædunt me malefacta nimis.
Insequor hæc igitur, ne vana sequatur, agatque
Plebs ea; clam peragat, qui mala semper agit.

Ad Flavium Folengum.

Multa joco narras, Flavi, mala sed Niger illa
Credit; sic fiunt crimina vera joci.

De Nigro.

Non famuli parent sibi, nec Niger increpat illos:
Cur id? avaritia conticet ipse sua.

De Serena.

Ridet, & irato blanditur Gemma, minasque
Fert omnes; quis non hanc adamare queat?

Ad eandem.

Nil inquis flagrare magis te quam mihi grata
  Efficere: actura es quo petis, idque modo:
Difficilis, facilisque nimis rogo ne mihi fias;
  Gaudia nulla dat hæc; illa, Serena, necat.

Ad Flavium Folengum.

Quem Niger haud fallat? cum prodiga tecta Solonis
  Laudat: & integrum cum Tuberone Numam?
Cum Macedum recitat Paulum, legesque Lycurgi?
  Fabricium, & Curii, Publicolæque domos?
Protinus aut Tellus dicas aut Elia pubes
  Hunc tulit, aut spretor Coriolanus opum.
Ne tamen hæc fallant, Flavi, te verbula; sic hoc
  Laudat, ut occultas nesciat ullus opes.

De Teutonico Ægrotante.

Æger aquam hausturum sumpto promisit Jacco
  Teutonicus; nec vult nectare plenus aquam.

Ad Lidam.

Jam miserum variis potuisti, Lida, furorem
  Nosse modis, Paphi duraque vincla jugi.
Fidus amans nulla, me judice, destitit in re,
  Ureret ut pariter mutua flamma duos.
Tu mihi, sæva, tuos vel adhuc tamen occulis ignes
  Ah fateare precor, si quid amoris habes.
Gratia sin etenim misero exoptata negatur,
  Me jubeat scripti parvus abire tenor.
Dulcius hoc fuerit, quam tot mala commoda ferre;
  Nam pacis vivet spes mihi certa. Vale.

De

De Nigro.

Parcus erat Tubero, parcus Niger; ille sed aurum
Sprevit; at hic auri plus dape pondus amat.

Ad Claram.

Jam mihi blandicias, speciemque, decusque Serenæ
Dulcibus abstuleras, Clara dolosa, jocis.
Ut tamen argentum novi te poscere, cœpit
Protinus illa oculis gratior esse meis.

Ad Marioticum Vicecomitem.

Æstibus afficeris, cum sis Mariotice flammis
Proximus; unde æstus lædere quæso potest?

Ad Flavium Folengum.

Quæris, an insanit, Flavi, Franchinus, at ille
Vafer, qui stulti scit trahere æra jocis.

Ad Claram.

Innuis; & coram domina me, Clara, salutas;
Aut puero fallax me vocet inde jubes.
Omnia dum quæris committere, nos rea tentas:
Sed jam parce: tuo est justior ejus amor.

De Nigro.

Fabriciique, Numæque sequi vestigia vellet?
Argentum sed jam cœpit amare nimis.
Hos igitur laudat, paupertatemque, sed illud
Ipse tamen non vult destituisse Niger.

Ad Librum.

Jam satis errasti, lascive libellule; gressus
Jam trahe, nec perdi semper amore velis.

Jam

Jam choreæ, lususque jacent; ariesque superstans
Jejuni macerum tempus adesse monet.
Pone sales, æstusque simul; maledicere parce,
Si sacra vis puro tempora corde sequi.
Poscenda interdum venia est; jam deiice culpas;
Indulgere parat presbyter ecce malis.

In Joannem Franciscum Hippolytum Pisauri Locumtenentem.


Jura sui Hyppolito tribuit Constantius agri.
Urbs, gaudet, si fas, jusque, piumque colis.
Si tibi perfidia est, depone: superbia si te
Angit, eat: tollas, quod feritatis habes.
Unus adest, a quo sanabitur ulcus Japix;
Urbs, gaude, si fas, jusque, piumque colis.

Ad Nigrum.

Nox sumus, & fugimus nutu sub luminis; ergo
Quid cumulas? quid opes attrahis usque, Niger?
Nulli tuta quies, nec iter, neque mensa, sed omni
Mortali semper vita citata fugit.
Parce, age damnosos semper devolvere nummos,
Et senio curas his generare tuo.
Non risus, non fama sequi, non gaudia grandes
Gaudet opes, quin mors sævius inde furit.
Utere, nec titulos virtutibus addere cesses;
Hæc duo continuo stant, moriuntur opes.

Effigies Victorini Feltrensis.

Olviades dicens: monitis Cato: lusibus Hermes:
Munere Gillias; stans Socratesque sedens.
Parvus eram, parvo Feltro satus, horruit iram
Sed nova Mantoi principis aula meam.



Ef-

Effigies Columbini Veronensis.

Si numerare velim juvenes quot ad ardua vexi
  Pallados; obrueret Tethyos unda diem.
Mantua grammatico debet mihi tota: Catulli
  Verona annumerat carmina noſtra jocis.

Frons laurea ſuper pluteo poſita.

Non hic me poſuit virentis hujus
Poſſeſſor plutei, Poëta quod ſit;
Quod gliſcit tamen innuit: videns me,
Muſas credit, Apollinemque adeſſe.
Toto corde hilaris repente fratres
Pendet ſomnia ceu ſibi coronas
Cauſis omnibus, omnibuſque amicis
Spretas reddere laureas volentes.
Pean unicus imperat, magiſque
Quo fratres prohibent vocat Camœnas.

Ad Paulum Rambaldonem.

Victorinus erat junctus mihi ſanguine, Paule;
  Tu minus; & genuit vos tamen una domus.
Eſt ne, quod agnatum dedigner dicere te? non.
  Semovere genus ſæcla ne longa? minus.
Cur ergo? ſolum Lucina munda favente
  Enſelmina dedit, dirrupuitque genus,
Rambaldona domus clara eſt; ſed clarior illo
  Facta: ſit ille mihi gloria ſola volo.

Ad Marioticum Vicecomitem.


Quid tua tam jactas, Mariotice, dona petenti,
  Si niſi bis præſtas, terque rogatus opem?
Sponte ligant homines data munera; ſed fluit omnis
  Gratia, cum ſpectas vota, preceſque diu.

Ad Ladinum Franchum.

Cur animus nulli toto contentus in orbe
  Vivat, me ſemper, chare Ladine, rogas.
Nemo eſt contentus, quoniam ſibi nemo minorem
  Comparat: hoc fiat, tutus & omnis erit.

Ad Bartholomæum Gatellam.

Diceris Idaliis ictus, Gatella, ſagittis;
  Fer, moneo, creſcat ne leve vulnus, opem.
Parcus ama; ne te ſuſpectus, prœlia, rixæ,
  Indutiæ, offenſæ, diffidiumque premant.




Mille videbis in hoc, vatum Pater alme, lituras,
  Punctaque nunc illis, nunc ibi ſecta libro.
Semotam, aut junctam diphtongon, hyphenque reciſum,
  Hypſilon interdum, verbaque raſa leges.
Acha modo occurret, modo dices: hic erat acha
  Quamcumque aſpicies, noſtra litura fuit.
Hæc rudis autographo riſit librarius, etſi
  Doctus; in his inſons, chartula ſæpe rea eſt.



BARTHOLOM. FRIDERICI FORTIGUERRÆ

SENENSIS.



Ad Phœbum, ad Minervam, & ad Muſas.


QUi frequens Pindi juga, quique ſummum,
Phœbe, Parnaſum colis, o timende
Cæde Pythonis liquidum vomentis
Ore venenum:
Dedita ſemper tibi nunc precamur
Mente, fulgenti venias amictu
Clarus, ut nobis liceat decentes
Ludere verſus.
Tuque ſupremi Jovis alma proles,
Arma quæ geſtas ſapiens Minerva,
Nunc rogo cœptis foveas benigna,
O Dea, noſtris.
Vos chori dulces, ſimul & diſerti,
Ite Muſarum, juvenumque cœtus
Deditos vobis, ſtudiiſque notis
Alta monete.
Aureo ut plectro, fidibuſque doctis
Læsbiæ vatis, Calabri & poëtæ
Digna Senenſis recinat juventus
Munere veſtro.

Laus Cucurbitæ Intronatorum.

Cuncta brevi pereunt, ſtat ſola Cucurbita ſemper,
  Quam foris hæc intus nobiliora tenens.
Hanc liquor Aoniæ nutrit, ſemperque virentem
  Servat, & hanc ſemper docta Minerva fovet.


In laudem Cæſaris Malavicini.

Da facilem verſum laudes mihi, Phœbe, canenti
  Cæſaris, & numeris annue, Muſa, meis.
Nam vobis primum teneris nutritus ab annis
  Crevit is in veſtro, Calliopeſque ſinu.
Eſt huic Antoni nam lingua, Catonis, Ulyſſis,
  Eloquiumque patris nunc Ciceronis habet.
At ſomnos, magica ut virga Caducifer ales
  Dat, reprimitque, fluit tantus ab ore lepos.
Mœonium huic carmen dictavit magnus Apollo,
  Et Calabri vatis, Vergiliique dedit.
Fungitur in noſtris hic veri munere vatis
  Dignus, cui lauri debita ſerta ferant.
Hic virtute ſua decorans hæc ſæcula noſtra,
  Eſt fama illuſtri notus utrique polo
Virtutis ſuperat jam celsa cacumina montis
  Hic, quem perterrent ardua ſaxa nihil.
Quin eſt auxilium multis adeuntibus illum,
  Quo duce virtutis jam juga ſumma petunt.
Acceptus Muſis hic eſt, ſervator honeſti,
  Juſtus, & indutus moribus egregiis.
Sunt laudes hujus multæ, grandique cothurno
  Dignæ, quas nequeunt carmina ferre mea.
Ætatis noſtræ tandem ſupereminet omnes
  Doctos, & præſtat dotibus ingenii.



OCTAVIANI FRIDERICI FORTIGUERRÆ

SENENSIS.



In laudem Angeli Niccolini præstantissimi Jurisconsulti, ac Urbis Senarum Præfecti.


ANgelus est nobis cœlo demissus ab alto,
  Consilio ut Senas, justitiaque regat.
Utque fores belli claudat, Janumque bifrontem,
  Et referat cunctis tempora prisca viris.
Ut virtute sua crudeles temperet iras,
  Et nostra sævos pellat ab urbe dolos.
Est etenim sapiens, & semper amator honesti,
  Juraque dat populis integer æqua suis.
Hic pietate gravis, fama est super æthera notus,
  In terris nomen relligione viget.
Se mitem hic præbet cunctis, simul omnibus æquum,
  Atque inter populos hic probitate nitet.
Quare, age, Præfectum nostræ nunc, Juppiter, urbi
  Serva, ut Nestoreos transeat ille dies.
Vosque Dei patrii natos, clarosque nepotes
  Tollite divinum semper ad astra genus.
Nos quocumque loco, nos omni tempore honores,
  Et dabimus laudes, sacraque thura focis.
Et vos, Senenses, passim celebrate benignum
  Angelum, & hic vere est nuncius ille Deum.

In laudem Friderici Montis Acuti Comitis, rei militaris peritissimi.

Hoſtium victor, miſeriſque clemens
Ipſe diceris lyricis poëtis,
Primus in bello, neque, Friderice,
Alter in armis.
Viribus Marti, ſuperiſque vates
Te parem dicunt, ſimilemque Ulyſſi,
Hectori forti, horribilique magnis
Rebus Achilli.
Cæſari miti, Fabioque cauto,
Scipioni alto, Mario, Metello,
Atque prudenti, celerique Pyrrho,
Hannibalique.
Impiæ poſtquam periere gentes
Viribus magnæ, ingenio ſuperbæ
Excitæ externi precibus Tyranni,
Conſilioque
Quæ feris terræ, pelagique bellis
Semper infeſtæ gladiis cruentis,
Et die, & nocte inſidiis parabant
Perdere juſtos.
Turpe quæ ſemper juvenes ſtudebant
Virgines ſacras rapere, atque ſancta
Templa, vel Diis ſcindere jam ſacrata
Numine tanto.
Hinc tibi caſtæ precibus puellæ
Nunc agunt grates, manibuſque junctis
Jam tibi plaudunt pueri, & ſacerdos
Reddit honores
Ii Jovem ſummum imperio benigne
Ut dato nunc perpetuo fruaris,
Atque tu vivas placide precantur,
Dum regit orbem.

AUGUSTINI FORTUNII

FESULANI.



De Aureo sæculo in Pueris, ad Antonium Zenobii a Filicaria.

AUreum sæclum fuit orbis ætas
Prisca, cum rastros humus, atque falcem
Vitis ignorans, Cereris, Lyæi
Munera ferrent.
Virgo cum, terras habitando, Mundum
Fraudis expertem, sceleriſque purum,
Glandibus vesci docuit suavi
Nectare plenis.
Cum Thetin pinus quoque nulla tentans
Abstulit merces, posuitve muros
Oppidis, leges pariterque fixit
Limite certo.
Sola sed Virtus colitur: Minerva
Artium claret celebris Magistra:
Phœbus inspirans agit inde vates
Carmine claros.
Præstat octonis modus ut loquendi
Partibus, [lex intemerata doctis]
Gratiæ ut sunt tresque, novemque Musæ,
Bis minus Artes.
Talis, Antoni, pueri extat ætas,
Qui bonus crescit studio Magistrum
Audiens acri; faciensque multi
Gesta priorum.

Ad D. Philippum Fantonium Abbatem.

Scilicet hîc ſtatio Fatarum, docte Philippe,
  Eſt Feſulis; vulgo quod perhibere ſolent,
Venti ubi (poſthabita Æolia) ſedemque, locumque
  Certatim flantes conſtituere ſibi.
Commiſcentque ſimul cœlum, terramque ſub axe,
  Non ſecus ac triſtis cærula Erinnys agat.
Dum ſic diſiiciunt nubes, Zephyrumque repellunt,
  Ut ſata conclament, flava Cereſque ruat.
Quid mirum ergo, ſi jocus, aut ſi Gratiæ, & ipſe
  Phœbus cum Muſis his abiere locis?
Quid mirum, grati ſi cœli (has namque ego Fatas
  Crediderim vulgi) temperieſque deeſt?
Iſta joci cauſa rediturus ſcribit alumnus,
  Quintili ventos menſe quod ipſe fugis.

De Victoria Navali Christiana contra Turcas
Ad D. Ægidium Stupanum Abbatem.

Ut pelago incubuere rates, jam jamque propinquæ
Hoſtiles puppes propiùs cernuntur ab hoſte,
Ilicet exurgit ſpes de victoria utrinque:
It clamor cœlo; atque inſtructo Marte phalanges,
Haud mora, cunctæ ad tela ruunt, Vulcaniaque aptant,
Hortatique duces ſocios, hinc inde corona
Navali adverſi validum labuntur in hoſtem
Procurſu rapido, ut ſolet ad prædam Leo ferri.
Eminus exploſa ignivomentia ut æra dedere,
Principiò tonitrus, ac crebris ictibus ignes:
Jam mare, jam cœli horrendum mox intonat axis,
Jam gemitum tellus dat littora ſingula circum.
Interea claſſis pia Chriſticolûm ocius ecce
Perque hoſtes, igneſque ruens, celereſque ſagittas,
Turbinis, ac fumi nebulas nunc media agmina vaſtat.
Dumque inſtans hoſtis vires, ac vulnera miſcet,
Hunc ſuperans tanta proſternit imagine mortis

Vir-

Virtute, ac ferro, rubeant ut cærula cæde
Ingenti; vix ut capere ipſa cadavera poſſint.
Actiaca Auguſtum fecit victoria clarum,
Totius ac mundi imperio meritò inde potiri:
Actiaca ecce facit rurſus victoria claros
Chriſticolas: trino ut ſummoque Deo duce, & uno
Totius hinc mundi invadant mox jure, Tyranni
Regna pii Reges, pietas niſi juſque peribit.
Actiacos ludos inſtaurent ergo Quirites
Auſpiciis magni diademate tempora Patris
Tergemino ornati; hos Veneti, ac Rex magnus Iberus,
Atque pis populus, vaſto qui ſparſus in Orbe eſt,
Sectentur, majora experti gaudia numquam.

De eadem Victoria, ad D. Maurum Textorium S. T. M.

Sæpe fuit victor: multos perſæpe triumphos
  Turcarum Princeps egerat eximios.
Cum procul auxiliis haud rem decernere ferro,
  Nec virtute ſua Chriſticolis licuit.
Aſt ubi nunc tandem conjunctis viribus unà
  Conſultum Reges his voluere malis,
Auxiliis propè, necnon rem decernere ferro,
  Ac virtute ſua Chriſticolis licuit.
Unica nunc hoſti clades, mirabile dictu,
  Vix illata ſemel, protinus ecce facit,
Quòd numquam fuerit victor, nulloſque triumphos
  Turcarum Princeps egerit eximios,
O pietas! noſtros miſerantis ubique labores,
  Munus id eſt Chriſti, quem rogat alma Fides.

De eadem Victoria.

Solve ſolennes pia gens ad aras
    Jam Deo grates, meritoſque honores,
    Voveras & quæ pia vota triſtis
        Cum prece multa.

Cum Cyprum invasit metuendus hostis
Thracio portu religando classem,
Proh nefas, postquam temeravit ista
Fœdera pacis,
Terruit Christi ac populum fidelem,
Ne gravi clade Idalio potitus
Cuncta vastaret, populando deinceps
Littora, & urbes.
Liliis Ædes, violisque odoris
Jam sacras vela, simul atque festa
Fronde: jam passim chorus omnis unâ
Concinat hymnos;
Hasque labentes repara, foveque
Jura, ut his salvis valeant ministri
Principum, ac plebis scelera expiare
Sacra litantes.
Namque Pompei superasti ut acri
Magne piratas acie superbos:
Cæsar aut Gallis celeres carinas
Contudit olim,
Marte sic stravit penitus cruento
Turcicam classem pia nostra classis,
Hostis ac magni spoliis onusta
Ecce triumphat:
Quòd Crucis fulget rutilum trophæum
Exteras inter, temerèque Gentes
Orbis, & cœli Domini negantes
Numina Christi.

De Servo fidelissimo erga herum nocte incendii Navalium Venetiis, ad Antonium Jannotium Episcopum Forolivienſem.

Audiit ex plumis horrenda tonitrua noctis,
(Qua Venetis ulla haud sævior ante fuit)
Quæ placidamque maris, terræq;, hominumq; quietem,
Concutiens orbem, sulphure, & igne tulit.

Et cladis luctus, diræ ſpectacula mortis,
  Dum Navale ardet, præſidiumque perit.
An Dominus ſoſpes ſit, de Dominique ſalute,
  Oblitus propriæ, Demea ſollicitus,
Exilit, ac gracilem raptum, tremulumque ſub ulnas,
  Ceu mater natum, protinus ecce fovet:
Cuncta ardent, inquit; Reginæ Adriæ ampla ruinam
  Dant tecta: en vivo, tu quoque ne trepides.
Numquam tuta fides magis, ac ſi fidus Achates
  Jannoti, ſervus ſit Domino atque pius.

Epiſtola de Amoris vi, errore, turpitudine, damnis. Germano Vechio.

Rhythmis iſta tuis reſpondet epiſtola miſſis,
  Judicio alterius pollice prompta meo.
(Perlege, ſi arridet: ſecus aut ludibria ventis
  Expone, aut igni in fruſtula ſecta dato)
Optatam dicit tibi carceribuſque ſalutem,
  Tuſcia quem clara, & Flora parens aluit.
Quid ſit Amor doceat ſpado? aut ænigmata Amoris
  Solvat? deludis callidus hercle, Vechi.
Judicium cæci ſuper ipſe colore requiris,
  Belli expers nihili gaudia pacis habet.
Ceſſi infans Veneri; mox temno Cupidinis artes,
  Quod vitæ gladius mi medicina fuit.
Scitum eſt ex aliis facere ut quodcunque periclum,
  Talis ego votis ſat facio ecce tuis.
Motus cum ſit Amor mentiſque, animique tyrannus,
  Cauſis, ut reliqua, haud deficit iſte ſuis.
Eſto, pater, dilecti infixi pectore vultus,
  Queis ſpiratur Amor, res ſimul induitur.
Forma haud ulla datur, referat quam non Amor index:
  Nam formam formæ nemo peritus habet.
Ocia quô tendunt? datur illinc fomes Amoris,
  Quo vires creſcunt; quique alimenta tenet.
Eſt cor mater Amoris, quòd ſibi vendicet arcem,
  (Dicit Ariſtoteles) quam ira, cupido tenent.

Ira etenim expellit; numquam hæc ſatiata quieſcens
  Appetit, ac ſequitur quæ putat eſſe bona.
Finis Amoris, amata eſt res, ut nempe fruatur,
  Ut viget extra animam; huc tendit, & hucque movet.
Afficit innumeris pharetrati morbus Amoris
  Mortales damnis oſſibus implicitus.
Exagitat variè, datur his dum ludus Amoris;
  Perculſis ludit mox quibus ille magis.
Hic natum Veneris variis pinxere Poëtæ
  Arte modis mira, dum fugienda docent.
Dicitur ergo puer tot Amor jam maximus annis,
  Sol quot in undas ſe condidit exoriens.
Nam mortale genus numquam ſine vixit Amore,
  Principio vinci cœpit homo inſidiis.
Num pueros vexat? primùm ut permiſerit ætas:
  Sed quotquot carpit, faſcinat in pueros.
Veſanos facienſque ſophos, juveneſque, ſeneſque,
  Quos ſede incerta mens agit, atque color.
Vita alia eſt, propriæ oblitis, Plato doctus amaram
  Dixit: amans cum ſit mortuus ipſe ſibi:
Eſt cæcus, furtim penitus quia lumina mentis
  Eruit, incerto dum pede fertur amans.
Urbe furit, mœret: ſperans auditque, videtque
  Abſens abſentem, fabula factus iners.
Aggreditur cor ſemper; quòd ſibi vendicet arcem,
  Ut vivat circa quod jecur ulcus ineſt.
Semper Amor timet; is miſerum quia ſemper amantem
  Sollicitat: plenum ſive timoris agit,
Nequis poſſideat clam quidquid deperit ipſe;
  Sic flagrat pectus frigore frigidius.
Eſt audax Amor uſque, & noſtra in damna paratus,
  Imprudens qualis fertur, & audet amans.
Qui facinus nullum mittit, nulloque labore
  Frangitur, optato ut tentet Amore frui.
Aliger eſt Amor, aſt præcordia linquere neſcit:
  Namque in amatum prævertit Amore volans:
Ut corde ictus amans premat amens inde dolorem,
  Quo tantùm de ſe nil reputare juvat.

Hæc


Huc residens Amor, atque hæc contraria servans,
  Nil mirum si non perdere corda solet.
Quòd sit Amor Rex, falleris: est nam vox alia illi.
  (Parcere subjectis Rex bonus ipse solet)
Motus cum sit Amor mentisque animique tyrannus,
  Moribus aversus, civibus, atque bonis,
Jure Amor est nudus: nam tanta insània amantes
  Huc rapit, atque illuc, quòd nihil est levius.
Nulla comes virtus, pudor: inconstantia namque
  Præcipitat, quos respublica sæpe gemit.
Spe nutritur Amor: namque inter spemque, metumque
  Vivit amans dubius, sineque sollicitus.
Spe prior exist t, cor namque est mater Amoris;
  Concipitur fœtus, post alimenta capit.
Spes nutrit, veluti ad finem ducentia præstans,
  Ne hoc desperato frigeat ipsa Venus.
Infelix ergo rerum Natura creatrix,
  Dum puer hanc nudus sic agit, atque regit?
Infelix certè; sibi ni mens integra constat;
  Nec ratio sensum; hanc sed regit ille prior.
Turpius hoc nihil est (magnum Solomona videto)
  Cum domino servus prædominatur iners.
Ast felix contra est rerum Natura creatrix,
  Cum ratio sensum jure regens subigit.
Cum tantùm sobolis causa, castis hymenæis
  A sene directus dat bona cuncta puer.
Ipsa senex ratio est, ductus qua jure Cupido
  Rex est; non nudus, vel sine luce puer.
Ergo in Natura nullus si contigit error;
  Nulla ænigmata sunt; atque soluta manent,
Cessant scrupi. Annus post sesqui mille abit unus,
  Lustraque bis septem; Mensis & iste. Vale.

De Garrula Philomela, ad D. Julium Vadanium.

Est avis, dlcis, Philomela præter
  Ceteras, quæ dulce canunt sonora


Vo-

Voce, nam gratis modulis olores
Anteit albos.
Musicæ voces, numeros, modosque
Sic refert dulci, varioque cantu,
Flavus ut Phœbus videatur aures
Vellere doctas.
Quin Venus, Musæ, Jocus, & Cupido
Atticen quartam dederint adauctam
Gratiis, quæ nocte dieque nobis
Garrula plaudat.
Est gravis, plenus, medius, vibransque;
Creber est, summusq; sonus, vel imus;
Pertinax vox, continuusque valdo
Spiritus illi.
Promit inflexos variando cantus,
Nuncque concisos tenuat, reflectit;
Nunc & intortos recinit, reducit,
Murmurat inde.
Fabulam nosti, hanc perhibent querelas
Fundere incesti Proceris nefandi:
Atque Itin, Prognen, miserasq; clades
Voce referre.
Unde ter quinis modulans diebus
Fata dum linguæ mutilatæ iniqua
Deflet; ut silvas, homines, volucres
Commovet omnes!
Ergo, Vadani, placidum soporem
Dum dies, noctesque sono, querelis,
Voce, vel cantu quatit irremissis
Daulias Ales:
Haud feras ægrè: lepidus, brevisque
Est labor; mellita avis, jocosus
Ludus, & tristes relevare curas
Dulciter orta.




*

FRAN-



FRANCISCI FORZONI ACCOLTI

FLORENTINI.



Nymphæ Alphææ in adventu Ferdinandi Principis Etruriæ lætantur, captâque occasione ejusdem Principis laudes celebrant, eique gloriosa incrementa prædicunt.

LAuriger Alpheas qua Pisas alluit Arnus,
  Emicat in vitreo gurgite clara Domus.
Surgunt Memnoniis, Phrygiisque innixa columnis
  Atria, de Pario marmore surgit opus.
Porticus alta nitet, claris spectanda smaragdis,
  Et Divum sculptis fulget imaginibus.
Ardet & augustum nitidis penetrale pyropis,
  Cælatæ & solido stant adamante fores.
Hæc est diis Arni, Alpheis domus hospita nymphis;
  Hic facili ducunt aurea fila manu.
Festivos hic sæpe jocos, hilaresque choreas
  Ducunt, & patriis nantque, renantque vadis.
Hinc te regali vectum, Fernande, quadrigâ
  Videre, & læto verba dedere sono.
Hæc est alma dies niveo signanda lapillo,
  Et nobis festos inter habenda dies.
Qua petis a Graja deductas Elide Pisas;
  En pronis Arnus te veneratur aquis.
Innexisque choris ludunt tibi Najades omnes,
  Fluctusque, & fausto murmure ripa sonat.

Cæruleæque Deæ plaudentes agmine facto,
  Ferdinande, tibi carmina mille canunt.
Tu decus Etrusci tu spes fidissima regni,
  Tu Patriæ columen, præsidiumque tuæ.
Nondum Laurentes, atavique obiere Leones,
  Et ferrans claris invidiosus avis.
Par proavis animus tibi, sunt æqualia mentis
  Semina, & in doctos non minor ardet amor
Otia virtuti largiris, & otia Musis,
  Et facis egregiis otia docta viris.
Virtutis pulchro pectus succensus amore,
  Artibus ingenuis regia tecta dicas.
Hinc alacres belli exercet simulacra juventus,
  Hic primum veræ laudis aperta via est.
Prœlia si Martis simulas Mars ipse videris,
  Cum nitet in galea conspiciendus eques,
Et te mirantur curis quandoque salutis
  Auratas Charites sollicitare fides.
Jam grave consilium, & dubiis sapientia rebus
  Jam tua præclaris æmula mens atavis.
Vividaque, & veniens juvenili in corpore virtus
  Haud claram mentem delituisse sinunt.
Cuncta tibi faustæ portendunt omina sortis,
  Cunctaque prædicunt candida fata tibi.
Te manet Odrysio dudum regnata Tiranno
  Creta decus Veneti robur, & Imperii.
Te proavis direpta tuis Maurusia Regna,
  Et Rhodus, & Cyprus barbara Regna manent.
Quin Thraces Lybico dabitur dispergere Ponto,
  Proferre, & roseæ signa verenda Crucis.
Te Solymæ Dio perfusæ sanguine rupes
  Et te confossi numinis urna manet.
Cernuus ad sanctos tunc figes oscula postes,
  Iniicies sanctis mascula thura focis
Per te sacræ artes florent, atque ardua virtus,
  Et Pax Palladiâ fronde revincta comas
Per te nascetur Tusci spes plurima Regni,
  Proles quæ Patrem, quæque imitetur avum.

Au-

Aurea fila tibi rutilâ vertigine Parcæ
  Volvent, & longâ ſtamina ducta colo.
Sic volvunt Parcæ, ſic conſcia ſidera volvunt,
  Ni ſancta Oceani numina vana docent.
Hæc nymphæ, & placidis ſe ſe merſere ſub undis,
  Et ripæ fauſtos, & dedit unda ſonos.

Anniverſarium Moroſini, & Treviſani.

Felices animæ, quas primo in flore juventæ
  Conjugii æterno fœdere junxit Amor
Hæc mercede graves poterant in amore dolores,
  Et curæ vigiles, & placuiſſe dolor.
Ni vos dura nimis fata immatura tuliſſent,
  Fata nimis veſtris invida deliciis.
Heu miſeros juvenes! ambos infanda peremit
  Una lues ambos ſolvit & una dies.
Ecce jaces Moroſine, jaces Treviſana puella
  Ut roſa nocturno frigore læſa cadit.
Non qui Phæacum frutices naſcuntur in hortis
  Juvere, & medicâ Delius arte potens.
Non genus antiquum, non labis neſcia virtus,
  Candida non pietas; ingenuuſque pudor,
Nec faciles mores juvere, & firma juventa,
  Nec forma, & formæ gratia blanda comes.
Heu quantum una dies feſſo decus abſtulit ævo!
  Heu quanta Adriaco eſt flenda ruina mari!
Veſtra ſenes, juvenes, pueri, teneræque puellæ
  Patricii manes fletibus oſſa rigant.
Qualibus heu lacrimis vos ad pia buſta Parentes,
  Qualibus heu lacrimis immaduiſſe ferunt?
Diſſoluere comas ad lamentabile ſaxum,
  Et caſum Charites ingemuere ſuum.
Fregit Amor pharetram, illacrimans Venus aurea flevit,
  Et planxit nivea pectora eburna manu.
Et Veneres, molleſque joci, blandique lepores
  Flevere, & Paphii turba tenella Dei.

Illu-

Illuſtres animæ nuper dum vita manebat
  Quas Amor, & placito fœdere junxit Hymen,
Ite pari ante diem crudeli funere raptæ,
  Qua manet Elyſiâ in valle parata Domus.
Hic ubi Acidalias myrtos, & amœna vireta
  Felices umbræ, lætaque prata colunt.
Hic fidos renovate ignes, tædaſque jugales
  Et longæva paret gaudia ſanctus Amor.
Dum vos interea miſerandâ morte peremptos
  Lugebunt juvenes, Adriacæque nurus.
Illuſtres animæ, ſi quid mea carmina poſſunt
  Veſter erit quoque poſt fata ſuperſtes amor.

Comiti Franciſco Montani.

Dum totum Tirrhena ſibi te vindicat Aula,
  Montani Patriæ lauſque, decuſque tuæ:
Eolias forſan percurris pectine chordas,
  Aut pulſas Latiæ fila canora lyræ.
Abdita vel ſolers naturæ arcana reſolvis
  Trinacrii verſas, aut monumenta ſenis.
Accipe, quæ dum feſta vigent ſacrata Lyæo,
  Silveſtri calamo ruſtica Muſa canit.
Uviferum Pater Autumnus caput exerit arvis,
  Et Pomona ſuas prodiga fundit opes.
Pampineis pendent jam dulces vitibus uvæ,
  Et matura nitent munera, Bacche, tua.
Haud mora: Jam faciles pueri, innuptæque puellæ,
  Matreſque, & paſſim læta caterva nurus;
Certatim e teneris decerpunt vitibus uvas,
  Fructibus & Bromii picta caniſtra nitent
Ille ederâ crines præcingitur, ille corymbis,
  Hic fundit lætis libera verba jocis
Saltantes Satyros imitatur pulcher Amyntas,
  Dametræ fulvas implicat uva comas.
Titirus, & Lycidas ſubductis timpana palmis
  Percurrunt; calamis, concavaque æra ſonant.

Ergo dum plenis ſpumat vindemia labris,
Et Mopſus forti cum pede muſta premit.
Silvarum decus, & Muſis dilectus Jolas
Sic Bromii Patris numen ad aſtra vehit.
Progenies jucunda Jovis mitiſſime Divum,
Bacche hominum requies, lætitiæque dator
Titanas te fama canit domuiſſe rebelles,
Impia cum magno bella tulere Jovi.
Te fuſcæ tremuere acies, te gemmifer Indus,
Victaque odoratis ultima Bactra plagis,
Captivoque libens Ganges tibi paruit auro
Cum fluxit lætis ſub tua jura vadis.
Quos gemitus reddit deſerto e littore Naxos,
Luget in ignoto Cræſſa Ariadna mari.
Quo periure fugis, ſcelerate revertere Theſeu,
Quo fugis exclamat, perfide flecte ratem?
Sic levibus ventis committis vela, fidemque,
Quam nullum ajebas ſolvere poſſe diem
Scilicet ipſa dedi reditum, quæ fila docerent,
Cum premeres dubiis tecta recurva viis.
Ut me deſereres ignoto in littore, temnens
Sæve fidem, & pacti fœdera conjugii.
Improbe te cautes genuere, & Caucaſus horrens,
Et Lybicæ admorunt ubera dura Tigres
Cum tu Bacche Pater deſertam, & multa querentem
Solaris. dulci, & nectare labra rigas;
Conſortemque thori pulchro tibi fœdere jungis,
Flaviſque innectis florea ſerta comis.
Quæ nunc clara Polo formoſis ignibus ardent
Teſtes atque tui Liber amoris erunt.
Militibus fortes animos, Niſee, miniſtras
Sufficis Aoniis carmina læta choris;
Si doctus geminis Helicon ſe rupibus effert,
Altera, Phœbe, tua eſt, altera, Bacche, tua.
Curarum domitor jucundæ conſtitor uvæ
Salve una in magnis apta medela malis.
Tu miſerum pellis luctum, triſtemque ſenectam
Labentem, & vitam tu reparare vales.

Non

Non habuisse aliud superum convivia nectar
  Evoe crediderim quam tua dona Pater.
Hæc puer Idalius cœlesti excepit in auro,
  Inde dedit magno pocula grata Jovi.
Ergo nunc hilari celebretur carmine, vitis
  Delicium, & munus candide Bacche tuum
Nam si pampineis gemmant in vitibus uvæ
  Inclusam lucem quisque racæmus habet:
Vitiferos colles dexter tu respice Liber,
  Ne gravidas vites ulla procella petat.
Tunc tibi votivis cumulabo altaria donis,
  Fumabuntque tuis mascula thura focis.
Has Bromio laudes cecinit divinus Jolas
  Arida & ambrosio proluit ora mero.
Totque vovet tibi Montani bona gaudia cœlo,
  Quot vini guttas cymbia plena tenent.

Cum Sanctissimus D N. CLEMENS XI. ad Summi Pontificatus apicem assumptus est.

Cum nuper festo resonarent omnia plausu,
  Romaque lætitiæ publica signa daret,
Purpureique Albane tibi laus alta Senatus
  Ambiret meritas sacra thiara comas.
Tibris arundineo glaucum caput extulit alveo
  Lætitiæ factus conscius ipsæ novæ;
Mille vocat vitreâ ludentes Najades undâ,
  Pandit & Augusti facta secunda viri.
Mox ait, o quæ nunc pertentant gaudia pectus!
  Vos nymphæ lætum concelebrate diem.
Ut decet & festas nunc instaurate choreas,
  Tangite & argutæ fila canora lyræ.
Spargite purpureis ripasque undasque jacinthis
  Contegat hibernum lætior herba solum.
Nam datus Albanus cœlesti munere, mundi
  Arbiter humanum qui genus omne regat

Quem

Quem Deus ipse Erebi fecit, cœlique potentem,
  Imperio ut pateant utraque regna suo.
Albanus patrii lumenque decusque Metauri,
  Deliciumque hominum, deliciumque Deûm;
Quem sancti mores ornant, pietasque, fidesque,
  Et simplex animi candor, & integritas;
Et grave consilium, & dubiis prudentia rebus,
  Mensque alacris recti, justitiæque tenax.
Aurea & Etruscæ, & Latiæ facundia linguæ,
  Et lepor, & cultis gratia carminibus.
Pingitur extemplo tellus violisque, rosisque,
  Emicat & solito purior axe dies.
Lætitiâ septem colles, plausuque resultant,
  Totaque festivo murmure Roma sonat.
En regnat Clemens quo non præstantior alter,
  Clemens cui similem sæcula nulla ferent.
Nam rerum ignotas causas, arcanaque novit,
  Et Themidem, Aonias excoluitque Deas:
Abdita sacrorum novitque oracula Vatum,
  Cœlestis Sophiæ nectar ab amne bibens.
Arcadici saltus Alnano plaudite: vestris
  Alnani lusit fistula sæpe choris.
Illum amor in Musas, illum sapientia vulgo
  Eximit; in claros aurea dextra viros,
Nam quæ mortales faciunt divisa beatos,
  Divinus Pastor singula dona tenet.
Aurea jam tanto sub Principe sæcla redibunt,
  Inseret & cœlo fama Latina caput;
Priscaque simplicitas florebit, & aurea virtus,
  Et pax Palladiâ fronde revincta comas;
Aonides Pindi nemora, & Parnassia tempe
  Tarpejo gaudent posthabuisse jugo.
Quippe sinu excipiet tristes, sine honore jacentes
  Clemens, extinctum restituetque decus.
Jam video sacras florescere protinus artes,
  Jam video doctis otia parta viris.
Hoc duce sancta Fides nigri ultra Mennonis arva
  Proferet Imperii signa verenda sui.

Aurea fila illi fulvâ vertigine Parcæ,
  Volvunt, & longa ſtamina ducta colo.
Hæc cuncta evenient: ſic conſcia ſidera monſtrant,
  Ni ſancta aſtrorum lumina vana docent.
Hæc Tibris Pater, & placido caput abdidit alveo,
  Et ripæ fauſtos, & dedit unda ſonos.

In obitu Clariſſimi V. Benedicti Gorii J. C. ex Collegio Nobilium.

Gorius interiit: Clariæ lugete Sorores,
  Maxima nam veſtro eſt flenda ruina choro.
Proh dolor! ecce jacet Romanæ gloria ſuadæ,
  Arbiter atque lyræ Gorius ecce jacet.
Heu plectra, & cytharæ lauro è Permeſſide pendent,
  Lamenta, & lacrimas Delphica Cyrrha ſonat.
Occidis heu ſacræ Themidis columenque, decuſque,
  Occidis heu patriæ flebilis umbra tuæ!
Nec ſacræ juvere artes, Muſiſque dicatum
  Pectus, & antiquo ſanguine clara Domus.
Non grave conſilium, doctæ & facundia linguæ,
  Non animus Sophiæ nectar ab amne bibens;
Nec ſancti mores juvere, & vivida virtus,
  Nec ſimplex animi candor, & integritas.
Heheu quale decus crudelia fata tulerunt,
  Quale decus nobis abſtulit una dies!
Sancta Themis, candor, pietas, ſapientia, virtus
  Ad tumulum lugent nobilis umbra tuum.
Ingenii monimenta tui, tua carmina vivent,
  Et tua poſt cineres fama ſuperſtes erit.
Atque tui vivent dulciſſima pignora nati,
  Qui referunt mores, ingeniumque tuum.
Tu vero Eliſias ſedes, & amœna vireta,
  Et Paphias myrtos nunc, Benedicte, colis.
Felices umbræ hic habitant, maneſque piorum,
  Et ſacri vates, ſanctaque turba ſophi.
Hic choreæ, hic cantus, hic dulcia carmina curæ,
  Hic juvat auratæ fila movere lyræ.

Hic tibi cantanti victuro carmine Reges
  Respondet numeris myrtea silva tuis.

In obitu adolescentis Aloysii della Cerda Hispani Equestris ordinis Melitensis, dum in classe Pontificia pugnat adversus pyratas Turcas.

Occidit ante diem, primoque in flore juventæ
  Heroum sanguis, spes, decus, Urbis amor.
Ruperunt Parcæ crescentis stamina vitæ,
  Cum daret eximium prima juventa decus.
Hispanum juvenem Latii vos undique vates
  Lugete, & questus flebile reddat ebur.
Occidit ingenuas coluit, qui fervidus artes,
  Qui fuit Aonii maxima cura Dei.
Hunc Musæ, & Charites rectique immensa cupido,
  Et constans niveæ simplicitatis amor
Ornabant, & sancta fides, & Martia virtus,
  Relligio, & pietas, ingenuusque pudor.
Egregio, manes nymphæ flevere Latinæ,
  Et scissis flevit Martia Roma comis.
Qualibus heu lacrimis crudelia fata vocastis
  Nimphæ Tirrheni numina glauca sali!
Cum clari juvenis funus vidistis acerbum,
  Aureaque immiti stamina secta colo.
Quæ pietas vidisse fuit miserabile funus,
  Ignito juvenem procubuisse globo!
Pectore dum impavido flagrans virtutis amore
  Tirrheno invasit barbara vela mari.
Navali Melitam gaudens extollere marte,
  Nominis & niveæ fretus honore crucis.
Romani proceres justum renovate dolorem,
  Vos sancti manes indoluisse jubent.
Dissoluere comas ad lamentabile bustum,
  Et casum Charites ingemuere suum.
Relligio, sanctusque pudor, prudentia, candor
  Flevere ad tumulum, nobilis umbra, tuum.

Gloria, cana fides, pietas, & bellica virtus
  Dilecta assiduis fletibus ossa rigant.
Spargite humum foliis, urnam velate cupressu
  Aonides, sacris & date thura focis.
Phœbeam laurum, & manibus date lilia plenis,
  Fundite lac, tristi spargite vina manu.
Solemnes cultus, & lætam ponite pallam,
  Cingite & auricomas fronde dolente comas.
Funestamque diem furvo damnate lapillo,
  Qua laudem vestri fata tulere chori.

In funere Victoriæ Roboreæ Magnæ Ducis Etruriæ.

Tu quam sidereo fulgentem excepit olympo
  Voce canens laudes cœlica turba tuas,
Erepta heu nostris nunc te, Victoria, votis
  Nos sine luctisonos ingeminare modos.
Hi luctus cum sint nostri monimenta doloris,
  Hi quoque virtutis sunt monimenta tuæ.
Quo mage lugeri nobis nunc digna videris,
  Cœtibus Angelicis hoc mage digna cani es.
Ipsa probant luctum cœlo tua gaudia nostrum,
  Quæ terris noster luctus & ipse probat.
Quare agite o socii, mecumque iterate gemendo,
  Occubuit Latii lausque, decusque soli.
Justa Polo vitæ, recipit dum præmia vitæ;
  Exempla heu populis jam periere suis.
Illa quidem memori Tuscorum in pectore vivent
  Æternâ famæ non reticenda tubâ.
At præsens oculis virtus majore tuentum
  Inflammare valet pectus amore sui.
Sed quid ego hæc repetam? geminâ nunc prole superstes,
  Matris adhuc geminâ gloria luce micat.
Quod mors ereptâ nostris modo Principe votis
  Intulerat damnum, natus uterque levat;
Magnanimique levant stirpis decora alta nepotes,
  Et Bavarum Princeps sanguine digna Ducum.

Ex-

Ergo agite, o ſocii. fas ſit compeſcere fletus,
  Feſtivis mecum fas iterare modis;
Alto aſcita Polo vivit Victoria terris,
  Vivit adhuc Latii lauſque, decuſque ſoli.

FINIS.



INDEX

Rerum notabilium, quæ continentur

IN TOMO QUARTO.

A

B

C

Chi-

D

E

Euro-

F

G

Gon-


H



I.

L.

M



Nal-

N

O

P


Pro-

R

S

T

V



Zacbia

Z



ERRATA.		CORRIGE.
Pag 14. v. 25.	ſanè	ſanæ
v. 30.	nephas,	nefas,
167. v 3.	*provideado*	*providendo*
301. v. 10.	Ambroſiis	ambroſiis
329 v. 28	Urbe procul	urbe procul
v. 29.	mentis opes?	mentis opes.
444. v. 6	ferrans	Ferrans
v. 17.	ſalutis	ſolutis
445. v. 10.	Hæc mercede	Hac mercede
v. 29.	ferunt?	ferunt.
446. v. 18.	reſolvis Trinacrii verſas, aut	reſolvis, Trinacrii verſas aut
v. 33.	Dametræ	Dametæ
447. v. 18.	diem.	diem?
v. 26.	dulci, & nectare	dulci & nectare
v 35.	conſtitor	conſitor
448. v. 9	racæmus	racemus
v. 25.	ipſæ novæ	ipſe novæ
v. 32.	jacinthis	hiacinthis
449. v. 11.	roſiſque Emicat, &	roſiſque, Emicat &
450. v. 19.	conſilium doctæ, & facundia	conſilium, doctæ & facundia
v. 24.	dies.	dies?

